Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIA MORALIS

OMNES SUCCINCTE COMPLECTENS

MATERIAS PRACTICAS

PRO

UTILITATE CONFESSARIORUM, AC EXAMINANDORUM,

IN DUAS PARTES,

MORALEM, ET SACRAMENTALEM, DIVISAS,

AUCTORE P. F. JOSEPHO A

CÆSAREMONTANO

Ordinis Minorum Sancti FRANCISCI *Capucinorum bina vice Miniſtro Provinciali, & Ss. Theologiæ Lectore.*

PARS PRIMA.

Materias morales ad virtutes, ac vitia ſpectantes complectens.

VENETIIS MDCCLXXII.

APUD FRANCISCUM EX NICOLAO PEZZANA,

Superiorum Permiſſu, ac Privilegio.

Digitized by Google

• 97

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

QUamvis ſumma ſit in Eccleſia Dei ſcholaſticæ Theologiæ pro aſtruendis Religionis noſtræ dogmatibus, ac ſolvendis Hæreticorum ſophiſmatibus neceſſitas; nec minor illius pro ſtabiliendis Theologiæ moralis principiis, & repellendis pravorum hominum erroribus utilitas; & præcipue Theologiæ Candidati in ea erudiri debeant; non omnes tamen materiæ tam diffuſæ addiſcendæ, ac retinendæ capaces ſunt, nec omnes, præſertim abſoluto Theologiæ curſu in aliis functionibus occupati, ſat temporis idem ſtudium proſequendi habent: Omnes vero Miniſtri Chriſti, & Diſpenſatores Myſteriorum Dei curam animarum habentes principia Theo-

logiæ moralis ad praxim pertinentia ſcire tenentur, ne ſanctas Conciliorum Leges, ac honeſtatis regulas ignorantes inter lepram, & lepram diſcernere non valentes, tanquam duces cœci, cœcis ducatum præſtantes, cum ipſis, in foveam cadant æternæ damnationis.

Pro hac obligatione facilius adimplenda offero tibi, Benevole Lector hoc opuſculum Theologiæ moralis ex melioribus auctoribus omni cum diligentia compendioſe extractum, omiſſis quidem probationibus, ac objectionibus ſcholaſticis, aliis vero omnibus materiis ad praxim pertinentibus breviſſima methodo ita compilatis, ut ſi brevius inſtrui exoptes, in ſolis concluſionibus omnia principia practica invenias, ex quibus caſus conſcientiæ reſolvi debent. Materias enim hujus opuſculi in duas partes, moralem, & ſacramentalem ita diſtribui, ut in qualibet parte, ac quæſtione, primo reperias definitiones pro meliori rerum intelligentia neceſſarias, quæ omnes pro majori commoditate, & ut eas facilius ab aliis materiis diſtinguas, incipiunt a verbo *Reſp.* Secundo concluſiones, quæ principia practica a Theologis communiter recepta continent, quæ omnes ob eandem rationem incipiunt a verbo *Dico*. Tertio reſolutiones a ſanioribus auctoribus

ex

ex prædictis principiis deductas, quæ omnes incipiunt a verbo *Hinc*. Ac pluribus in locis, præcipue ubi deciſio dubia videri poſſet, vel ubi Auctores ſunt diviſi, breviſſimas, magiſque convincentes ſuperaddidi rationes, ut benevolus Lector de majori probabilitate ipſemet dijudicare poſſit, & in fine cujuslibet partis oppoſui indicem omnium quæſtionum, etiam particularium ejuſdem partis, qui pro inquiſitione rerum, & ſimul examinatoribus inſervire poteſt. Sæpe citavi Tournely, ipſius continuatorem intelligens, & alias illius, aliorumque auctorum omiſi citationes, ne earum multitudo confuſionem pariat, & hoc opuſculum ultra intentum creſcat. Secutus ſum ordinem materiarum P. Thomæ ex Charmes, ejuſque definitionibus adhæſi pro majori eorum commoditate, qui eundem pro ſua ſchola adoptarunt; & ſecuritatem amans libentius cum quibuſdam auctoribus viam ingreſſus fuiſſem arctiorem, niſi arctior declarans peccatum mortale, vel dubium illius excitans, ubi forte in re nullum eſt peccatum, æque, ac lata fragilitati humanæ periculoſa viſa fuiſſet; unde juxta Chriſti admonitionem viam arctam, & portam anguſtam elegi, id eſt viam mediam, & certiorem, declinando a laxita-

te, & nimium evitando rigorem, in praxi vero ſuadeo ſecuriorem. Si quid autem nimis laxum, fidei, vel bonis moribus contrarium contra meam intentionem irrepſiſſet, pro non dicto habeo, & Eccleſiæ judicio in omnibus me adhærere profiteor.

Inſerviet hoc opuſculum non ſolum Theologiæ moralis Candidatis, ſed etiam Lectoribus, ac Profeſſoribus, qui amplam in eo materiam pro inſtructione ſuorum diſcipulorum, & exercendo eorum judicio in ſolutionum multitudine reperient, quas facili conatu in caſus ex dictis principiis ſolvendos convertere poſſunt. Non minus illud inſerviet examinatoribus, ſi per quæſtiones in eo propoſitas, & reſolutiones per modum caſuum proponendas, examinandorum judicium probare placuerit. Maxime autem inſerviet ad examen Theologiæ moralis ſeſe præparare volentibus, qui definitiones de verbo ad verbum, & concluſiones ſaltem quoad ſubſtantiam memoriter addiſcere, & reſolutiones attente, ac matura cum reflexione ſæpius legere debent; inſerviet quoque non parum Confeſſariis, tam in dubiis pro prompta, ac facili caſuum conſcientiæ occurrentium reſolutione, quam pro notitia Theologiæ moralis ſummopere neceſſaria retinenda per frequen-

tem

Digitized by Google

tem iſtarum materiarum practicarum in unum breviſſima methodo collectarum lectionem. Ubi vero caſuum moralium conferentiæ, ſeu collationes ſunt in uſu, tam pro caſibus proponendis, ac ſolvendis, quam pro ſynopſi totius tractatus ab initio conferentiæ proponenda non minus erit utile.

Ad iſtos uſus tibi, Benevole Lector hos mei laboris offero fructus, exoptans, ut in illis ſaporem, ac inſtructiones pro tua, & animarum tuæ curæ commiſſarum æterna ſalute neceſſarias invenias, meique in tuis precibus memor in æternum vale.

AP-

APPROBATIO CENSORIS.

CUM Theologia moralis iſthæc in duas partes diviſa, & ab auctore P. F. Joſopho Antonio Cæsaremontano, Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum Provinciali, & SS. Theol. Lectore elaborata, & fidei, & moribus nihil contrarium contineat, ſed potius omnibus Confeſſariis pe-rutilis, ac grata fore exiſtimetur; dignam cenſeo, quæ typis mandetur. *Auguſtæ Vindelic. die* 25. *Martii* 1770.

JOSEPHUS HERZ, SS. Theol. Licent. Reverendiſs. ac Sereniſs. Archiepiſc. Treviren. & Epiſc. Auguſt. Conſil. Eccl. Viſitator generalis, Conſiſt. Aſſeſſor, & Librorum Cenſor.

Imprimatur ex Vicariatu.

JOANNES HERZ, SS. Theol. Lic. Rev. ac Seren. Archiep. Trevir. & Epiſc. Auguſt. Conſil. Eccl. Fiſcalis, Viſit. gen. & Canon. ad S. Gertrud. ac Provicar. Generalis.

FACUL-

FACULTAS
REVERENDISSIMI PATRIS VICARII GENERALIS.

NOS *Fr. JOSEPHUS MARIA a Savorgniano, totius Ordinis FFrum. Minorum Sti. Franciſci Capucinorum Vicarius Generalis L. I.*)

Cum opus, cui titulus Theologia moralis in duas partes diſtributa &c. *Latino idiomate à R. P. JOSEPHO ANTONIO Cæſaremontano iterum Provinciali, & Exprofeſſore compoſitum duo ejusdem Ordinis noſtri approbaverint Theologi, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, ſervatis de more, & jure in regno Galliæ ſervandis. In quorum fidem has Literas officii noſtri Sigillo munitas ſubſcripſimus. Datum Romæ in Conventu noſtro Immaculatæ Conceptionis die 27. Decembris anni* 1766.

FR. JOSEPHUS MARIA,
qui ſupra.

AP-

Digitized by Google

APPROBATIO

THEOLOGORUM ORDINIS.

EGO infraſcriptus, ex mandato Reverendiſſimi Patris JOSEPHI MARIÆ a Savorgniano Definitoris, ac totius Ordinis noſtri Vicarii Generalis, legis opus, cui titulus: Theologia moralis omnes ſuccincte complectens materias &c. in duas partes, moralem, & ſacramentalem diviſas, *a R. P. JOSEPHO ANTONIO. Caſaremontano, Ord. FFr. Minorum Capucinorum in Alſatia bis Miniſtro Provinciali, & olim S. Theologia Lectore compoſitum, in quo nihil ſana doctrina, fidei, ac morum contrarium eſſe judico; quodque ob ſtudioſam ſuam materiarum moralium brevi ſtylo expoſitarum facunditatem perutile, ac commendabile, typis proinde mandandum cenſeo. Datum Argentina die 24. Novembris anni 1766.*

FR. MARINUS, ex Ingersheim,
Cap. Def. Cuſt. Guard. olim
S. Theol. Lect. L. I.

Ev

Ex *mandato Reverendiſſimi Patris JOSEPHI MARIÆ a Savorgniano Definitoris, nec non totius Ordinis FFrum. Minorum Capucinorum Vicarii Generalis, legi opus, cui titulus* Theologia moralis in duas partes diſtributa &c. *opera, & ſtudio admodum R. P. JOSEPHI ANTONII Caſaremontani, ejusdem Ordinis, ac Provinciæ Alſatiæ quondam ſacræ Theologiæ Lectoris, nec non iterato Miniſtri Provincialis elaboratum, in quo nihil fidei, & moribus contrarium reperi, quin potius omnibus Confeſſariis perutile, ac gratum fore exiſtimo; proin prælo dignum cenſeo. Datum Argentinæ die* 26. *Nov.* 1766.

Fr. Casimirus ex Bartenheim,
Exprovincialis ac Theologiæ
Exlector. Cap. L. I.

A P-

APPROBATIO.

ALMÆ UNIVERSITATIS EPISCOPALIS ARGENTINENSIS.

INfraſcripti *Doctores Theologiæ Univerſitatis Epiſcopalis Argentinenſis, ac ejuſdem Diœceſis Examinatores Synodales, teſtamur; nos legiſſe; & examinaſſe librum, cui titulus*, Theologia moralis in duas partes, moralem, & ſacramentalem diviſa, *auctore P. F. JOSEPHO ANTONIO, Ordinis FFrum. Minorum ſancti Franciſci Capucinorum, Miniſtro Provinciali... nihilque in eo deprehendiſſe fidei Catholicæ, bonis moribus, aut totius Ethicæ chriſtianæ principiis contrarium. In quorum fidem ſubſcripſimus. Argentinæ die* 31. *Martii* 1767.

LANTZ, Univerſitatis Rector, Canonicus, ac Decanus ad S. Petrum juniorem, Provicarius Generalis, & Vicegerens Diœceſis Argentinenſis.

MEURET, Univerſitatis Cancellarius, Rector Parochiæ Benfeldenſis, & Venerabilis Capituli Ruralis Camerarius.

HUFFEL, Canonicus ad S. Petrum ſeniorem, Venerabilis Conſiſtorii Conſiliarius Aſſeſſor.

SÆTTLER, Profeſſor Theologiæ moralis, Parochus in VVeyersheim.

ZOEPFFEL, Canonicus ad S. Petrum ſeniorem.

AP-

APPROBATIO
CENSORIS REGII.

JUſſu Illuſtriſſimi Galliarum Vice-Cancellarii, legi Librum, cui titulus eſt: *Theologia moralis omnes ſuccincte complectens materias practicas pro utilitate Confeſſariorum, ac Examinandorum, in duas partes, moralem, & ſacramentalem diviſas*: nihil in eo animadverti, quod Catholicæ doctrinæ, bonifve moribus adverſetur: imo ob concinnam doctrinæ moralis methodum eum Clero informando perutilem fore, adeoque prælo dignum cenſeo. Argentinæ 5. Novembris 1767.

FR. PH. LOVIS
S. Theologiæ Doctor, & Profeſſor,
S. Facultatis Syndicus, & Regiæ
Collegiatæ Eccleſiæ ad S. Florentium in Haslach Canonicus.

NOI

NOI RIFFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. *F. Filippo Roſa Lanzi* Inquiſitor Generale del Santo Officio di *Venezia*, nel Libro intitolato *Theologia Moralis omnes ſuccinte continens materias practicas &c. Auctore P. F. Joſepho Antonio Caſaremontano &c. In duobus Tomis in 8. Prima Pars, Secunda Pars &c. Stamp.* non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Franceſco di Nicolò Pezzana* Stampator *di Venezia* che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 23. Settembre 1771.


(Sebaſtian Zuſtinian Riff.
(Andrea Tron K. Riff.
(

Regiſtrato in Libro a Carte 77. al Num. 634.

Davidde Marcheſini Seg.

TRA-

Digitized by Google



TRACTATUS I.

DE ACTIBUS HUMANIS.

Hic Tractatus in quinque principales dividitur quæſtiones: quarum 1. eſt de Voluntario. 2. de Involuntario, 3. de Libero, 4. de Moralitate actuum humanorum, 5. de Conſcientia.

QUÆSTIO I.

DE VOLUNTARIO.

QUÆRITUR. 1. Quid ſit actus hominis, & actus humanus?

RESP. ACtus hominis eſt, qui naturaliter procedit ab homine abſque rationis advertentia, & libertate, ut motus primo primi; actus humanus vero eſt, qui procedit ab homine cum rationis advertentia, & libertate, & eſt duplex; elicitus, qui immediate a voluntate procedit, abſque imperio voluntatis reflexo, ut amor, odium; & imperatus, qui ab ipſa voluntate ſibimet imperante producitur, ut contritio, vel ab alia potentia ex imperio voluntatis ad agendum mota, ut ambulatio: uterque elicitus, & imperatus debet eſſe voluntarius, ac liber.

QUÆR. 2. *Quid ſit Voluntarium?*

RESP. Voluntarium, eſt id, quod eſt a principio intrinſeco (nempe a voluntate) cum cognitione ſingulorum, in quibus eſt actio, videlicet finis, & circumſtantiarum ad actionem pertinentium, quæ ſunt volitæ, in quantum ſunt cognitæ; quia nihil eſt volitum, niſi præcognitum.

QUÆR. 3. *Quotuplex ſit voluntarium?*

RESP. Voluntarium dividitur 1. in neceſſarium, quod ita procedit a voluntate, ut poſitis omnibus ad agendum requiſitis, non poſſit non procedere, ut amor beatificus; & in liberum, quod ita procedit a voluntate, ut poſitis omnibus ad agendum requiſitis, adhuc poſſit non procedere, tales ſunt actiones noſtræ liberæ. 2. In voluntarium perfectum, quod procedit a voluntate ex perfecta cognitione ſingulorum, in quibus eſt actio; & imperfectum, quod procedit a voluntate, ex imperfecta cognitione finis, & circumſtantiarum. 3. In poſitivum, quod procedit a voluntate per actum ejus poſitivum; & negativum, quod procedit per meram voluntatis omiſſionem, abſque actu poſitivo. 4. In expreſſum, quod diſtincte, verbo, aut aliquo ſigno, declaratur; & tacitum, quod ex alterius facto, aut facti omiſſione colligitur juxta illam juris regulam: qui tacet, conſentire videtur, hoc etiam interpretativum abſolutum dicitur; conditionatum vero eſt, quod ex alterius voluntate infertur, quam quidem actu non habet, ſed haberet, ſi poneretur certa conditio; v. g. ſi licentia peteretur. 5. In directum, quod eſt in ſe ipſo, volitum, & indirectum, quod non in ſe ipſo, ſed tantum in ſua cauſa eſt volitum, id eſt in aliquo actu, vel actus omiſſione, ex qua ſequitur. 6. In actuale, quod eſt ipſummet actuale exercitium voluntatis, quod dupliciter fieri ſolet, videlicet, per actum ſignatum, cum quis actum voluntatis alio actu reflexo ſignat; v. g. dicendo: volo conſecrare; & per actum exercitum, cum quis attente, & plena ſui facti cognitione facit, quod facit: v. g. proferendo verba conſecrationis; & in virtuale, quod fit virtute actualis voluntatis moraliter perſeverantis per actionum ſeriem, quamdiu non revocatur: tale eſt conſecratio, etiam diſtracte prolata, quæ fit virtute prioris actualis volitionis conſecrandi, virtute cujus ad altare acceſſit, & alia uſque ad conſecrationem perfecit; & in habituale,

le, quod fuit actu, non eſt revocatum, ſed tamen ſomno, vino, vel notabili temporis mora eſt interruptum, ita, ut non amplius influat in actum, nec per ſe, nec per virtutem relictam.

QUÆR. 4. *Quando valeat iſta regula*: qui tacet conſentire videtur?

Dico. Illa regula: *qui tacet conſentire videtur*, ſolum valet 1. In favorabilibus, non vero in odioſis. 2. Quando quis poteſt, & tenetur loqui; ut Prælati, qui poſſunt, & tenentur reclamare contra tranſgreſſiones, & non reclamant.

Hinc: conſentire videtur 1. Filius non contradicens patri in ipſius præſentia ſponſalia contrahenti, ſi ſine metu contradicere poſſit; quia fit in ipſius favorem. 2. Superior, vel Dominus, videns ſtatuta, ac leges tranſgredientes, eoſque non corripiens; cum ſine metu gravioris mali poſſit, & teneatur. 3. Sponſus a Parocho matrimonium ejus benedicente de conſenſu interrogatus, tacens; quia loqui poteſt, & tenetur. E contra vero ex metu gravi tacens, vel perſonæ privatæ offerenti ſe in matrimonium non reſpondens, non cenſetur conſentire: quia in primo caſu rationabiliter non poteſt, in ſecundo vero non tenetur loqui, & matrimonium oneroſum eſt.

QUÆR. 5. *Quando effectus ex aliqua cauſa, vel illius omiſſione ſecutus, non ſolum phyſice, ſed etiam moraliter, & peccaminoſe ſit voluntarius?*

Dico. Ut effectus ex aliqua cauſa, vel ejus omiſſione ſecutus non ſolum phyſice, ſed etiam moraliter, & peccaminoſe ſit voluntarius, tria requiruntur: videlicet 1. poſſe, 2. teneri, 3. non facere: id eſt poſſe, ac teneri prævidere, & impedire effectum amovendo illius cauſam, & non facere. Non tenetur autem amovere, vel evitare cauſam, ſi hæc tria concurrant. 1. Si jus, vel juſtam habeat eam ponendi rationem. 2. Si firmum habeat propoſitum non conſentiendi in effectum malum. 3. Si ordinarie non conſentire ſoleat. Jus vero, vel juſtam habet rationem ponendi cauſam. 1. Si ſit honeſta, & licita. 2. Si effectus per eam intentus ſit bonus, ac præponderans, vel ſaltem æquivalens malo præter intentionem ſecuto; quia tunc eſt ratio permittendi minus malum propter majus bonum, vel ſi non æquivaleat, & ſit cauſa ſolum per accidens; vel leviter ſolum influens

Digitized by Google

quia tunc minor requiritur ratio; modo non cedat in damnum tertii; quia illud ex charitate debet impediri. Eo major autem requiritur ratio, quo majus eſt malum, vel quo propinquius cauſa influit; ſic major requiritur pro cauſa per ſe, quam per accidens, major, ſi ſine ea effectus malus non fieret, quam ſi tamen fieret, major ſi cedat in damnum tertii, quam ſi ſit contra aliam virtutem.

Hinc 1. Rixæ, blaſphemiæ, pollutiones &c. moraliter, ac peccaminoſe ſunt voluntariæ ſe voluntarie inebrianti, & ſcienti eas ex ebrietate ſæpe fuiſſe ortas. 2. Lapſus proximi imputatur mulieri ſinu indecenter nudo incedenti. 3. Mors Medico, qui illam ex medicina data ſecuturam prævidere, ac præcavere potuiſſet, & debuiſſet melius ſtudendo; quia prædicta mala licet præter intentionem ſint ſecuta, potuerunt, ac debuerunt vitari; non vero mors imputatur medico inculpate illam non prævidenti; quia non potuit impedire, nec lapſus proximi, mulieri pulchritudine ſua, honeſtoque ornatu cauſatus; nec motus carnis ex honeſto ac utili colloquio cum muliere orti; quia cum ſint cauſæ per accidens, non debent evitari, nec motus inordinati Medico, Chirurgo, Infirmario, Profeſſori, Confeſſario &c. quos medendo circa partes inhoneſtas, vel ſtudendo, docendo, confeſſiones audiendo de materia luxuriæ, contra intentionem, ac invite ſentiunt; nec pollutio ſupinus decumbenti non aliter dormituro, vel equitando neceſſario, vel utiliter, aut per certos cibos ordinarie apponi ſolitos contra intentionem cauſata; quia licet poſſint, non tenentur tamen evitare cauſam ordinatam ad alium effectum bonum prævalentem, pollutioni contra voluntatem ſecutæ: modo, ut ſemper ſupponitur, diſpliceat, & abſit periculum conſenſus. Nec imputatur mors injuſta Chriſto, ac Apoſtolis ex prædicatione Evangelii præcognita, nec Regi occiſio innocentium ex juſto bello prævifa, nec duellum Fabricanti gladios, & ſcienti milites, ac alios ſæpe ad illud fore abuſuros, quia non iſta mala, ſed bonum prævalens intenditur; nempe ſalus animarum, ac juſtitia per arma reparanda, vel defendenda. *Plura vid. de luxur.*

QUÆR. 6. *Quale ad actum ab alterius conſenſu dependentem requiratur voluntarium, ut licite, vel valide fiat?*

Dico. Ad actum cujus liceitas ab alterius conſenſu v.g.

ſupe-

ſuperioris dependet, ſufficit voluntarium illius virtuale, vel tacitum; imo aliquando etiam interpretativum, quando nimirum cauſa eſt urgens, & recurſus ad ſuperiorem difficilis; in re tamen magni momenti non urgente, & recurſum ad ſuperiorem permittente, etiam expreſſum requiri videtur. Ad actum vero, ad cujus validitatem conſenſus alterius requiritur, non ſufficit voluntarium interpretativum conditionatum de futuro, ſed debet eſſe abſolutum de præſenti, ſeu tacitum.

Hinc 1. Filius familias emens veſtes ex pecuniis patris; ſervus, ſumendo aliquando hauſtum vini &c. excuſantur a furto; & religioſus utens rebus neceſſariis, a vitio proprietatis per licentiam, quam obtinuiſſet, ſi illam petiiſſet; in religionibus tamen ſtrictis hæc licentia non valet ob periculum abuſus; niſi urgente neceſſitate recurſum ad ſuperiorem non permittente, & ob hanc rationem etiam aliis, præcipue ſervis diſſuadenda eſt. 2. Confeſſarius non expreſſe approbatus excipiens confeſſiones vidente, ac ſciente Epiſcopo, non eſſe approbatum; non tamen reclamante, cum facile poſſet, valide abſolvit; quia cenſetur Epiſcopus eum actu approbare; non vero licite; quia in re tanti momenti expreſſa petenda eſt approbatio: niſi forte Epiſcopus ipſemet ei confiteatur, quia cenſetur eum clarius approbare.

QUÆSTIO II.

DE INVOLUNTARIO.

QUÆRITUR. 1. Quid, & quotuplex ſit Involuntarium?

RESP. Involuntarium eſt id, quod fit a principio extrinſeco, vel ſine cognitione: & eſt duplex, videlicet: involuntarium ſimpliciter, ſeu abſolute, quod fit totum a principio extrinſeco, vel ſine cognitione, cui voluntas nullatenus conſentit; & involuntarium ſecundum quid, quod partim fit a principio extrinſeco conſenſum extorquente, & partim ab intrinſeco conſentiente, ſed cum repugnantia; unde voluntarium tollitur, vel minuitur per violentiam, & metum; quia tollunt, vel minuunt

influxum principii intrinſeci, nempe voluntatis; & per concupiſcentiam, ac ignorantiam; quia tollunt, vel minuunt cognitionem.

QUÆR. 2. *Quid, & quotuplex ſit violentia?*

RESP. Violentia in genere eſt id, quod eſt a principio extrinſeco, paſſo, id eſt, voluntate nihil conferente; & eſt triplex: ſcilicet poſitiva, contraria, & negativa. Violentia poſitiva, quæ eſt abſoluta, vel ſtricte dicta; eſt ea, quæ fit a principio extrinſeco totis viribus reſiſtente paſſo. Contraria eſt ea, quæ fit contra inclinationem voluntatis, ipſa tamen, totis viribus non reſiſtente. Negativa eſt ea, quæ non eſt contra, neque juxta inclinationem voluntatis, ſed negative tantum ſe circa objectum habentis.

QUÆR. 3. *Quid, & quotuplex ſit Metus?*

RESP. Metus, eſt paſſio orta ex apprehenſione mali futuri, & imminentis; & eſt duplex: gravis, & levis. Metus levis, eſt quando timetur malum leve, vel etiam grave; attamen veriſimiliter non imminens. Metus gravis eſt quando timetur malum grave imminens. Metus gravis, alius eſt gravis abſolute, qui etiam cadens in conſtantem virum dicitur, qui ex apprehenſione alicujus mali per ſe gravis oritur, quo etiam vir conſtans moveri ſolet; talis eſt metus mortis, mutilationis, longi carceris, exilii, oppreſſionis honeſtæ fœminæ amiſſionis omnium bonorum, ſtatus, famæ &c. dummodo metum incutiens, 1. ſit potens; 2. ut credatur malum probabiliter exequi. 3. ut timens non poſſit reſiſtere. Alius eſt metus reſpective gravis, quo timetur malum non per ſe grave, ſed tantum reſpective ad fragibilitatem perſonæ, quo vir conſtans quidem non moveretur, merito tamen formidandum apparet perſonis natura timidis, quales ſunt fœminæ, ſenes, pueri, &c. ad hunc merito videtur revocandus metus reverentialis, ſeu timor habendi parentem, aut ſuperiorem diu, ac graviter offenſos, maxime ſi præceſſerint verbera, aut minæ rigidæ tractationis.

QUÆR. 4. *Quid ſit concupiſcentia, & quotuplex?*

RESP. Concupiſcentia hic ſumitur pro paſſionibus, & definitur: motus appetitus ſenſibilis ex apprehenſione boni & mali ſenſibilis oriens cum aliqua corporis alteratione; v. g. vultus, vocis, &c. ut patet in ira, ac gaudio, & ſunt undecim, ſex appetitus concupiſcibilis, qui verſatur

ſatur circa bonum proſequendum, & malum fugiendum ſimpliciter: nempe deſiderium, gaudium, amor, dolor, fuga, odium. Et quinque appetitus iraſcibilis, qui verſatur circa bonum proſequendum, & malum fugiendum, cum aliqua difficultate, nimirum ſpes, audacia, deſperatio, timor, ira. Concupiſcentia, alia eſt antecedens, quæ præcedit voluntatis conſenſum, quem allicit; alia conſequens, quæ excitatur, ſeu imperatur a voluntate.

QUÆR. 5. Quid, & quotuplex ſit ignorantia?

RESP. Ignorantia ſtricte, eſt carentia ſcientiæ debitæ. Alia eſt juris, qua lex, vel præceptum ignoratur; v. g. an affinitas ſit impedimentum matrimonii. Alia facti, qua aliquod factum, aut facti circumſtantia ignoratur, v. g. an uxor ſit affinis. Ignorantia alia eſt invincibilis, quæ adhibita ſufficienti diligentia non potuit vinci. Alia antecedens, quæ omnino antecedit conſenſum voluntatis, ita ut nullo modo ſit volita, & tamen eſt cauſa volendi id, quod ſciens non vellet. Differt ab invincibili; quia non omnis invincibilis eſt cauſa volendi id, quod ſciens non vellet. Alia concomitans, quæ concomitatur effectum, non tamen eſt ipſius cauſa; quia adhuc fieret, ſi abeſſet; ſic ignorans occidens inimicum, eum ſciens tamen occidiſſet. Alia vincibilis, quæ potuit ac debuit vinci, nempe ſtudio, ac diligentia. Alia conſequens, quæ ſequitur voluntatem, & eſt volita directe, vel indirecte in ſua cauſa; differt a vincibili; quia eſt cauſa, cur aliquid fit, non vero ſemper vincibilis. Et eſt duplex nempe affectata, qua quis expreſſe vult ignorare, ut liberius peccet. Et craſſa ſeu ſupina, qua quis negligit ſcire, quæ poteſt, ac tenetur ſcire, & eſt gravis, vel levis pro gravitate, vel levitate diligentiæ omiſſæ.

QUÆR. 6. Quid, & quotuplex ſit ignorantia mere actualis?

RESP. Ignorantia mere actualis, eſt carentia actualis cognitionis rei alias notæ; & eſt triplex; videlicet, 1. Inadvertentia, quæ eſt privatio attentionis actualis. 2. Inconſideratio, quæ eſt privatio debitæ inſpectionis. 3. Oblivio, quæ eſt privatio recordationis rei alias cognitæ, & poteſt eſſe vincibilis, & invincibilis; eſt invincibilis, quando non potuit, nec debuit vitari, quando nimirum nulla notitia majoris advertentiæ, vel conſiderationis adhibendæ, vel ratio dubitandi occurrerit; eſt vero vincibilis, in quattruplici caſu; 1. Cum agens advertit opus,

quod aggreditur, plus mereri attentionis, vel conſiderationis, quam adhibet. 2. Cum agens vult aliud, quod cum ſeria rei faciendæ conſideratione cohærere nequit, v. g. ſtudere, dum audit miſſam. 3. Cum ſe non exuat defectu advertentiam, vel conſiderationem impediente; v. g. præcipitatione, negligentia in agendo, &c. 4. Cum quis non adhibet moralem diligentiam, quam videlicet vir prudens in ſuis negotiis adhibere ſolet.

QUÆR. 7. Quotuplici modo lex naturalis conſiderari poſſit?

RESP. Lex naturalis poteſt conſiderari tripliciter. 1. Quoad prima principia, & univerſaliſſima, v. g. bonum eſt amandum; malum fugiendum; quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. 2. Quoad proximas concluſiones, quæ ex primis principiis facili diſcurſu deducuntur; ut non occides, non mœchaberis. 3. Quoad concluſiones remotas, quæ non niſi longo, & difficili diſcurſu ex primis principiis deducuntur; ut quidam contractus uſurarii &c.

QUÆR. 8. Quomodo violentia tollat voluntarium?

Dico. Violentia poſitiva, ſeu abſoluta ſimpliciter tollit voluntarium, & excuſat a peccato; contraria illud minuit, ac peccati malitiam in eadem ſpecie; negativa vero non minuit, ſed cauſat voluntarium negativum, quando nimirum poteſt, & tenetur poſitive reſiſtere, ut in materia luxuriæ; quia violentia poſitiva omnino tollit influxum voluntatis, & contraria minuit, non vero negativa. Nec poteſt violentia inferri voluntati, quoad actus elicitos; quia ſunt eſſentialiter a principio intrinſeco, nempe voluntate, & ſunt ipſius inclinatio in ſuum objectum; bene autem quoad actus imperatos; quia poſſunt vi promoveri, vel impediri contra voluntatis imperium.

Hinc 1. Non peccat mulier interius, exteriuſque ſtupratori totis viribus reſiſtens; bene autem, ſi ſolum interius reſiſtat, vel exterius; ſed non totis viribus fugiendo, repugnando, clamando, etiam cum famæ, ac vitæ periculo, ſi eſſet periculum conſenſus, & ſpes evaſionis: quia eſt intrinſece malum. Non tenetur tamen clamare cum periculo vitæ, ac famæ ſecluſo periculo conſenſus, vel ſi non eſſet ſpes evaſionis, nec occidere invaſorem; imo nec licet eum occidere. S. Aug. *vid. de reſtit.* 2. Non excuſatur a mortali, pravis cogitationibus, vel motibus carnis non poſitive reſiſtens ad alia ſe divertendo quam primum eorum, ac periculi cognitionem habet;

bet; quia poteſt, ac tenetur ob periculum conſenſus reſiſtere.

QUÆR. 9. *Quomodo metus tollat voluntarium?*

Dico. Metus etiam gravis, ſi rationem non omnino conturbet, non tollit voluntarium; quia adhuc fit a principio intrinſeco; minuit tamen voluntarium, & facit involuntarium ſecundum quid? quia eſt contra inclinationem voluntatis; & excuſat a peccato. 1. In præceptis humanis civilibus. 2. In eccleſiaſticis. 3. In divinis poſitivis, ſecluſo contemptu fidei, ſcandalo, ac maximo reipublicæ damno; quia legislator cum gravi metu non intendit obligare. Non vero excuſat in præceptis divinis negativis, & naturalibus, quarum tranſgreſſio eſt intrinſece mala; quia nullo fine cohoneſtari poteſt: talia ſunt mendacium, homicidium, blaſphemia, perjurium, adulterium, fornicatio. Metus levis autem minuit peccatum in eadem ſpecie; quia etiam minuit voluntarium.

Hinc: a peccato excuſantur. 1. Ex metu mortis fugiens, & fugiendo non ſolvens vectigalia. 2. Celebrans non jejunus, vel cum cenſura, aut ſine veſtimentis ſacris, conficiens ſacramenta in materia dubia. communicans cum excommunicato non tollerato. 3. Sabbatum ſolvens; materialiter peccato cooperans, v. g. admovendo furi ſcalam parato ad furandum, ſternendo lectum meretrici, dando enſem parato ad occidendum. *Valent. Tann. & alii*; quia non ad malum perpetrandum, ſed ad vitam ſalvandam fiunt. Non tamen ſufficit ad ſimilia metus levis, v.g. ne ſervus ab hero male tractetur, torvis oculis aſpiciatur, e domo cum notabili damno ejiciatur. *Innoc. XI. in damn. prop.* 51. nec excuſatur, qui ad ſalvandam vitam mentitur, ex metu mortis occidit innocentem, blaſphemat, perjurat, adulterat, fornicatur &c. quia ſunt intrinſece mala. Nec excuſatur celebrans veſtibus nimium ſordidis, vel in calice nimis immundo. *Car. a Crem.* quia magna eſſet irreverentia, quæ videtur intrinſece mala. Nec miles derelinquens excubias cum magno communitatis damno; nec legem tranſgrediens, vel illius tranſgreſſionem ſimulans cum ſcandalo; nec dans ſimulate abſolutionem indiſpoſito. *Innocent. XI. in damn. propoſ.* 29. nec baptiſmum urgente præcepto, vel extrema neceſſitate ſuſcipere; vel conferre omittens, etiamſi adultus de contritione moraliter eſſet certus. *P. Gerv.* licet aliqui alii ſint contrarii,

quia

quia ſe, vel proximum periculo æternæ damnationis exponeret & in tali neceſſitate medium certum probabili videtur præferendum.

QUÆR. 10. *An metus irritet contractum?*

Dico. Metus qualiſcunque, ſi rationem non omnino conturbet, non irritat contractum, ſed metu etiam gravi initus, jure naturæ eſt validus; quia eſt voluntarius: poteſt tamen reſcindi ab eo, qui paſſus eſt injuriam propria auctoritate, vel ope judicis; ſi 1. ex metu gravi; 2. ad extorquendum conſenſum; 3. a cauſa libera; 4. injuſte incuſſo ſit initus; teneturque injuſte eum incutiens, injuſte acquiſita reſtituere & reſarcire damnum; quia alteri facit injuriam. Contractus vero ex metu levi, vel etiam precibus nimium importunis initus, irritari poteſt, ſaltem in foro conſcientiæ, dummodo metus vere ſit cauſa contractus, & alias conditiones ſupradictas habeat; ſi tamen contractus juramento eſſent firmati, debet prius juramentum relaxari ab Epiſcopo, vel ab alio habente poteſtatem.

Hinc 1. Metu naufragii vovens religionem, tenetur illam ingredi; quia non eſt a cauſa libera. 2. Tranſiens ſylvam metu latronum promittens ſocio centum taleros, ne eum derelinquat, tenetur eos ſolvere; quia non eſt incuſſus in hunc finem. 3. Maritus minans adultero, vel ſtupratori filiæ ſuæ, accuſationem, niſi ſolvat mille libellas pro injuria, & damno, poteſt illas retinere; quia metus non eſt injuſtus; modo ſatisfactio petita proportionata ſit injuriæ, ac damno; ſic etiam ſponſus, & ſponſa aliquando juſte compelluntur metu cenſurarum, & aliarum pœnarum ad contrahendum matrimonium promiſſum.

QUÆR. 11. *An nulli contractus, ex metu gravi initi, ſint ipſo jure poſitivo invalidi?*

Dico. Licet omnes contractus ex metu etiam gravi initi, jure naturæ ſint validi; ſequentes tamen ipſo jure poſitivo ſunt irriti: nimirum 1. Contractus matrimoniales, etiam juramento firmati. 2. Dotis promiſſio, & ſolutio. 3. Vota etiam ſolemnia. 4. Bonorum Eccleſiaſticorum promiſſio, ac ſolutio. 5. Abſolutio, vel revocatio excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti. 6. Auctoritas tutoris extorta. 7. Remiſſio debiti. 8. Legatum, ac teſtamentum. 9. Juriſdictio, quam partes dant judici. 10. Contractus ab incarcerato initi; ex metu autem levi, vel ob

ob preces nimium importunas initi in foro ſaltem conſcientiæ reſcindi poſſunt, excepto matrimonio, voto ſolemni, & ordine; quia in re tanti momenti, ex ejus irritatione innumera gravia incommoda eſſent ſecutura, & metus levis merito repelli debuiſſet.

QUÆR. 12. *Quomodo concupiſcentia tollat voluntarium?*

Dico. Concupiſcentia antecedens ex una parte auget voluntarium; quia majori fit cognitione, ac propenſione appetitus ſenſitivi voluntatem vehementiſſime ſecum trahentis, & ex altera parte minuit; quia minori fit cognitione intellectus, ac deliberatione voluntatis; ideoque minuit liberum, & peccatum, & aliquando omnino tollit; quia aliquando uſu rationis etiam omnino privat. Concupiſcentia vero conſequens auget voluntarium, ac liberum ſaltem moraliter, ac proinde etiam peccati malitiam; quia majori niſu inſequitur objectum pravum, excitando in ſe concupiſcentiam, vel pravos fovendo habitus in malum.

Hinc 1. Motus, qui primo primi dicuntur, qui ſine rationis advertentia, & voluntatis conſenſu exurgunt, ut motus iræ, vel etiam occiſio ex improviſa, & gravi injuria exorta, non ſunt peccata. 2. Motus ſecundo primi, ad quos advertit ratio, & voluntas conſentit, minuunt peccatum aliquando in eadem ſpecie peccati mortalis, remanente nimirum plena advertentia, & conſenſu; aliquando minuunt, ita, ut ex mortali fiat veniale, deficiente videlicet plena advertentia, & conſenſu. 3. Peccata ex concupiſcentia conſequente, vel habitu ſponte nutrito ſunt graviora; econtra ex habitu involuntario ſunt leviora pro qualitate advertentiæ, & conſenſus.

QUÆR. 13. *Qualis detur ignorantia?*

Dico. Datur ignorantia invincibilis facti, ac juris poſitivi, non ſolum humani, & divini, ac myſteriorum fidei, etiam neceſſariorum neceſſitate medii; quia multis non ſunt ſufficienter annuntiata; ſed etiam juris naturalis quoad concluſiones remotas; quia viri etiam doctiſſimi ac ſancti de illis diſſentiunt: non vero circa prima principia, & concluſiones eorum proximas; quia prima principia ſunt per ſe nota, & proximæ eorum concluſiones facili diſcurſu agnoſci poſſunt.

QUÆR. 14. *Quomodo ignorantia tollat voluntarium?*

Dico. Ignorantia antecedens, ac invincibilis etiam Juris naturalis tollit voluntarium ſimpliciter, & ab omni ex-

cuſat

cuſat peccato; quia fit ſine cognitione, & inclinatione voluntatis in malum. Ignorantia vincibilis affectata voluntarium, & peccatum auget; quia majori fit deliberatione, & affectu liberius peccandi; craſſa vero, ſeu ſupina voluntarium, ac peccatum in eadem ſpecie minuit; quia eſt aliquo modo contra voluntatis inclinationem, & ea abſente, malum non fieret. Ignorantia concomitans, nec voluntarium facit; quia fit ſine cognitione, nec involuntarium ſaltem poſitive vel contrarie; quia non fit contra voluntatis inclinationem, ſed involuntarium negative; quia fit ſine cognitione requiſita ad voluntarium; eſt tamen peccaminoſa propter pravum affectum, & malitiam ignorantiam concomitantem.

Hinc 1. Non imputatur medico non conducto, vel confeſſario &c. defectus in ſuis officiis commiſſi diligentiam moralem in iis, vel pro ſcientia requiſita adhibentibus, quam nimirum homo prudens in ſuis negotiis adhibere ſolet, licet majori diligentia illos evitare potuiſſent, quam nemo, niſi ex contractu pretio conductus, adhibere tenetur; nec ſummam, quæ ſolum ex conventione, vel in re ſummam diligentiam exigente, impendi debet. *Vide de Contr.* imputantur vero moralem omittentibus. 2. Occidens cum ignorantia concomitante inimicum pro fera, licet ob malum affectum graviter peccare poſſit, non tamen eſt reus homicidii, nec incurrit cenſuras homicidio annexas; quia opus externum, cum non ſit præcognitum, non eſt voluntarium. 3. Expreſſe non aſſiſtens Miſſæ parochiali, ne jejunii promulgationem audiat, non jejunando gravius peccat. 4. Ignorantes cenſuras etiam culpabiliter, ignorantia craſſa, ſeu ſupina, eas non incurrunt, ſi ſint contra temerarie, vel audacter transgredientes latæ; quia non cenſentur temerarii, vel audaces; bene autem, ſi ignorantia ſit affectata; nec in confeſſione addendum peccatum eſſe ex ignorantia commiſſum; quia non addit novam ſpeciem, nec notabiliter aggravat.

QUÆR. 15. *Quomodo ignorantia mere actualis tollat voluntarium?*

Dico. Ignorantia mere actualis, videlicet inadvertentia, inconſideratio, & oblivio, ſi ſint invincibiles, tollunt voluntarium, & excuſant a peccato; quia cognitionem ad voluntarium eſſentialiter requiſitam excludunt; ſi vero ſint vincibiles, minuunt tantum voluntarium, & peccatum in eadem

dem

dem ſpecie, vel in diverſa pro qualitate negligentiæ commiſſæ. *Hinc* 1. Non peccat die Veneris manducans carnes, vel partem officii omittens, nulla occurrente cognitione jejunii, vel dubio obligationis nondum ſatisfactæ; peccat vero in utroque caſu occurrente aliqua obſcura jejunii notitia, vel dubio obligationis breviarii non ſatisfactæ, eoque non prudenter depoſito. 2. Non excuſantur Medici, Advocati, Judices &c. ſæpius experti, nimia ſua præcipitatione, vel negligentia, grave proximo eveniſſe damnum, non exuendo ſe talibus defectibus: Quia inconſideratio, & inadvertentia, quibus damnum infertur, poſſunt, & debent vinci.

QUÆSTIO III.

DE LIBERO.

QUÆRITUR. 1. Quid, & quotuplex ſit libertas?

RESP. Libertas in genere, eſt immunitas a ſervitute, & præcipue dividitur in libertatem a coactione, ſeu ſpontaneitatis, quæ eſt immunitas ab omni violentia contra voluntatis propenſionem ab extrinſeco illata; ut amor beatorum; & in libertatem a neceſſitate ſimplici; quæ etiam electionis, indifferentiæ, ſeu arbitrii dicitur, & eſt, potentia activa, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis poteſt ex ſe agere, vel non agere, vel ponere contrarium, aut quid aliud non oppoſitum. Unde libertas indifferentiæ triplex eſt, nempe contradictionis, vel exercitii, quæ eſt potentia agendi, vel non agendi, ut amandi, vel non amandi; & contrarietatis, ſeu ſpecificationis, quæ eſt potentia agendi, vel ponendi contrarium, ut amandi, vel odio habendi; & diſparitatis, quæ eſt potentia hoc, vel illud agendi, ſed non contrarium; ut amandi, vel ſtudendi, non vere odio habendi. Sola libertas contradictionis eſt eſſentialis, non vero contrarietatis, vel diſparitatis.

QUÆR. 2. Quid, & quotuplex ſit neceſſitas?

RESP. Neceſſitas opponitur libertati, & eſt determinatio ad unum. Alia eſt antecedens, ſeu abſoluta, quæ rationis, ac voluntatis uſum antecedit, quæ etiam conſequen-

quentis dicitur. Alia conſequens, quæ liberam voluntatis determinationem ſequitur, quæ etiam neceſſitas conſequentiæ vocatur. Alia ſpecificationis, quæ determinat voluntatem ad unum, ita, ut non poſſit ferri in oppoſitum; v. g. ad bonum, ita ut non poſſit velle malum. Alia exercitii, quæ determinat voluntatem ad actum, ita ut ab eo non poſſit abſtinere. Alia phyſica, quæ determinat voluntatem ad unum, ita, ut hic, & nunc non poſſit velle aliud. Alia moralis, quæ determinat voluntatem ad unum, ita ut ſine magna difficultate non poſſit velle aliud; uti eſt inveterata conſuetudo.

QUÆR. 3. Qualis detur in homine libertas?

Dico. Datur in homine, etiam in ſtatu naturæ lapſæ, vera libertas ad bonum, & malum, non ſolum a coactione, ſed etiam a neceſſitate ſimplici, quæ etiam ad merendum, & demerendum in eodem ſtatu naturæ lapſæ requiritur; nec ſufficit libertas a coactione: ita fides docet contra Luth. & Janſ. Potentia tamen peccandi, ſeu libertas contrarietatis non eſt de eſſentia, quia Chriſtus fuit eſſentialiter liber, & tamen impeccabilis; pertinet autem ad ſtatum hominis puri, & viatoris; quia ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. *Eccleſ.* 15. nec voluntas neceſſario ſequitur judicium intellectus practice practicum, alias non eſſet libera, poſitis omnibus ad agendum requiſitis.

QUÆSTIO IV.

DE MORALITATE ACTUUM HUMANORUM.

QUÆRITUR. 1. Quid, & quotuplex ſit moralitas actuum humanorum?

RESP. Moralitas actuum humanorum eſt dirigibilitas actus liberi ad ſuam regulam; actus vero moralis eſt actus humanus conformis, vel deformis, regulis morum, & eſt triplex ſpecies moralitatis: videlicet 1. Bonitas, quæ eſt conformitas actus cum regulis morum quoad objectum, finem, & circumſtantias. 2. Malitia, quæ

quæ eſt deformitas actus cum iiſdem regulis morum, quoad objectum, vel quoad finem: vel quoad circumſtantias, ita, ut ſi deficiat in uno, malus ſit, juxta illud B. Dionyſii axioma: *bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu*. 3. Indifferentia, quæ eſt actus nec bonus, nec malus moraliter, vel in ſpecie, id eſt in ordine ad objectum ſpectatus; ſeu individuo, id eſt in ordine ad finem, & circumſtantias conſideratus.

QUÆR. 2. Quid, & quot ſint principia moralitatis?

RESP. Principia moralitatis, ſunt id, a quo actus bonus, aut malus dicitur. Alia ſunt intrinſeca: videlicet objectum, finis, & circumſtantiæ. Alia extrinſeca, quæ regulæ moralitatis dicuntur: & ſunt natura rationalis prout rationalis eſt, lex æterna, lex naturalis, recta ratio, & conſcientia. Natura rationalis, prout rationalis eſt, ipſa eſt natura, prout eſt intellectiva, volitiva, & libera. Lex æterna eſt ipſa voluntas Dei, qua aliquid a nobis vult fieri, aut omitti. Lex naturalis eſt ipſa lex æterna, prout nobis per rectam rationem intimata, & promulgata eſt. Recta ratio eſt judicium intellectus a cognitione legis æternæ derivatum, dictans in communi, quid bonum, aut malum ſit: quatenus autem cuique, conſideratis omnibus circumſtantiis, in particulari dictat, quid agendum ſit, conſcientia dicitur, de qua infra.

QUÆR. 3. Quid ſit objectum, finis, & circumſtantia?

RESP. 1. Objectum hic ſumitur pro eo, quod primario, & per ſe actu attingitur, prout a fine, ac circumſtantiis diſtinguitur, & poteſt concipi ſecundum ſuum eſſe phyſicum, nempe ſecundum ſe materialiter conſideratum, vel ſecundum ſuum eſſe morale, id eſt, prout eſt conforme, vel deforme regulis morum. 2. Finis, eſt id, cujus gratia aliquid fit, & eſt duplex: alius enim eſt intrinſecus, ſeu operis, in quem opus tendit ex natura ſua; ſic finis elemoſinæ eſt ſublevatio pauperis. Alius intrinſecus, ſeu operantis, quem operans ſibi proponit; v. g. ſatisfactionem pro peccatis per elemoſinam.

3. Circumſtantia definitur a S. Thoma: accidens actum humanum circumſtans. Alia eſt ſpeciem mutans quæ novam actui addit ſpeciem, quod fit in duplici caſu. 1. Quando actus propter aliquam circumſtantiam opponitur alicui virtuti, vel præcepto, cui ſine illa non opponeretur, ut occiſio in Eccleſia facta. 2. Quando actus eidem

vir-

virtuti, vel præcepto ob circumſtantiam quidem opponitur, ſed diverſo modo, ſic fornicatio Sacerdotis in Eccleſia opponitur ratione circumſtantiæ perſonæ, & loci, diverſo modo religioni, & triplex eſt peccatum: alia eſt aggravans, vel minuens, quæ malitiam actus auget, vel minuit in eadem ſpecie peccati mortalis; ſi enim ex veniali fiat mortale, mutat ſpeciem duntaxat theologice, ſeu demeritorie; ſic furtum majoris, vel minoris quantitatis. Circumſtantia alia eſt formalis, quæ ſe tenet ex parte actus, ut intenſio, duratio &c. Alia objectiva, quæ ſe tenet ex parte objecti; tales ſunt circumſtantiæ perſonæ, rei, mediorum, finis, modi, & temporis, quæ hoc verſu continentur.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando,

1. *Quis*: denotat perſonam, an ſit conjugata, vel conſanguinea, cum qua quis peccavit? 2. *Quid*: denotat qualitatem, vel quantitatem rei, an furto ablata ſit ſacra, vel notabilis? 3. *Ubi*: denotat qualitatem loci, an ſit ſacer, Eccleſia, vel cœmeterium, in quo homicidium eſt commiſſum? 4. *Quibus auxiliis*: denotat media, & inſtrumenta; an ope dœmonis, vel re ſacra uſus ſit ad peccandum? 5. *Cur*: denotat finem, de quo ſupra. 6. *Quomodo*: denotat modum, an vi, rem, vel virginem rapuerit? 7. *Quando*: denotat durationem, vel qualitatem temporis, an in die feſto, & per notabile tempus in Miſſa fuerit voluntarie diſtractus?

QUÆR. 4. An dentur actus indifferentes?

Dico. Dantur actus ſupernaturaliter indifferentes. *P. Gerv. & alii contra alios*; quia nullum datur præceptum referendi omnes omnino actus noſtros in finem ſupernaturalem, alias omnes actus infidelium, & opera tantum moraliter bona eſſent peccata, quod damnatum eſt a Gregorio XIII. contra Mich. Bajum., & Joan. Hus; niſi cum Billuart velis dicere, in bono honeſto relationem in Deum virtualiter contineri. Dantur etiam actus indifferentes moraliter in ſpecie, id eſt, quoad objectum; quia datur objectum in ſe indifferens, ut ambulare, non autem dantur actus indifferentes in individuo; quia homo tenetur omnes ſuos actus referre ad finem honeſtum, cum teneatur agere ut homo, ut differat a brutis, & juxta exigentiam naturæ ſuæ rationalis, qui finis honeſtus eſt, nec licet ei agere propter bonum delectabile more brutorum.

rum. *Innoc. XI. in damnatione propoſit. VIII. & IX.* ac proinde propter bonum honeſtum, cum utile non finalizet.

QUÆR. 5. *Quænam ſit primaria, & radicalis bonitatis, ac malitiæ regula?*

Dico. Primaria, & radicalis bonitatis, ac malitiæ regula eſt natura rationalis, ut rationalis eſt; quia ideo lex æterna, & aliæ regulæ aliquid prohibent; v. g. fornicationem, & matrimonium permittut, quia fornicatio diſconvenit naturæ rationali, ut rationalis eſt, & matrimonium convenit naturæ rationali, ut rationalis eſt. Lex vero æterna, lex naturalis, recta ratio, ac conſcientia, ſecundariæ ſunt moralitatis regulæ, quarum proxima eſt conſcientia; quia proxime, & immediate alias regulas ad actum applicat.

QUÆR. 6. *Unde deſumatur primaria intrinſeca, & ſpecifica actuum humanorum moralitas?*

Dico. Primaria intrinſeca, & ſpecifica actuum homanorum moralitas deſumitur ab objecto ſecundum ſuum eſſe morale ſpectato, prout conforme, vel difforme eſt naturæ rationali, ut rationalis eſt: qui actus, ut furtum, & adulterium per objecta ſpecie differunt.

QUÆR. 7. *Unde deſumat actus indifferens, vel ex objecto, bonus, vel malus, ſecundariam, vel novam moralitatem?*

Dico. Actus humanus ex objecto indifferens, ſumit bonitatem ſpecificam, aut malitiam a fine bono, vel malo agentis, & circumſtantiis. Actus vero ex objecto bonus, vel malus novam, ſpecie, acquirit bonitatem, vel malitiam accidentalem a fine operantis, ſi ſpecie differat a bonitate, & malitia objecti; & a circumſtantiis ſpeciem mutantibus; a circumſtantiis vero aggravantibus bonitatis duntaxat, aut malitiæ augmentum, vel diminutionem in eadem ſpecie: quia actus acquirit per finem, & circumſtantias ſpeciem mutantes novam, ſpecie diſtinctam, & per aggravantes majorem ſolum convenientiam, vel diſconvenientiam ad regulas morum.

Hinc 1. Ambulatio ex objecto indifferens propter ſanitatem peracta, eſt bona ratione finis honeſti; ob meram delectationem, vel cum neglectu Miſſæ, eſt mala ratione finis inhoneſti, & circumſtantiæ temporis ad aliud obligantis. 2. Furtum ad fornicandum factum, præter ſpeciem furti ex objecto, habet ſpeciem fornicationis propter finem. 3. Sacerdos peccans cum conſanguinea uxo-

rata, præter peccatum luxuriæ, committit ſacrilegium ratione circumſtantiæ perſonæ ſacræ, & adulterium ratione perſonæ ligatæ, & inceſtum ratione conſanguineæ. 4. Auferens calicem etiam extra Eccleſiam, ut in domo ſacriſtani, vel aliam rem ad Eccleſiam pertinentem, vel illius cuſtodiæ traditam, ita, ut pro ea ſit reſponſabilis, præter furtum committit ſacrilegium ratione rei ſacræ, vel injuriæ Eccleſiæ factæ. 5. Homicidium, vel furtum rei profanæ in Eccleſia, vel cœmeterio factum, præter ſpeciem homicidii, vel furti, aliam habet ſacrilegii; quia ſanctitati loci ſpecialiter repugnat. 6. Decipiens puellam philtro, præter peccatum luxuriæ, committit ſuperſtitionem propter circumſtantiam medii. 7. Auferens vi rem alienam ad mœchandum, præter furtum, committit adulterium ratione finis, & rapinam ratione modi. 8. Voluntarie diſtractus notabiliter in Miſſa die Dominica, præter irreverentiam erga ſacrificium, peccat contra Eccleſiæ præceptum, ratione temporis per Miſſam ſanctificandi, & graviter ratione durationis illius notabilis.

QUÆR. 8. *An actus ex objecto, malus, bono fine cohoneſtari, vel ex objecto, bonus, malo fine, vel circumſtantiis, ſeu alio defectu vitiari poſſit?*

Dico. Actus ex objecto malus, nullo bono fine cohoneſtari poteſt; quia bonum ex integra cauſa; licet ejus malitia poſſit honeſto fine minui; quia minori fit in peccatum affectu. Actus vero ex objecto, bonus, ob finem mortaliter, vel etiam venialiter malum, totus vitiatur; quia malum ex quolibet defectu. Nec actus bonus imperari poteſt ab actu malo; quia non poteſt arbor mala bonos fructus facere. *Matth.* 7. Circumſtantia tamen, vel defectus venialiter tantum malus, actui bono adveniens, vel eum concomitans, non totam ejus deſtruit bonitatem; quia in actum non influit, cauſa, vel finis.

Hinc 1. Peccat, qui mentitur ad ſalvandam innocentis vitam, licet finis ſit bonus; minus tamen illo, qui ex levitate mentitur. 2. Jejunium, vel oratio ex vana gloria facta, eſt tota vitioſa; confeſſio, cujus omnes partes ex vana gloria ſunt imperatæ, eſt tota ſacrilega. Econtra vero vana gloria jejunio, bono fine incepto adveniens, leve tœdium, vel negligentia orationem concomitans, non totam utriuſque tollunt bonitatem, ac meritum; quia vana gloria, ut finis, eſt cauſa actus, & intrinſece eum

aſſi-

afficit; non vero concomitanter tantum ſe habens, nec alii defectus.

QUÆR. 9. An Actus externus augeat bonitatem, vel malitiam actus interni?

Dico. Actus externus non auget per ſe bonitatem, aut malitiam actus interni ex parte voluntatis efficacis, nec minuitur bonitas, vel malitia, licet voluntas impedita ad opus non prodeat externum; quia actus externus nullam habet libertatem diſtinctam a libertate actus interni, quæ eſt principium moralitatis; ſed ſolum aliquando per accidens auget moralitatem actus interni ratione ſcandali, majoris intenſionis, durationis, vel difficultatis ſuperandæ, quibus actus internus ſimul augetur; ideoque excommunicatio, irregularitas, obligatio reſtitutionis, per ſolum actum internum ſine externo non incurruntur.

QUÆR. 10. Quomodo voluntas humana, ut ſit bona, debeat conformari voluntati divinæ.

Dico. Voluntas humana, ut ſit bona, ac recta, debet generaliter conformari divinæ voluntati; quia voluntas divina eſt bonæ voluntatis humanæ regula; non quidem ſemper in volito materiali, quod eſt ipſa res a Deo volita; quia nemo tenetur velle combuſtionem propriæ domus, famem, morbum, &c. niſi voluntas Dei circa materiale innoteſcat præcepto, vel prohibitione; quia voluntas Dei præcipiens, obligat ad volendum, & agendum, & prohibens, ad nolendum. Imo aliquando nec licet velle, quod Deus vult, nempe ſolum permiſſive, ut peccatum; vel quod Deus vult ob rationes ſuperiores, ut mortem proprii parentis, jacturam bonorum proximi; quia lex charitatis hæc prohibet: bene autem debet conformari volito formali, id eſt rationi Dei volendi, quæ eſt bonum commune totius univerſi prout ordinatur ad ipſum Deum & gloriam ipſius; quia voluntas humana, ut recta ſit, debet velle bonum commune, & divinum, ac proinde volitum a Deo ſub hac ratione, & formalitate: non vero prout eſt nocivum ſpiritualiter, vel etiam corporaliter proximo.

QUÆSTIO V.

DE CONSCIENTIA.

QUÆRITUR. 1. Quid ſit conſcientia.

RESP. Conſcientia, eſt actus intellectus practici, dictantis, quid hic & nunc, ſpectatis omnibus circumſtantiis ſit faciendum, ut bonum, vel omittendum, ut malum. Differt a ſynderefi, quæ verſatur circa prima morum principia; & a prudentia, quæ ex primis principiis generales deducit concluſiones; conſcientia vero utriuſque dictamina ad actum particularem applicat; ſic v. g. ſynderefis dictat: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris;* prudentia inde in communi deducit: ergo res aliena non eſt retinenda, ſicut nollem rem meam ab alio retineri: conſcientia vero ex utroque dictamine ſynderefis, & prudentiæ in particulari practice concludit: ergo hanc crumenam pecuniæ, quam inveni, non debeo retinere, ſed ſuo proprio domino reſtituere.

QUÆR. 2. Quotuplex ſit conſcientia?

RESP. 1. Conſcientia dividitur in veram, & erroneam, & in certam, & dubiam, in ſcrupuloſam, & latam, in probabilem, & improbabilem. Conſcientia vera eſt ea, quæ dictat aliquid eſſe licitum, vel illicitum, quod revera tale eſt. Conſcientia erronea, ſeu falſa eſt ea, quæ dictat aliquid eſſe licitum, vel illicitum, quod revera non eſt. Alia eſt invincibiliter erronea, cujus error adhibita debita diligentia depelli non potuit, nec debuit. Alia vincibiliter erronea, cujus error adhibita debita diligentia depelli potuit, ac debuit; hæc eſt affectata, vel craſſa pro ratione ignorantiæ, in qua fundatur. Conſcientia certa, eſt judicium firmum ſine formidine ſaltem rationali circa bonitatem, aut malitiam actus hic, & nunc agendi. Certitudo eſt triplex, nempe metaphyſica, ſeu abſoluta, ſub qua non poteſt eſſe falſum, & quæ nec per Deum aliter eſſe poteſt, ut totum majus eſt ſua parte; vel res de fide. Phyſica, quæ ſecundum leges ordinarias aliter eſſe nequit, licet aliter eſſe poſſit ſupernaturaliter, ut combuſtio ſtupæ in igne; & certitudo moralis,

ralis; ſub qua ſine miraculo poteſt ſubeſſe falſum, debita tamen eſt adhibita diligentia, qualem vulgo ſuis in negotiis adhibere ſolent ſapientes, ut quod in jure duobus teſtibus, vel ex libro baptiſmali probatur. Certitudo moralis ſufficit pro conſcientia certa.

2. Conſcientia dubia, quæ improprie tantum conſcientia dicitur, eſt ſuſpenſio judicii circa bonitatem, aut malitiam operis hic & nunc agendi; vel quia ex neutra parte ſunt rationes ſuadentes, & tunc dicitur dubium negativum; vel quia ex utraque parte occurrunt rationes æque ponderantes, & hoc dicitur dubium poſitivum.

Dubium, ulterius dividitur in dubium juris, quo dubitatur, an aliquid ſit præceptum, vel an extet lex: & in dubium facti, quo ſciens legem dubitat, an eam impleverit. Aliud eſt ſpeculativum, quando dubitatur de re, quæ non pertinet ad mores, vel de re pertinente quidem ad mores, ſed dubitatur ſolum in communi, an ſit licita, & dicitur dubium practicum ſpeculative. Aliud eſt practice practicum, quo dubitatur, an aliqua actio cum omnibus circumſtantiis hic & nunc ſit licite ponenda; v. g. an hodie ſit jejunandum.

3. Conſcientia ſcrupuloſa, eſt ea, qua mens levibus innixa fundamentis cum anxietate judicat, vel timet in actione bona, vel indifferenti ſubeſſe malum. Scrupulus dupliciter ſumitur, 1. Pro judicio de malitia actus, futilibus innixo rationibus. 2. Pro timore inani malitiæ cum judicio abſoluto, & practico de liceitate actus juncto.

Scrupuloſus cenſetur, qui 1. Contra communem timoratorum, vel etiam confeſſarii judicium inquietus eſt. 2. Qui ſapientum conſilio nonniſi cum anxietate acquieſcit. 3. Qui confeſſionibus ſincere factis, ſemper aliquid defuiſſe credit. 4. Qui variis inquietatur cogitationibus, contra fidem, caſtitatem &c. licet eis non conſentire ſoleat, nec velit. 5. Qui levibus ex rationibus judicium mutat, pſalmos, ac verſus repetit.

Cauſæ ſcrupulorum intrinſecæ ſunt: 1. Ignorantia. 2. Cerebri infirmitas. 3. Melancholia. 4. Formidoloſa complexio. 5. Superbia, & nimius ſui ipſius amor. Et extrinſecæ ſunt: 1. Converſatio cum ſcrupuloſis. 2. Lectio librorum terribilia continentium. 3. Aſtutia dæmonis, ut ad bonum ineptos faciat. 4. Dei pro humiliatione permiſſio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Remedia ſunt: 1. cognoſcere ſe ſcrupuloſum, & ſe ad confeſſionem dubiorum, circumſtantiarum, & integritatem materialem non teneri, ut alii. 2. Scrupulis reſiſtere. 3. Cauſas ſcrupulorum amovere. 4. Confeſſarii conſilium ſequi. 5. Acquieſcere confeſſioni morali diligentia factæ. 6. Bene de Dei bonitate ſentire. 7. Orare, & ſe humiliare. 8. Medicinam etiam corporalem adhibere 9. Cum ſcrupulis non diſputare.

4. Conſcientia lata, eſt ea, qua mens ex leviſſimis rationibus, & quidem cupiditati faventibus licitum eſſe putat, quod malum eſt, vel pro levi peccato habet, quod grave communiter reputatur.

5. Conſcientia probabilis, eſt actus intellectus, qui ob motivum grave, quamvis abſolute fallibile, judicat actionem hic & nunc exercendam, eſſe licitam, vel illicitam.

6. Conſcientia improbabilis eſt actus, quo intellectus ob motivum nullius, vel levis momenti, judicat actionem eſſe licitam, vel illicitam:

7. Opinio probabilis, alia eſt intrinſece probabilis, quæ bona nititur ratione intrinſeca, nec principiis fidei, nec bonorum morum, nec alteri rationi manifeſtæ contraria eſt. Alia eſt probabilis extrinſece, quæ auctoritate ſcripturæ, traditionum, deciſionum Eccleſiæ, vel Doctorum melioris notæ, ac timoratæ conſcientiæ nititur. Alia eſt probabilior, cujus rationes, & auctoritates præponderant. Alia minus probabilis, cujus rationes & auctoritates minus præponderant. Alia æque probabilis, cujus rationes, ac auctoritates ſunt ejuſdem ponderis. Opinio, alia eſt tuta, quæ removet a periculo peccandi. Alia eſt minus tuta, quæ minus removet a periculo peccandi; alia tutior, quæ magis removet a periculo peccandi. Alia favens legi, quæ declarat legem hic & nunc obligare. Alia favens libertati, quæ eximit a lege.

8. Auctores ſunt triplicis claſſis. 1. Claſſis ſunt: SS. Patres, ac Doctores Eccleſiæ, 2. claſſis ſunt: alii eximie pii, ac docti, raro, vel nunquam in aliqua laxitate manifeſta deprehenſi. 3. claſſis ſunt alii Auctores quidem docti, arctam tamen viam Chriſti nimis latam facere conantes. Pro ſententia probabili ſufficit unus author. 1. claſſis, vel tres, aut quatuor 2. claſſis cum bona ratione, licet non convincente, ſi torrentem Doctorum,

vel

vel majorem auctoritatem, vel rationem manifeſtam non habeant contra ſe. Non vero unus ſolum 2. claſſis, vel plures in quocumque numero 3. claſſis. ſi quæſtio ſit de laxitate, vel opinione ſavente libertati. *P. Gerv.*

9. Conſcientia adhuc alia eſt obligans, quæ dictat aliquid de præcepto eſſe faciendum, vel ſugiendum. Alia conſulens, quæ dictat aliquid eſſe melius, & de conſilio tantum omittendum, vel faciendum. Alia permittens, quæ dictat aliquid nec præcipi, nec prohiberi, ſed permitti.

QUÆR. 3. Quanam conſcientia ſit proxima bonitatis, vel malitiæ regula?

Dico. Conſcientia vera, vel ſaltem moraliter certa, eſt proxima bonitatis, ac malitiæ regula, ita, ut nullus actus humanus ſit moraliter bonus, vel malus, niſi conſcientia prævie dictet directe, vel indirecte illum eſſe bonum, vel malum, vel ſaltem ei ſubeſſe periculum mali; quia qui non habet conſcientiam veram, vel ſaltem moraliter certam, ſed de honeſtate actus dubitat, vel mali ſuſpicionem habet, exponit ſe periculo peccandi; ergo peccat.

QUÆR. 4. An conſcientia erronea poſſit eſſe regula moralitatis?

Dico. Conſcientia invincibiliter erronea, nonquidem per ſe, ſed per accidens poteſt eſſe regula bonitatis, & malitiæ, cui agens ſe conformare tenetur; non autem conſcientia vincibiliter erronea, ita, ut agens contra conſcientiam invincibiliter, vel vincibiliter erroneam peccet, & quidem graviter, vel leviter, prout conſcientia dictat; quia contra utramque agendo putat ſe peccare. Conformans autem ſe conſcientiæ erroneæ excuſatur a peccato, ſi ſit invincibilis, non vero ſi ſit vincibilis, quia ignorantia invincibilis excuſat a peccato, non vero vincibilis.

Hinc 1. Judicans per conſcientiam invincibiliter, vel vincibiliter erroneam, ſe teneri ad ſalvandam innocentis vitam mentiri, non mentiendo peccat; quia putat, ſe peccare; peccat quoque mentiendo, ſi ignorantia ſit vincibilis, non vero, ſi ſit invincibilis, quia invincibilis excuſat a peccato, non vero vincibilis. 2. Judicans, ſe ſub peccato obligari audire Miſſam, & ſimul manere apud ægrotum, quod minus peccatum apparet, eligere debet;

 ſi ita

ſi ita perplexus eſſet, ut hoc diſcernere nequeat., nec alium conſulere poſſit, non peccat quidquid agit; quia non eſt moraliter liber. 3. Agens contra conſcientiam erroneam dictantem id, quod eſt indifferens, eſſe malum, non cogitando cujus ſpeciei, peccat ſaltem contra obedientiam; quia non poteſt illud apprehendere ut malum, niſi in confuſo ſaltem apprehendat ut contrarium legi, & mortaliter, ſi illud apprehendat ſaltem confuſe ut aliquid grave, quia ſe exponit periculo peccati mortalis; & venialiter, ſi ut aliquid leve; ſi autem nullo modo, nec ad levitatem, nec ad gravitatem attendat, probabilius, & communiter graviter peccaſſe cenſetur, ſi voluiſſet agere ſive grave, ſive leve apparuiſſet; leviter, ſi noluiſſet agere, ſi grave apparuiſſet, ut dicetur infra in Tractatu de peccatis. 4. Percutiens laicum, putans, eſſe ſacerdotem, ſacrilegium committit, excommunicationem tamen non incurrit; quia ratio ſacrilegii eſt ſolum interna in intellectu errante, non vero in opere externo.

Hinc 2. Tenetur confeſſarius monere pœnitentem, 1. Quando putat mortale, quod non eſt, v. g. Plebejum putantem, ſe teneri ſub mortali intereſſe veſperis diebus Dominicis, vel audire Miſſam in die Cinerum, vel abſtinere a potu ad refrigerationem in die jejunii ſumpto, vel monialem exiſtimantem ſub mortali ſe aſtringi ad ſilentium, aut ad jejunium regulare; vel uxorem putantem plura in matrimonii uſu eſſe mortalia, quæ tamen nonniſi venialia, vel nulla ſunt peccata; quia licet admoniti forte frequentius venialiter peccent, minus tamen malum eſt, quam unicum mortale. 2. Quando pœnitens laborat ignorantia vincibili, exiſtimando licitum, quod peccatum eſt, vel ſi dubitet, vel confeſſarius a pœnitente interrogetur; quia ut Doctor tenetur ignorantem inſtruere, ne peccet, etiamſi nulla ſit ſpes emendationis; quia vincibiliter ignorans æque, ac non monitus peccat, nec capax eſt abſolutionis. 3. Quando laborat ignorantia etiam invincibili, ſi ſpes ſit emendationis, nec periculum majoris mali, vel ſi nulla ſpes ſit emendationis, error tamen vergat in præjudicium boni communis, ut ſi ſacerdos invalide ordinatus celebret: vel ſi cedat in ſcandalum multorum, ut ſi ignoranter hæreſes doceat, vel in damnum tertii, ut ſi Medicus ignorantia invincibili medendo mortem cauſet; vel ſi ſint neceſſaria neceſſitate medii, ut myſterium SS.

Tri-

Trinitatis, & Incarnationis; quia non ſunt capaces abſolutionis, & de admonitis ex remorſu conſcientiæ, ac decurſu vitæ emendatio facilius ſperatur. 4. Non vero tenetur, nec poteſt monere invincibiliter ignorantem, ſi admonitio magis cenſeatur nociva, quam utilis; quia ex peccato materiali ſine utilitate fieret formale, ut ſi de nullitate matrimonii admoniti probabiliter tamen materialiter eſſent cohabitaturi, vel a ſe invicem diſceſſuri cum ſcandalo, prolis periculo, familiæ diffamatione; & in utroque caſu a S. pœnitentiaria diſpenſatio potius eſſet petenda; & mulieri ex odionolenti accedere ad virum, quem invincibiliter credit ſuum legitimum, cum in re non fit, ſuaderi debet, ut eum accedat, & debitum reddat, ſi moneri nequeat; quia alias formaliter peccat, non vero ut debitum petat; quia quoad hoc eſt ſui juris. Quod ſi agatur de matrimonio contrahendo, attendenda eſt Sacramenti irreverentia, & alia mala inde ſecutura, & minus eligendum, regulariter tamen minora ſunt ex admonitione timenda, quam illo contracto.

Hinc 3. Pœnitens cenſetur laborare conſcientia invincibiliter erronea. 1. Si ſit timoratæ conſcientiæ. 2. Si cognito errore ſoleat contriſtari, & non amplius peccare. 3. Si nullum dubium, vel ſcrupulus præceſſerit. 4. Si res ignorata ſit juris humani, vel poſitivi, vel naturalis circa concluſiones remotas. Econtra vero cenſetur vincibilis, ſi ſit laxioris conſcientiæ, ac criminibus deditus, ſi aliquod dubium, vel ſcrupulus præceſſerit non ſatis prudenter reſolutus, ſi res ignorata ſit circa prima principia, ſeu proximas eorum concluſiones.

Hinc 4. Errorem poteſt deponere ſequendo deciſionem confeſſarii, vel ſuperioris, non tamen tenetur illam ſequi, ſi parem, vel ſuperiorem ipſis noverit ſe habere ſcientiam. Etſi ſint illiterati, & plebei, ſequi poſſunt communem timoratorum praxim, vel viri docti, ac prudentis conſilium: ſæpe enim vix aliter adjuvari poſſunt.

QUÆR. 5. *An conſcientia dubia ſit morum regula?*

Dico. Conſcientia dubia non eſt morum regula, & ea non prudenter depoſita operans peccat; quia non agit ex fide, id eſt cum perſuaſione honeſtatis actus, & ſe periculo peccandi exponit. Dubium autem juxta ſequentes regulas deponendum eſt. 1. Quando dubium eſt mere negativum, & adhibita debita diligentia nulla appareat ratio

tio ſuadens de illiceitate actus, tanquam male fundatum deponi debet. *Innoc. III.* 2. in dubio poſitivo melior eſt conditio poſſidentis in materia juſtitiæ. *Reg. 65. Juris.* 3. pro eo ſtandum eſt, pro quo ſtat præſumptio, pro eo vero ſtat præſumptio, quod veriſimilius, vel plerumque fieri conſuevit. *Reg. 25. Jur.* 4. Si ex neutra parte ſtat præſumptio, tutior pars eſt eligenda. *In Jure Tourn.*

QUÆR. 6. *An illa regula*: melior eſt conditio poſſidentis, *ſolum valeat in materia juſtitiæ?*

Dico. Regula juris: *in dubiis melior eſt conditio poſſidentis*, ſolum valet in materia juſtitiæ ad prudenter deponendum dubium poſitivum; quia ſolum in materia juſtitiæ alia adhuc regula præſumptionis adjuvatur, Res enim apud ſuum, & non alienum dominum, ut propria ſervari ſolet; non vero valet in alia materia. quando poſſeſſio ſtare videtur pro libertate; ſed ex neutra parte ſtante præſumptione, tutior pars eſt eligenda; quia occurrente dubio poſitivo, non accedente præſumptione, non ſtat poſſeſſio reipſa pro libertate magis, quam pro lege. Nam juxta adverſarios: poſſeſſio ſtat pro lege, quando lex eſt certa, & incertum, an ſit abrogata: & ſtat pro libertate, quando libertas eſt certa, & incertum, & dubium eſt, an lege, vel voto obligetur; atqui, occurrente dubio poſitivo, an voverit caſtitatem; vel an lege jejunii obligetur, libertas non eſt certa, ſed dubia; dubitando enim, an voverit caſtitatem, dubitatur, an habeat libertatem nubendi; dubitando, an lege jejunii obligetur, dubitatur, an libertatem non jejunandi habeat; ergo poſſeſſio non ſtat pro libertate, ſed potius contra ipſa præſumptio; quia nemo dubitare ſolet, quando certa eſt libertas.

Hinc 1. Inferunt auctores in *materia juſtitiæ*. 1. Si facta debita inquiſitione dubitetur, an ager bona fide poſſeſſus ſit proprius, præſumitur proprius, & poteſt retineri: quia præſumitur, eſſe poſſidentis, ſi notabiliter probabilius ſit, eſſe alienum, debet reſtitui; vel ſaltem pars pretii pro qualitate dubii, quia non eſt par utrobique cauſa, quam æqualitatem regula juris ſupponit, & plus debetur poſſeſſori probabilori, quam probabili. *Apud Paul. Lugd.* 2. Dubitans, an debitum ſolverit, ſi ſit certum, tenetur totum ſolvere; quia poſſeſſio ſtat pro debito; ſi etiam creditor dubitet, tenetur ad partem pro ratione dubii. *Laym & alii*. 3. Dubitans, v. g. Medicus, an cauſam

ſam Theologice graviter culpabilem mortis, vel Advocatus gravis damni dederit, ad nihil tenetur. *Tamb. Lugd. & alii*. quia præſumitur non dediſſe, præcipue, ſi alias non dare conſueverit: Certus vero de gravi culpa theologica, & dubitans, an inde mors, vel damnum ſit ſecutum, tenetur reſarcire damnum; *Sanch. & alii*. quia certa eſt actio injuſta; ſic ſocius latronum dubitans, an cauſa fuerit efficax latrocinii, vel ſuo ſclopeto occiderit, tenetur reſtituere. *Paul. Lugd.* & cenſetur incurriſſe cenſuras; *P. Gerv. & alii*; quia actio damnoſa eſt certa, & præſumitur damnum. 4. Princeps dubitans de juſtitia belli, defenſivum, non vero offenſivum movere poteſt; *Paul. Lugd.* quia juſte jus ſuum tuetur, quod poſſidet, non vero juſte alterius aggreditur, quod ratione poſſeſſionis melius eſt. 5. Si inter duos dubitetur, quis eorum ſit pater, tenentur ambo, plus ditior, quam pauper. *P. Gerv.* quia minus gravatur, & deficiente uno, tenetur alter in integrum *P. Gerv. & alii*; quia neceſſitas alendæ prolis eſt certa. 6. Fraude decem lucrans aureos, tenetur illos reſtituere; ſi alius, qui perdidit, decem lucratus fuiſſet, tenetur ad alios decem; ſi ſit dubium, nihil tenetur ultra decem. *P. Gerv. & alii*, quia conditio utriuſque eſt æqualis. 7. Dubitans, an præceptum ſuperioris ſit de re licita, an v. g. bellum ſit juſtum, tenetur obedire, & ducem ſequi. *Sanch. & alii*; quia præſumptio eſtat pro ſuperiore: ſi tamen ageretur de valore Sacramentorum tutior pars eſſet eligenda. *Paul. Lugd.* vel ſi princeps injuſta bella movere ſoleret, præſumptio ab aſſuetis eſſet contra Principem *Ibid.* 8. Dubitans, an votum poſſit dari novitio, tenetur illud dare. *Paul. Lugd. & alii*; quia defectus non præſumitur, & indicia dubia de malitia debent in meliorem partem interpretari. *Cap. de Sent. & Jud. & Leg. ſemper in dub.* 9. Si dubitetur, an filii ſint legitimi, habentur legitimi, & poſſunt ordinari. *Lugd. Tamb. & alii*. Non poſſunt tamen ad hæreditatem concurrere exiſtente poſſeſſore certo. *Tamb.* Nec expoſiti in hoſpitali habendi ſunt legitimi, niſi lege Principis, vel diſpenſatione legitimentur, quia ordinarie illegitimi exponi ſolent, & præſumptio eſt, eſſe illegitimos.

Hinc 2. *Circa leges* dubitans dubio poſitivo. 1. An lex exiſtat, vel uſu ſit recepta, tenetur eam ſervare, *Paul. Lugd. Tamb. ex Charm.* quia ſecurius eſt. Vel dubitans, an

an ſit abrogata, vel ab illa eximatur, tenetur, illam implere; quia lex eſt certa, & abrogatio, vel exemptio incerta. Dubitans, an legem, quæ eſt certa, impleverit, v. g. an officium divinum dixerit, tenetur illud dicere: quia debito certo non ſatisfit ſolutione dubia; dubitans tamen, an unum, aut alterum pſalmum in officio dixerit, poteſt ſe reſolvere, dixiſſe, ſi alias eos dicere conſuevit. *P. Gerv.* 2. Dubitans, an 21. annum compleverit, tenetur jejunare. *Paul. Lugd. Tourn. Thom. ex Charm.* quia ſecurius eſt, & libertas pariter dubia eſt: dubitans an poſt mediam noctem biberit, non poteſt communicare: nec dubitans, an hora mediæ noctis ſit audita, manducare carnes in ſabbato, nec comeſtionem carnis continuare die Jovis. *Paul. Lugd.* quia tutius eſt. 3. Dubitans, an delectationi mortiferæ conſenſerit, cenſetur non conſenſiſſe, ſi timoratæ ſit conſcientiæ, & ordinarie non conſentire ſoleat; ſecus, ſi ſit laxæ, & alias conſentire conſueverit. *Paul. Lugd. Bonacina & alii*; quia pro aſſuetis ſtat præſumptio. 4. Dubitans, an cenſuram, vel irregularitatem incurrerit, benignior pars eligenda eſt *P. Gerv. Laym. & alii contra Tourn. & Thom. ex Charm.* quia odioſa ſunt reſtringenda, excepta irregularitate ob homicidium ex ſpeciali lege; *in cap. ad Aud. de homic.* Si nimirum homicidium ſit certum, & dubium, an ſuo conſilio, vel cooperatione ſit ſecutum, *Laym. & auct. cit.* eadem lege incurruntur caſus dubii Bullæ Cœnæ, ubi ſunt recepti; *P. Gerv.* Si tamen eſſet dubium poſitivum, poſſet quis ſe determinare, non incurriſſe *Auct. cit.* Si conſtet de cenſura, & dubitetur de abſolutione, non cenſetur abſolutus. *Laym. & alii.*

Hinc 3. *In materia votorum* 1. Dubitans, an voverit, tenetur votum implere, niſi regula præſumptionis juvetur; quia ſi antea nihil dubii, vel anxietatis ſit paſſus, vel obligationum non ſoleat oblivisci, vel vovere non conſueverit, præſumendum, non voviſſe. *Tourn.* Dubitans, an voverit, vel ſolum propoſuerit, ordinarie tantum propoſuiſſe cenſetur. *Paul. Lugd.* Præcipue, ſi alias tantum proponere conſueverit. Si conſtet de voto, & dubitet de deliberatione ſufficienti, præſumitur adfuiſſe. *Ibid.* quia raro deeſt. 2. Dubitans, an ſex, vel octo jejunia voverit, tenetur ad octo. *Tourn. Thom. ex Charm.* quia tutius eſt. Qui vovit Roſarium, dubitans an 5. vel 6. decadum, tenetur

netur, ut alias ſolebat dicere; quia ita intendiſſe præſumitur. *Paul. Lugd.* 3. Qui vovit, ſe nunquam acceſſurum ad fœminam, & dubitans, an de conjugali, vel fornicario acceſſu intellexerit, tenetur a conjugio abſtinere. *Paul. Lugd. Thom. ex Charm. & alii.* quia particulæ negativæ ſunt malignantis naturæ, & omnia poſt ſe excludunt. 4. Qui vovit caſtitatem, dubitans, an perpetuam, tenetur ad perpetuam *Auct. mox cit.* quia ordinarie ſic ſolet intelligi, & ſecurius eſt. 5. Qui vovit religionem, dubitans, an intellexerit profeſſionem, tenetur profiteri, ſi religionem ei convenire noverit. *P. Gerv. & alii*, quia ordinarie ſic intelligitur. 6. Dubitans, an vere, vel ficte voverit, promiſerit &c. præſumitur vere voviſſe &c. quia malum non præſumitur. 7. Dubitans, an impuber voverit religionem, poteſt ſe ſubmittere irritationi a patre, vel tutore factæ. *Laym.* quia ob dubium ſubditi non privatur ſuperior ſua auctoritate, quia eſt certa.

Hinc 4. Circa *Sacramenta.* 1. Dubitans, an intentionem habuerit, præſumitur habuiſſe; quia rariſſime deeſt. *P. Thom. ex Charm.* 2. Dubitans, an verba formæ debite pronuntiaverit; cenſetur, eam pronuntiaſſe. *P. Thom. ex Cham.* præcipue ſi alias eam ſolebat debite pronunciare. 3. Dubitans, an mortale commiſerit, vel commiſſum confeſſus fuerit, tenetur illud confiteri, vel an confeſſio fuerit irritata, eam reiterare. *P. Thom. ex Cham. Paul. Lud.* 4. Dubitans de valore matrimonii cum dubio, vel bona fide contracti, poteſt poſt bimeſtre, vel conſummato matrimonio, petenti reddere debitum. *cap. dom. de nupt. ex & cap. inquiſ. de ſent. excomm.* quia reddendo debitum exponit ſe periculo minoris mali, quam illud negando; nempe reddendo, violandi caſtitatem, & negando, juſtitiam; non vero poteſt petere, nec infra bimeſtre, & nondum conſummato matrimnnio reddere; quia poteſt ſine injuria negare. Si ambo dubitent, neuter poteſt reddere nec petere. *Paul. Lugd.* quia in dubio neuter jus habet, & tutior pars eſt eligenda. 5. Dubitans, an impedimentum dirimens contraxerit, vel prima uxor mortua ſit, non poteſt inire matrimonium cum alia. 6. Dubitans, an baptiſmum vel confirmationem acceperit, poteſt ſub conditione baptizari, vel confirmari. *Tamb. & alii*, 7. Dubitans, an annum 22. inchoaverit, non poteſt ſacros ſuſcipere ordines. *Paul. Lugd. & alii.*

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 7. *An conſcientia ſcrupuloſa, vel lata ſit regula morum?*

Dico. Nec conſcientia ſcrupuloſa, nec conſcientia lata ſunt regulæ morum; quia ambæ ſunt improbabiles, & futilibus innixæ rationibus, teneturque ſcrupuloſus ſcrupulum, ſumptum pro judicio practico de illiceitate actus, levibus innixo rationibus deponere, & contra timorem junctum cum judicio practico de liceitate actus agere, & quidem aliquando ſub peccato gravi, quando nimirum periculum eſſet inſaniæ, vel cauſa gravium peccatorum; quia mala ita gravia, quilibet præcavere tenetur.

Hinc 1. Si pœnitens ſit ſcrupuloſus circa confeſſiones præteritas, confeſſarius earum repetitionem non admittat, niſi certum defectum deprehendat. 2. Si ſit ſcrupuloſus circa confeſſiones præſentes, ſi non obediat, confeſſarius eum non amplius audiat. 3. Si ſit ſcrupuloſus in agendis, habendo judicium practicum de illiceitate actus futilibus innixum rationibus, ei confeſſarius injungat, ut illud deponat, & in agendis non mortale credat, niſi certo ſciat. 4. Si ſit ſcrupuloſus, habendo quidem judicium practicum de liceitate actus, ſed tamen junctum cum timore, ne ſubſit malum, ei injungat, ut ſpreto timore, illud ſequatur. 5. Si alias confeſſarius detegat ſcrupulorum cauſas, illas removere, & media convenientia adhibere ſatagat; non tamen eum a Sacramentorum uſu deterreat, ſed oleum compaſſionis cum aceto ſeveritatis ita conjungat, ut ægrotus ſanetur; etiam caveat, ne ad aliud extremum, laxitatem nimirum tranſeat.

QUÆR. 8. *An, & quomodo conſcientiam probabilis, ſit regula morum?*

Dico. Conſcientia, ſeu opinio probabilis, non habens probabilorem, vel probabilem ſibi oppoſitam faventem legi, eſt regula morum, & poteſt eam quis tuto ſequi; quia eſt moraliter, & probabiliter certa, quæ certitudo probabilis juxta S. Thomam ſufficit in moralibus. Non vero eſt licitum ſequi opinionem probabilem faventem libertati, cum agitur de peccato committendo in concurſu probabilioris, vel æque probabilis faventis legi; quia non licet facere, quod probabilius, vel ſaltem probabiliter malum eſt, nec ſe exponere periculo peccandi. Licet tamen ſequi probabiliorem faventem libertati in concurſu probabilis faventis legi; quia eſt verior, dummodo non agatur de va-

de valore Sacramentorum, vel mediis ad ſalutem neceſſariis neceſſitate medii; quia in re tanti momenti tutior eſt præferenda. *Innoc. XI. in damn. propoſ.* 1. quia probabilitas non tollit periculum damni, bene autem in aliis materiis ſupplet.

Hinc. Quando diverſæ occurrunt opiniones 1. Docti tenentur coram Deo ponderare rationes intrinſecas, & extrinſecas, & probabilius, vel tutius ſequi. 2. Mediocriter docti, conſulere debent ſcientia, ac pietate graves, nec laxioris, nec rigidioris moralis ſuſpectos; vel auctores evolvere, & eam, quam, communem opinionem dicunt, tenere; vel ſi in diverſas abeant partes, tutiorem amplecti. 3. Illiterati, ac plebei poſſunt Parochi, ac Confeſſarii auctoritatem, ſæpe etiam communem timoratorum praxim ſequi; quia in dubiis ſuis vix alio modo dictamen conſcientiæ practicum formare poſſunt.

TRA-

TRACTATUS II.

De legibus.

Hic Tractatus tres complectitur quæſtiones, 1. de Legibus in communi, & in particulari, 2. de ceſſatione legis, 3. de Præceptis Eccleſiæ.

QUÆSTIO I.

DE LEGIBUS IN COMMUNI ET IN PARTICULARI.

QUÆRITUR. 1. Quid ſit Lex in communi?

RESP. LEX definitur rationis ordinatio, ſtabilis, ad bonum publicum promulgata ab eo, qui curam communitatis habet cum intentione obligandi ſubditos. Differt a præcepto, quod non eſt ſtabile, nec pro bono communi, ſed particulari.

QUÆR. 2. Quot ſint conditiones legis?

RESP. Conditiones legis ſunt decem, videlicet: 1. ut ſit honeſta. 2. juſta; 3. poſſibilis; 4. ſecundum naturam rationalem, & patriæ conſuetudinem; 5. neceſſaria; 6. utilis; 7. non obſcura; 8. ſtabilis; 9. pro bono communi; 10. promulgata, & quidem naturalis per dictamen rationis; divina vero per revelationem internam, vel externam cum, vel ſine ſolemnitate; & humana per ſolemnem cæremoniam.

QUÆR.

QUÆR. 3. *Quotuplex ſit lex?*

RESP. Lex dividitur in æternam, naturalem, & poſitivam; poſitiva ulterius dividitur in divinam, ac humanam, & hæc in Eccleſiaſticam, & Civilem; ratione materiæ vero in affirmativam, & negativam.

QUÆR. 4. *An promulgatio ſit de legis eſſentia?*

Dico. Promulgatio, quæ eſt authentica legis notificatio, eſt de eſſentia legis, & quidem, quoad leges humanas cum ſolemnitate facta in ſingulis diœceſibus, ſi ſit Pontificia, & ex communi fere omnium regnorum uſu in ſingulis provinciis, ſi ſit civilis, & in regno Galliæ in ſuper actis ſupremarum Curiarum inſeri ſolet. Qua facta obligat etiam ignorantes a die in lege, vel a conſuetudine præſcripta, vel a publicatione ſufficienter facta, pro qua duo menſes a lege cæſarea præſcribuntur, quam etiam conſuetudinem pontificia ſequitur: quia ſine ſolemni promulgatione non authentice ſciri, ac proinde nec obſervari poteſt, etiamſi eſſet lex revocatoria legis, ſeu privilegii favorabilis nulli afferens incommodum; ſecus, ſi ſit revocatoria privilegii odioſi; quia iſtius revocatio eſt favorabilis, juxta juris axioma, in favorabilibus neceſſaria non eſt promulgatio; econtra revocatio privilegii favorabilis eſt odioſa; odioſum eſt enim ſubtrahi beneficium nulli nocens.

Hinc 1. Caſus reſervati, privatio juris petendi debitum, impedimenta dirimentia etiam ab ignorantibus invincibiliter incurruntur; quia lex publicata in communi eſt in vigore; excuſantur tamen a culpa, & a pœna transgreſſioni impoſita. *Billuart.* quia ignorantia invincibilis excuſat a peccato, ac proinde a pœna. 2. Revocatio privilegiorum per Concilium Tridentinum valet etiam in locis, ubi non fuit promulgatum; quia eſt favorabilis juris Epiſcoporum, quibus privilegia erant oneri. *P. Thom. ex Charm.*

QUÆR. 5. *Quid ſit lex æterna?*

RESP. Lex æterna a S. Aug. definitur: ratio divina, vel voluntas ordinem naturalem ſervari jubens, & perturbari vetans.

QUÆR. 6. *Quinam legi æternæ ſubjiciantur?*

Dico. Legi æternæ omnes ſubjiciuntur creaturæ, rationales quidem præcipienti, vel prohibenti, irrationales vero ordinanti, & moventi illos in fines ſuos: quia Deus

omnibus creaturis naturæ ordinem poſuit, omneſque aliæ leges ab illa derivantur, divina quidem immediate, naturalis mediante lumine rationis; humana vero mediante poteſtate Principibus conceſſa immediate a Deo, vel mediante Republica, cujus curam gerunt: quia non eſt poteſtas; niſi a Deo. *Rom.* 13.

QUÆR. 7. *Quid ſit lex naturalis?*

RESP. Lex naturalis definitur a S. Thoma participatio legis æternæ rationali creaturæ dictans, quod intrinſece bonum agendum, & quod intrinſece malum fugiendum.

QUÆR. 8. *Quænam præcepta pertineant ad legem naturalem?*

Dico, Ad legem naturalem pertinent, non ſolum prima principia practica, & proximæ eorum concluſiones, ſed etiam remotiores, quæ neceſſario ex eis deducuntur: uti uſuræ prohibitio; imo etiam omnes virtutum moralium actus, quoad actiones genericas, & etiam quoad modum, ut nimirum humane, & honeſte fiant; quia juxta S. Thomam lex naturalis præcipit, ut actus hominis ſemper ſint rectæ rationi conſentanei; non vero quoad ſpecies ſuas proprias, ſaltem præceptive, ut ſunt conſilia Evangelica.

Hinc: dives tenetur lege naturali ſuccurrere pauperi, & quidem voluntarie, honeſtoque fine; non tamen tenentur omnes amplecti caſtitatem.

QUÆR. 9. *An lex naturalis mutari poſſit?*

RESP. Prænot. Legis mutatio proprie fit deſinendo, cum ex juſta fit injuſta, vel per irritationem, cum nondum integre obligat; vel per abrogationem, & derogationem, cum totaliter, vel ex parte tantum tollitur; vel per additionem, vel declarationem, aut diſpenſationem. His notatis.

Dico. Lex naturalis non poteſt proprie mutari, non deſinendo; quia non poteſt fieri de juſta injuſta; nec per irritationem, vel abrogationem, & derogationem; quia eſt ipſemet legis æternæ radius indefectibilis; nec per diſpenſationem etiam divinam, manentibus iiſdem circumſtantiis; quia quod eſt intrinſece malum, & naturæ rationali inconveniens, nec a Deo poteſt ei fieri conveniens: poteſt tamen mutari improprie, 1. ratione materiæ; quia mutatis circumſtantiis poteſt ceſſare eſſe prohibita. 2. Per additionem, quia legi naturali ſupperaddita fuit lex Moſaica,

ſaica, & Evangelica. 3. Per ſimplicem interpretationem; quia non occides, exponitur; extra caſum juſtæ defenſionis, vel authoritate propria; non vero per epicheiam; quia nullos habet caſus impræviſos, ſed omnes comprehendit.

Hinc 1. Deus non proprie diſpenſavit Abrahamo, ut proprium immolaret filium, nec Iſraelitis, ut aufferent bona Ægyptiorum, ſed accedente auctoritate Dei, ceſſabat imulatio proprii filii, & ablatio bonorum Ægyptiorum eſſe malum. 2. Papa non proprie diſpenſat obligationem voti, ſed illud non obligare in certis circumſtantiis, declarat. 3. Fornicatio, & pollutio etiam pro tuenda vita, ac fama, non ſunt licitæ, nec contracto, cum impedimento dirimente matrimonio, licet a ſciente reddere ignoranti; debitum; quamvis impedimentum eſſet indiſpenſabile, & uni tantum notum; quia ſcienti eſt intrinſece malum, & ignorans nullum in re jus habet.

QUÆR. 10. *Quid, & quotuplex ſit lex poſitiva?*

RESP. 1. Lex poſitiva eſt ea; quæ a Deo, vel homine eſt poſita, & ideo poſitiva dicitur; & eſt duplex, divina nimirum, & humana. Lex divina alia eſt Moſaica, alia Evangelica; lex Moſaica eſt ea, quæ populo Iſraelitico data, & per Moyſen promulgata eſt; ejus præcepta ſunt moralia, cæremonialia, & judicialia, & finis ejus proximus, erat recta populi Iſraelitici ordinatio erga ſe ipſum, erga Deum, & proximum; finis vero remotus; erat ſpiritualis, ac ſupernaturalis ejus felicitas in hac vita per morum ſanctitatem, & in altera per beatitudinem æternam, & ſolos obligabat Judæos.

2. Lex Evangelica eſt ea, quæ a Chriſto eſt condita, ab Apoſtolis die prima Pentecoſtes promulgata, per ſe juſtificativa, & uſque in finem mundi duratura; ejus præcepta ſunt triplicis generis: videlicet: 1. Moralia partim a Chriſto de novo inſtituta, partim confirmata. 2. Præcepta fidei non de novo inſtituta, ſed clarius explicite declarata. 3. Sacramentalia, & cæremonialia a Chriſto de novo inſtituta.

3. Lex antiqua fuit figura, & nova ejus complementum; in quibuſdam conveniunt, & in quibuſdam, ut patet, diſconveniunt. Libertas legis Evangelicæ non conſiſtit in immunitate ab omni lege, ſed in immunitate, 1. a peccato per gratiam, 2. ab ignorantia per fidem clarius explicatam, 3. ab onerosa legis cæremonialis ſervitute,

Google

& a gravitate præceptorum moralium ob uberiores gratias illa facilitantes.

QUÆR. 11. *An lex antiqua fuerit bona, & quando fuerit abrogata?*

Dico. Lex antiquá fuit bona; quia a Deo data eſt; attamen imperfecta fuit negative; quia minus eſt perfecta, quam Evangelica, & ſecundum ſe fuit abrogata in ipſa Chriſti morte: quoad vim vero obligandi, in die Pentecoſtes, facta ſolemni ejus abrogationis, ac legis Evangelicæ promulgatione, quæ vera eſt lex; quia veræ legis conditiones habet.

QUÆR. 12. *Quænam ſint præcepta legis antiquæ, & quando fuerint mortua, & mortifera?*

Dico. Præcepta moralia legis antiquæ nunquam fuerunt mortua, id eſt omnia extincta; judicialia vero fuerunt mortua; non vero fuerunt mortifera, id eſt mortem animæ afferentia; cæremonialia fuerunt mortua, & mortifera; non tamen ſtatim, ſed aliqui ritus Chriſtum venturum præfigurantes, potuerunt œconomiæ cauſa, ne viderentur mali, ab Apoſtolis ſine crimine obſervari. Mortifera autem facta ſunt, quadrageſimo circiter anno poſt Chriſti mortem everſo a Tito, & Veſpaſiano Imperatoribus Romanis Templo Jeroſolymitano, & Synagoga cum eo extincta; attamen aliqui ritus leviores, non quidem vi legis Moſaicæ, ſed Apoſtolicæ inſtitutionis, ut abſtinentia a ſuffocato, & ſanguine &c. adhuc per aliquod tempus ob graves rationes potuerunt obſervari.

QUÆR. 13. *Quid, & quotuplex ſit lex humana, & quotuplex ſit regimen?*

RESP. 1. Lex humana eſt illa, quæ ab homine eſt poſita, poteſtate tamen a Deo accepta immediate, ut Papa, & Epiſcopi, vel mediante communitate, ut quidam Reges, & Principes.

2. Lex humana dividitur in Eccleſiaſticam, & Civilem; in ſcriptam, & non ſcriptam, uti eſt jus gentium, & conſuetudo vim legis habens; & in communem, ut Jus Canonicum, & Cæſareum; & in municipalem, cujuſcunque diœceſis, provinciæ, aut civitatis.

3. Regimen eſt triplex. 1. Monarchicum, in quo unus ſolus ſuper omnes gubernat. 2. Ariſtocraticum, in quo Optimates gubernant. 3. Democraticum, quo ſubditi mutuo conſilio ſeipſos regunt.

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 14. *Quiſnam poſſit condere leges humanas, & an ab acceptatione dependeant?*

Dico. Legislator habens regimen Monarchicum, vel etiam Ariſtocraticum majore parte Optimatum conſentiente, poteſt condere leges obligantes independenter ab acceptatione, ita, ut eas ſine legitima cauſa non acceptantes, peccent; quia qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, *Rom.* 13. & poſſunt ſubditi ad ejus obſervantiam compelli. Verumtamen legislator habens poteſtatem ad ædificationem, & non ad deſtructionem, præcavere debet, ne obſervantiam legis urgendo, plus noceat, quam proſit; ideoque legislatore ad majus malum evitandum tacente, lex etiam Pontificia a majori communitatis parte non acceptata, tacite, vel expreſſe, de facto non obligat; quia tacens conſentire videtur.

QUÆR. 15. *Quænam ſit legis humanæ materia?*

Dico. Materia legis humanæ, ſunt actus humani externi; poteſt tamen utraque lex Eccleſiaſtica, & Civilis etiam actus internos indirecte ſaltem præcipere, & prohibere; quia poteſt præcipere externos, qui ſine actu interno recte fieri nequeunt, ut oratio, & juramentum; imo lex Eccleſiaſtica etiam directe internos præcipere, & prohibere poſſe, videtur; quia internum aſſenſum fidei, quam proponit, præcipit.

QUÆR. 16. *Qualis ad ſatisfaciendum legi requiratur intentio.*

Dico. Ad ſatisfaciendum præcepto legis negativo, nulla requiritur intentio, ſed ſufficit, ut quis ab opere prohibito abſtineat; ad implendam vero legem affirmativam, requiritur, ut actus præceptus fiat. 1. Voluntarie, quia actus eſſe debet humanus. 2. Cum intentione ponendi opus præceptum, & interpretativa ſatisfaciendi præcepto, non habendi contrariam; quia actus hominis ultra intentionem non operantur, juxta commune axioma. 3. Ex fine honeſto, vel a lege præcepto; quia inter bonum morale, & malum non datur medium indifferens in individuo.

Hinc. Satisfacit præcepto 1. Abſtinens a ſecunda refectione in die jejunii ſola ſanitatis cauſa, vel ex defectu ciborum; quia juxta commune axioma, finis præcepti non cadit ſub præcepto. 2. Devote audiens Miſſam, ignorans eſſe diem Feſti, vel communicans, neſciens tempus Paſ-

 chale

chale jam incepiſſe. 3. Recitans Officium cum ægroto cum intentione ſatisfaciendi in choro, vel audiens Miſſam privatam cum intentione aſſiſtendi Miſſæ ſolemni pro impletione præcepti, licet poſtea impeditus idem Officium non repetat, nec aliam Miſſam audiat, dummodo non expreſſe contrariam habuerit intentionem, non ſatisfaciendi in quocunque eventu, quia omnes iſti cenſentur habere intentionem interpretativam, ſatisfaciendi præcepto, ſi ejus obligationem ſciviſſent, vel impedimentum prævidiſſent; & in multorum ſententia ſola ſufficit intentio ponendi opus a lege præceptum. 4. Non tamen ſatisfacit præcepto aſſiſtens Miſſæ abſolute invitus, licet infans ex timore parentum audiens Miſſam ſatisfaciat, quia violentia, non vero metus tollit voluntarium: nec dans eleemoſinam ſolius commiſerationis cauſa ſatisfacit pœnitentiæ a Confeſſario injunctæ; nec orans ex mera devotione Roſarium, ſatisfacit voto: nec ſatisfacit attente quidem legens Officium, ſed ſolius occupationis, vel lucri cauſa; quia Eccleſia illud præcipit, non ſolum, ut attente, ſed etiam devote, id eſt cum intentione, Deum honorandi, dicatur.

QUÆR. 17. Quinam teneantur ad legis humanæ obſervantiam?

Dico. Ad legis humanæ obſervantiam coactive omnes, & ſoli tenentur ſubditi uſum rationis habentes; ſupremus vero abſolutus legiſlator independentem a communitate habens juriſdictionem legiſlativam, non tenetur coactive ſuis legibus; quia non eſt ſubditus, ſed ſolum quoad vim directivam provenientem a dictamine rectæ rationis, ac legis naturalis, ut ſuis exemplo præſit ſubditis; quia Regis ad exemplum totus componitur orbis, niſi eſſent leges ſtatui ſuo indecedentes.

Hinc 1. Epiſcopi, Archiepiſcopi &c. dependenter a Concilio nationali ferentes leges, vel cenſuras; item Generales, Provinciales &c. dependenter a Comitiis generalibus, vel provincialibus, Præſides Reipublicæ, Prætores, Conſules &c. cum communitate ferentes leges, coactive ad illas tenentur. 2. Papa, Reges &c. abſolutam habentes poteſtatem, ſuas leges tranſgredientes graviter peccant contra legem naturalem, ſi grave inde ſcandalum, ac deformitas, aliudve magni momenti Reipublicæ damnum ſequatur. 3. Infantes ante ſeptennium, perpetuo amentes,

man-

manducantes carnes in diebus prohibitis, non peccant, nec ipſis apponentes; peccant vero apponentes carnes ebriis, & ad tempus delirantibus, vel ignorantibus; quia peccato, etiam ſolum materiali, cooperari non licet. Ob eandem rationem peccant eos provocantes ad iram, libidinem, blaſphemiam, licet ob defectum libertatis nonniſi materialiter peccent, vel eos ad laborem ſervilem in Dominica applicantes.

QUÆR. 18. *Ad quas leges Infideles, ac Hæretici obligentur.*

Dico. Infideles, licet ad Baptiſmum, & leges Evangelicas, ac Civiles teneantur; quia Deo, & Reipublicæ ſubditi ſunt; non tamen tenentur ad leges mere Eccleſiaſticas; quia nonniſi per Baptiſmum Eccleſiæ ſubjiciuntur: hæretici vero peccant leges Eccleſiaſticas tranſgredientes, niſi ignorantia, vel impotentia eos excuſet; quia per Baptiſmum Eccleſiæ ſubditi ſunt.

Hinc 1. Non peccant Infideles, ac Judæi carnes in diebus prohibitis manducantes, vel ipſis apponentes, peccant vero hæretici, & carnes ipſis apponentes. Excuſantur tamen carnes, vel ſecundam refectionem ipſis, vel etiam Catholicis, eam petentibus, apponentes. 1. Ob grave damnum; quia ſe, & ſuos aliter ſuſtentare nequeunt. 2. Si eos ob aliquam neceſſitatem, vel juſtam cauſam v. g. itinerationem, infirmitatem, &c. diſpenſatos credant, nec in dubio eos interrogare tenentur; quia quilibet cenſetur bonus, donec probetur malus, contra hæreticos tamen, & Catholicos laxioris vitæ notos, ſtat præſumptio; quia ſine juſta cauſa ordinarie carnes manducare ſolent. 3. Excuſantur ancillæ hæreticorum, & uxores coquentes carnes, ſi aliter in pace vivere nequeant; quia leges humanæ cum tanto incommodo non obligant.

QUÆR. 19. *Ad quas leges Clerici teneantur.*

Dico. Clerici legibus Civilibus obligantur, præcipue gubernationem Reipublicæ, cujus membra ſunt, concernentibus, ſalva tamen eorum immunitate, qua gaudent Clerici Majorum Ordinum, Beneficiarii, Religioſi, ac Religioſæ, quæ diverſis in regnis diverſa eſt, & præſertim ex jure communi conſiſtit 1. In immunitate a vectigalibus, & tributis. 2. In exemptione a judice laico in cauſis ſpiritualibus. 3. In gubernatione ſuarum perſonarum. 4. Quoad cauſas contentioſas, ac criminales. 5.

Quoad bona titulo clericali poſſeſſa; urgente tamen neceſſitate Clericos æque, ac laicos concernente, tributa ſolvere, & ſi ſint actores adverſus laicum, coram judice laico comparere tenentur. 6. Jure vero Gallico exempti ſunt a tributis gallice (*la taille*) a coactione corporali (*contrainte pars corps*) ac ſuppellectilium obſignatione) *ſaiſie des meubles*.)

Hinc Clerici tenentur 1. taxato pretio vendere, 2. contractuum formalitates ſervare: 3. ad publicas neceſſitates contribuere, quæ Clericos æque primario ac laicos concernunt, ut pro impedienda inundatione agrorum tam Clericorum, quam laicorum, pro repellendis prædonibus tam Clericis quam laicis nocentibus, pro reparatione pontium, ac viarum, & ſi eorum res antea onus invariabile, ac perpetuum contribuendi habuerint, ac tenentur reficere viam ante ſuas domos. 4. De bonis patrimonialibus tributa, ac vectigalia ſolvere, ubi ita uſu eſt receptum; vel ſi negotiationem exerceant; vel ſi facultates laicorum non ſufficiant; in hoc tamen caſu prærequiritur Papæ conſenſus. *Cap. adverſus*, vel in neceſſitate, Epiſcopi, quo irrationabiliter negato, poſſunt tamen imponi. *Bill.* 5. Laicum ante tribunal domicilii citare. Nec gaudent Clerici Minorum Ordinum privilegiis Clericorum; quia conſuetudine ipſis derogatum eſt; excepto privilegio fori, & Canonis. *Si quis ſuadente Cap. unico, de cler. conjug.* Modo non duxerint uxorem, niſi virginem, deferant tonſuram, & habitum clericalem, & jure novo Concilii Trid. ab Epiſcopo alicujus Eccleſiæ miniſterio deputati ſint. *Bill.* 6. In Gallia nonniſi per appellationem, vel in rebus ſuas functiones, vel jura ſuorum beneficiorum concernentibus, cauſam ad ſupremum Senatum poſſunt deferre, & ante quemlibet judicem laicum citati, comparere tenentur pro teſtimonio ferendo in re criminali, quin opus ſit habere pareatis a judice Eccleſiaſtico. *Edict. Reg.* 1670. *tit.* 6. *art.* 3. In re vero civili citati conſulant Epiſcopum. Non tamen tenentur comparere ante judicem laicum in cauſis perſonalibus, & doctrinam Religionis, Sacramenta, vota Religionis, divinum Officium, diſciplinam Eccleſiaſticam, & alias res pure ſpirituales concernentibus. *Edict. Reg.* 1695. *art.* 30. & 34. niſi, ut petant remitti ad judicem Eccleſiaſticum, & per appellationem (*comme d'abus*) circa quam judex laicus declа-

clarat, vel nullum eſſe abuſum, appellantem ad pœnam 75. librarum condemnat; vel eſſe abuſum contra Canones, vel ordinationes Regias &c. & remittit cauſam ad Epiſcopum, ut per alium Officialem judicetur, vel ad ſuperiorem Eccleſiaſticum, ſi ab Epiſcopo, vel Archiepiſcopo ſententia fuerit lata, vel contra illos fuerit ſuſpicio; *Edict. cit. art.* 37. Nec tenentur comparere ante judicem laicum pro criminalibus communibus, ſed pure Eccleſiaſticis, ut ſimoniæ, hæreſis, & in adminiſtratione Sacramentorum &c. commiſſis; bene autem pro criminalibus privilegiatis, quæ ordinem ſocietatis civilis perturbant, ac pœnam temporalem, vel inflictivam merentur, circa quæ uterque ſimul Eccleſiaſticus, & laicus, criminaliter procedunt. *Edict.* 1678. *art.* 22. *&* 1684. pro actionibus, vero mixtis, ut pro diviſione hæreditatis, hypotheca bonorum Eccleſiaſticorum, reditibus annuis (*rente foncière*) comparere debent ante judicem laicum; quia cenſentur actiones reales *Heric. fol.* 126. 7. Nullas autem recipere, legere, publicare, & exequi Bullas, vel alias expeditiones Curiæ Romanæ, niſi ſint munitæ litteris Regiis patentibus in acta Senatus ſupremi relatis, exceptis brevibus ſacræ pœnitentiariæ, & proviſionibus beneficiorum dictis (*fiat*, *ut petitur*,) quæ tamen in iſta provincia non ſunt in uſu & exceptis aliis expeditionibus ordinariis, res particularium concernentibus, ſecundum uſum regni. *Edict.* 1703. *&* 1717. Quoad proviſiones vero beneficiorum appellatas, *dignum*, vel in forma gratioſa, non poſſunt eas exequi, niſi prævio examine, & obtento *viſa* ab Epiſcopo, & quoad curata prævia inſuper vitæ, morum, ac Religionis informatione. *Edict.* 1695.

QUÆR. 20. *Quibus legibus teneantur peregrini & advenæ.*

Dico. Peregrini, ſive ſint viatores, qui extra ſuum proprium domicilium itinerantur animo redeundi, ſive advenæ, qui extra patriam ſuam domicilium fixerunt pro ſemper, vel ad tempus; qui etiam *forenſes* dicuntur, non tenentur legibus particularibus patriæ, vel proprii domicilii. *Bonif. VIII.* quia lex affixa eſt loco, non perſonis, niſi abſint in fraudem; quia fraus nemini patrocinatur; vel niſi fictione Juris leges cenſeantur in proprio territorio transgredi, vel perſonis, aut earum rebus in proprio domicilio eſſent affixæ. Legibus vero locorum, ubi exiſtunt, vel tranſeunt adſtringuntur, ſicut & perpetuo vagi

gi domicilium nullibi habentes, juxta axioma in opinione S. Ambroſii, & S. Auguſtini fundatum; *cum fueris Romæ, Romano vivito more: cum fueris alibi, vivito ſicut ibi*, quia ad pacificam populi gubernationem, ac ſcandalum vitandum, hæc conformitas requiritur, modo ibi trahant moram legis obſervationi proportionatam.

Hinc. 1. Diſcedens in vigilia jejunii, vel Feſti ex proprio in aliud territorium, in quo neutrum viget præceptum, non tenetur ibi jejunare, nec audire Miſſam, licet eſſe jejunium univerſalis Eccleſiæ, ibi conſuetudine abrogatum. *P. Thom. ex Charm. Billuart.* quia licet lex jejunii, vel audiendi Miſſam ſit Eccleſiæ univerſalis, ut ſit uniformitas, poteſt uti privilegiis, ſicut tenetur oneroſis; ſecus, ſi exiſteret in partibus hæreticorum, quia iſti tenentur legibus univerſalibus Eccleſiæ, vel in partibus infidelium, quia iſtæ leges univerſales ſunt perſonales, afficientes primario perſonas ubique exiſtentes, exceptis locis, ubi diſpenſantur. Diſcedens vero in ipſa die jejunii non poteſt mane, ante diſceſſum ſumere jentaculum, & in die Feſti tenetur prius audire Miſſam, ſi ſit incola; *Nav. Billuart.* quia incola ad plus tenetur, quam hoſpes; præcipue, ſi prævideat, tempore, quo ultima Miſſa eſt dicenda, in proprio territorio adhuc ſe extiturum; quia tunc lex obligat; Non vero viator, niſi horis matutinis ibi commoretur; *P. Thom. ex Charm.* Sic in eadem civitate ex Parochia S. Petri, ubi non eſt Feſtum, tranſiens ſummo mane in Parochiam S. Laurentii, ubi eſt Feſtum, ibique per totum mane perſiſtens, videtur obligari ad auditionem Miſſæ, & in die jejunii adhuc magis, ob periculum ſcandali, ad abſtinentiam a carne, quamprimum ingreditur, & ad jejunium, ſi ibi maneat, licet in propria non ſit jejunium. 2. Adveniens in alio loco ſtatim tenetur præceptis negativis, v. g. in die jejunii abſtinere a carne, & a ſecunda refectione, & in Feſto a labore, non vero affirmativis v.g. audire Miſſam, niſi per aliquod tempus, v. g. matutinis horis ibi maneret; non tamen tenetur ibi manere pro auditione Miſſæ; *Thom ex Charm. Billuart.* quia præcepta affirmativa retardant iter, non vero negativa, quorum tranſgreſſio majorem etiam cauſat deformitatem, & ſæpe ſcandalum. 3. Fraude, & expreſſe in die jejunii a proprio domicilio diſcedens, ut alibi, ubi non eſt jejunium, carnes manducet, eas man-

du-

Digitized by Google

ducando peccat, vel ut alibi clandeſtine matrimonium contrahat, invalide illud contrahit, vel ut a reſervatis propriæ diœceſis alibi abſolvatur, ſacrilege abſolvitur; *Clem. X. Bulla ſuperna*. Secus, ſi bona fide prædicta fiant, ut ſi ab amico invitatus ad prandium carnes manducet perinde iturus, ſi in proprio territorio non eſſet jejunium; vel ſi extra ſuam diœceſim commiſerit peccatum in propria reſervatum, ibi, ubi non eſt reſervatum, poteſt abſolvi a non habente a reſervatis, licet in propria non poſſit abſolvi a non habente a reſervatis: vel ſi extra obſervatio legis non conducat ad finem a lege intentum; ut ad vitandam ſeditionem, ne armis incedat, poteſt expreſſe abeſſe, ne huic legi ſubjaceat, & alibi armis incedat; *Billuart*. 4. Abſens a ſuo beneficio etiam extra diœceſim incurrit cenſuras, ac pœnas contra non reſidentes latas; quia fictione juris cenſetur ſtatuta in proprio domicilio tranſgredi; ſuſpenſus in ſua diœceſi, non poteſt celebrare in aliena; abſens a proprio territorio tenetur tributa bonorum proprii domicilii ſolvere, & Religioſus ubique ſuam ſervare regulam; non vero ſtatuta particularia provinciæ, vel monaſterii, ubi tranſit, quia hæ ſunt leges perſonas, vel earum res ſolum afficientes. 5. Occidens ex Eccleſia exiſtentem in platea, non incurrit cenſuras ſacrilegii, bene autem occidens ex platea, exiſtentem in Eccleſia; quia ibi fit delictum, & occidens exiſtentem in alia diœceſi, illius pœnas incurrit. Quomodo peregrini incurrant cenſuras, vide de cenſuris.

QUÆR. 21. *An leges humanæ obligent in conſcientia?*

Dico: Lex humana tam Eccleſiaſtica, quam Civilis obligat in conſcientia, & aliquando ſub peccato etiam gravi videlicet in materia gravi graviter præcepta, quia *Rom.* 13. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*: non vero in materia gravi leviter ſolum præcepta, vel in materia levi, quæ graviter præcipi nequit, quia eſſet injuſta. Dignoſcitur autem legiſlator graviter obligare, 1. Ex gravitate verborum, quibus utitur, v.g. virtute ſ. obedientiæ, vel præcipimus, mandamus, prohibemus, teneantur, ſi cadant in gravem materiam, quia etiam ſæpe iſta verba uſurpantur in ſcriptura ſacra, ubi non eſt obligatio gravis. 2. Ex gravitate pœnæ, v. g. excommunicationis, ſub indignatione Dei, &c. depoſitionis, carceris perpetui, exilii, in-

fa-

famiæ, vitæ, bonorum &c. 3. Ex gravitate materiæ præceptæ, quæ ex prudentum judicio, vel conſuetudine pro gravi habetur.

QUÆR. 22. *Quomodo lex fundata in præſumptione periculi, vel facti obliget?*

Dico. Lex fundata in præſumptione periculi obligat in conſcientia, licet reſpectu unius, aut alterius nullum eſſet periculum; quia ſaltem ſemper eſt objective periculum: non vero fundata in præſumptione facti, quia non eſt mens Legislatoris obligandi, ſi factum non ſubſiſtat.

Hinc. Lex prohibens lectionem librorum hæreticorum ob periculum perverſionis, vel matrimonia clandeſtina ob periculum fraudis, ſcelerum, aliorum incommodorum, obligat, etiam in caſu, in quo nullum eſt periculum; econtra vero lex compellens ad contrahendum matrimonium promiſſum, fundata in promiſſione legitime facta, non obligat, ſi reipſa promiſſio non ſit legitime facta, v. g. ob impedimentum, quod manifeſtari, vel probari nequit.

QUÆR. 23. *An lex humana, obliget cum gravi damno, vel vitæ periculo?*

Dico. Lex humana ordinarie in conſcientia non obligat cum gravi damno, aut periculo vitæ; quia eſſet moraliter impoſſibilis; niſi 1. Reipublicæ conſervatio exigat, ut tempore belli, vel peſtis. 2. Niſi ejus violatio cedat in contemptum fidei, ſeu legitimæ poteſtatis. 3. Niſi ejus violatio grave cauſet ſcandalum.

Hinc. Graviter peccat. 1. Miles irruentibus hoſtibus ſtationem ſuam metu etiam mortis relinquens. 2. Parochus tempore peſtis ſuam parochiam deſerens. 3. In contemptum fidei veſtibus valde ſordidis celebrans. 4. Tentatus, ut Eleazarus (2. *Mach.* 6.) cum ſcandalo carnes manducans.

QUÆR. 24. *An teneatur ad partem, qui non poteſt præſtare totum opus præceptum, & an aliquis, eodem actu, duobus præceptis ſatisfacere poſſit?*

Dico. Qui non poteſt totum, tenetur partem præſtare operis præcepti, ſi ſit de re diviſibili, poteſtque eodem tempore duobus præceptis ſatisfieri per eundem, vel per duos actus ſe non impedientes, niſi aliter de Legislatoris mente conſtet.

Hinc 1. Veniens ſero ad Miſſam, tenetur audire quod re-

reſtat; qui non poteſt abſtinere a carne, tenetur abſtinere a ſecunda refectione; qui non totum poteſt dicere Officium, tenetur ad partem. 2. Obligatus ad Breviarium ratione ordinum, & ſimul ratione unius, vel duplicis beneficii, ſatisfacit unica illius recitatione, etiam illud dicens in Miſſa in die obligationis, vel pœnitentiam in ea orans, 3. non vero ſatisfacit faciens examen, vel confeſſionem tempore Miſſæ in die obligationis; quia attentionem impedit; nec audiens Miſſam pro pœnitentia impoſitam in die obligationis, niſi ſine exceptione pro ſingulis diebus eſſet impoſita, vel duas in die obligationis audiret; quia talis videtur eſſe intentio Confeſſarii.

QUÆR. 25. *An impedimentum executionis præcepti ponens, vel illud non tollens, peccet?*

Dico. Urgenti præcepto, vel ejus executioni impedimentum propinquum ponens, aut illud non tollens, peccat propter illud non ſervando legem, niſi illud eſſet neceſſarium, vel æque, aut magis utile, quam legis obſervatio; quia, qui præcipit finem, etiam præcipit media.

Hinc: peccat 1. Clericus Breviarium in mare projiciens, & illud propterea non recitans. 2. Paulo ante Miſſam dormiens, cum prævisione Miſſæ omittendæ. 3. Quæſtionem Philoſophiæ cum attentione Miſſæ incompatibilem ruminans. 4. Venatione, ludo pilæ &c. ita ſe fatigans, ut jejunare nequeat. Non vero peccat, ſi labor eſſet neceſſarius, nec ægroto aſſiſtendo, Miſſam omittens; quia aſſiſtentia ægroto, eſt magis neceſſaria, magiſque obligat.

QUÆR. 26. *Quænam lex magis obliget?*

Dico. Lex naturalis magis obligat, quam divina, & humana etiam in materia levi; quia tranſgreſſio legis naturalis eſt intrinſece malum; & lex divina magis obligat, quam humana; quia *Act.* 5. 29. *obedire oportet Deo, magis quam hominibus*. Et major eſt obligatio legis negativæ, quam affirmativæ, quia obligat ſemper, & pro ſemper, non vero affirmativæ.

Hinc: famulus non poteſt mentiri, ut poſſit audire Miſſam, nec laborare in Dominica, ut poſſit ſervare jejunium; & Fr. Minor potius debet recurſum ſumere ad pecunias pro ſua neceſſitate, quam laborare, vel vecturas onuſtas procurare in Dominica. *Cap. gener.* 1656.

QUÆR. 27. *Quid, & quotuplex ſit lex ſcripta?*

RESP. 1. Lex ſcripta eſt duplex, Eccleſiaſtica, & Civilis:

vilis; lex Eccleſiaſtica eſt Jus Canonicum a ſummo Pontifice, ſeu Concilio generali latum, totam obligans Eccleſiam, & quinque complectitur libros, videlicet 1. eſt Decretum Gratiani Ord. S. Bened. quod nondum eſt auctentice approbatum; valet tamen ſecundum auctoritates in eo allegatas. 2. Sunt Decretales Gregorii IX. a S. Raymundo in quinque libros diviſæ. 3. Eſt Liber ſextus Decretalium quinque prioribus a Bonifacio VIII. ſuperadditus. 4. Eſt Clementina, quinque libros a Clemente V. compilatos, ejusque Conſtitutiones, ac Concilii Viennenſis, cui præfuit, complectens, quæ a Joanne XXII. fuit promulgata. 5. Sunt Extravagantes, & Conſtitutiones Joannis XXII. prioribus ſui Pontificatus annis emiſſæ, & aliæ communes ſuæ, ac aliorum ſummorum Pontificum Conſtitutiones, ac Bullæ extra Corpus Juris vagantes, & prioribus adjunctæ. Bullæ circa magna negotia expediuntur pendente Bulla plumbea; Brevia vero pro parvis negotiis cum ſigillo cereo annulo Piſcatoris; id eſt S. Petri, ſignata.

2. Lex Civilis eſt Jus Romanum, ſeu Cæſareum quinque partes continens, nimirum 1. ſunt Inſtitutiones. 2. Digeſtum; ſeu Pandectæ. 3. Codex Juſtiniani. 4. Novellæ, ſeu auctenticæ. 5. Liber Feudorum.

3. Jus Gallicum in toto regno diverſum eſt; aliquæ provinciæ enim utuntur jure Romano; aliæ conſuetudinario; Edicta Regia utrique derogant; & jus faciunt.

4. Libertas Eccleſiæ Gallicanæ eſt jus conſtanter ſequendi receptos univerſales Eccleſiæ Canones, & antiquos regni uſus; unde non conſiſtit in poteſtate faciendi, quod libuerit, ſed præcipue conſiſtit in libertate retinendi antiquas leges, vel recipiendi novas, ſi eas regno convenientes, ac utiles agnoverit; prout plures Concilii Tridentini in Comitiis Bleſenſibus admiſit.

QUÆR. 28. Quid, & quotuplex ſit lex non ſcripta?

RESP. 1. Lex non ſcripta eſt conſuetudo, & definitur jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, dum deficit lex.

2. Conſuetudo eſt triplex, 1. ſecundum legem, 2. præter legem, & contra legem. Effectus ejus ſunt 1. legem dubiam interpretari per ejus uſum. 2. Novam introducere per actus frequentatos. 3. Veterem abrogare per uſum contrarium.

QUÆR.

QUÆR. 29. Quomodo conſuetudo vim legis acquirat, & veterem abroget?

Dico. Conſuetudo, ut vim legis acquirat, vel veterem abroget, quinque habere debet conditiones. 1. Ut ſit juſta, ſaltem objective, aliaſque legis conditiones habeat. 2. Ut legislator expreſſe, vel tacite, non reclamando, conſentiat. 3. Ut præſcriptionem decem annorum pro lege civili, & quadraginta pro lege Eccleſiaſtica habeat. 4. Ut fiat animo introducendi conſuetudinem per actus frequentatos, quorum tres, vel quatuor ſufficiunt, ſi raro v. g. ſingulis duobus, vel tribus annis eos exercendi, occaſio occurrat; & major, ac ſanior pars eam approbet: ſolus autem non uſus, niſi ſaltem implicite legi ſit contrarius, non ſufficit; nec conſuetudo particularis loci, vel provinciæ abrogatur per legem contrariam univerſalem regni, niſi ſpecialis fiat ejus mentio; bene autem conſuetudo univerſalis; quia cenſetur nota Principi non vero particularis.

Hinc 1. Conſuetudo dicendi ſalutationem angelicam ad ſonum campanæ, vel ſumendi aquam benedictam, non habet vim legis, nec conſuetudines: ac conſtitutiones regularium; quia non fiunt animo obligandi; tenentur tamen ex conſuetudine ad horas Canonicas, exceptis quibuſdam Monialibus Tertiariis reformatis ex ſpeciali Papæ declaratione. 2. Licet legem, conſuetudine abrogantes, aliquando peccent, non peccant tamen eorum ſucceſſores, illam non amplius obſervantes.

QUÆR. 30. Quid; & quotuplex ſit lex pœnalis?

RESP. 1. Lex pœnalis eſt ea, quæ pœnam tranſgreſſoribus conſtituit. Alia eſt pure pœnalis, quæ præcipit tantum disjunctive, ut aliquid fiat, vel certa pœna ſubeatur. Alia mixta, quæ præcipit aliquid faciendum, vel omittendum, ſimulque pœnam tranſgreſſoribus imponit.

QUÆR. 31. An detur lex pure pœnalis, & quando lex tantum ad pœnam obliget?

Dico. Poſſunt dari leges pure pœnales ad ſolam pœnam obligantes; quia talis eſſe poteſt legislatoris voluntas obligandi disjunctive ad legem, vel ad pænam: & mixtæ obligantes in conſcientia ſub peccato ſimul, & pœna; quia poſſunt eſſe præceptivæ, & pœnam ſimul injungere tranſgreſſoribus, quæ non tollit obligationem in conſcientia: legem autem obligare tantum ad pœnam tribus modis cogno-

gnoſcitur 1. ex communi ſapientum interpretatione, 2. ex Legiſlatoris declaratione, 3. ex ipſa legis forma, v. g. qui hoc fecerit, hanc ſolvet pœnam, hoc faciat, vel hæc ſolvatur pœna.

QUÆR. 32. *An tributa ſint lex mere pœnalis, & a Principibus juſte exigi poſſint, & a ſubditis ſolvi debeant?*

RESP. Prænot. 1. Tributum generaliter ſumptum ſignificat omne, quod Principi, vel Reipublicæ a privatis ſolvi ſolet: proprie autem ſumptum eſt penſio ſuper capita, vel ſuper facultates ſubditorum impoſita, & Principi, vel Reipublicæ ſolvenda, ut ſtatum ſuum tueri, & communibus neceſſitatibus, ac utilitatibus proſpicere poſſint: ſi ſingulis capitibus imponatur, dicitur in jure capitatio, (*capitation, ou taille perſonnelle*) ſi ſuper facultates, dicitur, (*taille rèelle*) & eſt duplex, ordinarium, quod quotannis ſolvitur, & extraordinarium, quod propter ſupervenientem cauſam extraordinarie imponitur. 2. vectigal (*impòt*) eſt id, quod pro rebus, vel mercibus in urbem, vel provinciam invehendis, vel ex illis evehendis ſolvitur, & dicitur in jure portorium. 3. Pedagium, ſeu guidagium (*pèage*) eſt, quod ſolvitur a tranſeuntibus equo, curru, navi &c. ponitur, pro viarum conſervatione, cuſtodia, ac ſecuritate. His notatis.

Dico. Tributum, vectigal, & pedagium juſte exiguntur, ſi imponantur 1. auctoritate legitima. 2. Juſta ex cauſa. 3. Debita cum proportione; quia ita ratio dictat, ut Principes ſuo regimine Deo, & bono publico miniſtrantes, a populo tributis ſuſtententur, & Apoſt. Paul. *ad Rom.* 13. dicit: *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal*. Illaque defraudantes ex genere ſuo, graviter peccant contra juſtitiam non ſolum legalem, ſed etiam commutativam, proindeque obligantur ad reſtitutionem, *Sylveſt. Cajet. Sot. Leſſ. Cabaſſ.* & alii communiter apud *Bill.* quia non ſolum lege mere pœnali, ſed & jure ſtricto videntur Principi debita, ex implicata populi promiſſione, tanquam ſtipendia regii miniſterii, ſub hac conditione ſuſcepti, & ſuſidia rectæ illius adminiſtrationis.

Hinc. 1. Tributa exigere poſſunt 1. Reges, & Reſpublica pro ſua ſuſtentatione, & regni conſervatione, etiam extraordinaria ex juſta vindicta in ſubditos rebelles, vel in hoſtes victos pro juſta punitione, & damnorum reparatio-

ratione, vel pro hoſte arcendo, vel impugnando pro regni tranquillitate, ac proſperitate: modo ſint proportionata neceſſitati, & ea ceſſante, ceſſent. In dubio autem, an tributum juſte exigatur, videtur præſumptio ſtare pro Principe; quia non ſemper omnes poteſt manifeſtare rationes. 2. Ubi eſt uſu receptum, Magiſtratus, quaſdam impoſitiones populo facere poſſunt, quas collectas vocant, pro neceſſitate, ac utilitate publica, ut reparatione fontium, murorum civitatis, pontium, viarum &c. & Epiſcopi ſuo Clero de conſenſu ſui Capituli pro reparatione Eccleſiarum, erectione Seminariorum &c. *Bill.* quia ſunt Principes in ſua diœceſi, ut Papa in tota Eccleſia; *ibid.* in Gallia tamen inferiores Rege, illius conſenſum pro novis imponendis, obtinere prius debent.

Hinc. 2. Graviter peccant notabiliter defraudantes tributa, vectigalia, pedagia, debentque ea etiam non petita, ſolvi, niſi alia ſit conſuetudo, non ſolvendi, niſi petantur, & ſecluſa fraude, quæ declinandi ſtudio a via publica, vel merces occultanti non patrocinatur. *Bill.* & tenentur ad reſtitutionem: *auct. ſupra cit.* quia ſunt jure ſtricto debita; & licet aliquando a reſtitutione excuſarentur, ut aliqui volunt apud *P. Gerv.* quia exactores deprehenſos pro aliis ſolvere faciunt; non tamen videntur excuſari a reſtitutione Principi facienda, ſi propterea viliori pretio illa vendere cogatur. *Thom. ex Charm.* nec ſunt abſolvendi, niſi impoſterum illa ſolvere ſincere velint; quia ea non ſolvendo vere peccant,

Hinc. 3. Non tenentur ad reſtitutionem. 1. Ementes merces ab iis, quos vectigalia defraudaſſe, ſciunt. *Bill* quia vectigalia ſunt onus perſonale obligans merces tranſvehentem, & ſi eſſet reale, obligaret tantum tempore, quo tranſeunt merces, non vero poſtea ementem, niſi emendo moveat alium ad iterum defraudandum. *Bill.* quia tunc emptor peccat, & tenetur ad reſtitutionem, ut cooperator damni *ibid.* 2. Non tenentur ad reſtitutionem vehentes merces ſine impoſitione vectigalis, ſimpliciter e provincia evehi, vel advehi prohibitas, vulgo (*contrebandes*) *Billuart.* quia non ſunt tributales, ſed ſimpliciter, & omnino prohibitæ, neque ad mulctam ante ſententiam: *ibi.* quia eſt pœna. Peccant tamen graviter, ſi gravi ſe exponant damno, v. g. exilii, diuturnæ incarcerationis &c. quia agunt contra charitatem ſibi, & ſuis debitam,

Digitized by Google

vel ſi ſe armis offenſivis contra cuſtodes defendere intendant; quia eſſet injuſtitia, An etiam peccent contra legem Principis? Dijudicandum ex lege, an mixta, vel mere pœnalis ſit; ordinarie eam pro pure pœnali habent, etiam viri probi, certas pecuniæ ſpecies prohibitas, telas Indicas, tabacum &c. ſine ſcrupulo in regnum ſecum ferentes, vel ab aliis contra prohibitionem introductas ementes. *Bill.* forte idem dici poſſet de quibuſdam vectigalibus certis mercibus impoſitis, non pro Regibus, ac Regni ſuſtentatione, ſed ſolius œconomiæ cauſa, ne alienæ merces in provinciam invehantur, vel avehantur, modo non grave inde fiat damnum Reipublicæ, & licet in Gallia tabacum extraneum defacto invehere liceat, ſolvendo 30. Aſſes gallicas pro libra, hæc tamen impoſitio non præcipitur ſubditis ſolvenda, ſed a conductoribus generalibus percipienda, & pœna a defraudantibus ſubeunda. *Vid. Decl. Reg.* 1749.

QUÆR. 33. *Quotuplicis generis ſint pœnæ, & quotuplex ſententia?*

RESP. 1. Pœnæ aliæ ſunt latæ ſententiæ, quæ ipſo facto incurruntur, aliæ ferendæ ſententiæ, quæ tantum poſt Judicis ſententiam obligant, & ſunt triplicis generis. 1. Sunt mere paſſivæ, quæ peragi poſſunt ſine actione rei, ut ſunt cenſuræ, irregularitas, privationes &c. 2. Sunt activæ, quæ non poſſunt peragi ſine actione rei, vel levi, & non valde difficili, ut pœnæ conſtitutionum Religioſorum, vel valde difficili, uti ſunt exilium, mutilatio, ſolutio certæ ſummæ pecuniæ &c. Privatio Beneficii juſte poſſeſſi, vel incepti poſſideri. 3. Sunt vel irritantes actum a lege prohibitum, ut Matrimonii clandeſtini; vel inhabilitantes, v. g. ad recipiendos fructus Beneficii; vel conditionales v. g. ut fiat infra annum Sacerdos, ad percipiendos fructus.

2. Sententia alia eſt condemnatoria, qua reus ad pœnam condemnatur; alia declaratoria; qua Judex declarat reum, pœnam ipſo facto incurriſſe, & obligat a die commiſſi criminis.

QUÆR. 34. *An leges pœnales obligent ante Judicis ſententiam?*

Dico. Pœnæ latæ ſententiæ, quæ ſine actione rei executioni mandari poſſunt, ut cenſuræ, vel actum irritantes, vel inhabilitantes, aut conditionales debent peragi in conſcientia ante Judicis ſententiam, ſecluſo vitæ, vel

vel famæ periculo; non vero pœnæ, quas reus ſine propria actione valde difficili exequi nequit. Poſt Judicis ſententiam vero, pœnæ omnes, niſi eſſent crudeles, in conſcientia peragi debent, & quidem latæ ſententiæ retrahuntur ad diem commiſſi criminis. Aliquando tamen ignorantia legis invicibilis eximit a pœna; quia excuſat a peccato, quando nimirum ob culpam Theologicam eſt lata; non vero ignorantia pœnæ, quia non eſt de ratione pœnæ, ut ſit cognita, & volita.

Hinc 1. Privatus utraque voce poteſt ad electionem concurrere, ſi ſine gravi infamia ei renunciare nequeat. 2. Parochus tenetur ante Judicis ſententiam Beneficium acquiſitum per occultam ſimoniam confidentiæ reſtituere; quia eſt pœna inhabilitans; poteſt tamen Parochiam juſte poſſeſſam retinere, fructus percipere, & alienare, pœnitentes abſolvere, &c. quia privatio juris acquiſiti eſt valde difficilis. Subſequente vero ſententia declaratoria, Parochiam tenetur reliquere, fructus inde perceptos a die criminis reſtituere, alienationes inde factæ debent reſcindi, & hæreditas, ſi inde facta eſſet, reſtitui. Idem dicendum de bonis ipſo facto confiſcatis, quæ ante judicis ſententiam poſſunt alienari ſine tertii tamen præjudicio; poſtea vero a Judice cum fructibus poſſunt repeti, ſi eſſet pœna ferendæ ſententiæ, quæ non a die criminis, ſed pronunciationis vim habet. 3. Invincibiliter ignorans eſſe jejunium, non jejunando, non incurrit pœnas non jejunantibus impoſitas; quia ubi non eſt culpa, non eſt pœna, niſi ſit non ob culpam, ſed ob bonum commune impoſita, ut privatio juris petendi debitum, vel impedimenta dirimentia, quæ etiam invincibiliter ignorantes incurrunt. 4. Sciens obligationem jejunii, ſed invincibiliter ignorans eſſe gravem, non incurrit pœnam ſaltem gravem; quia ob culpam levem gravis pœna non eſt juſta. 5. Pœnæ contra ſcienter, temerarie, audacter, præſumptuoſe delinquentes latæ, non incurruntur ab ignorantibus etiam vincibiliter legem prohibentem; quia non cenſentur præſumere, vel temerarie, vel audacter agere; modo ignorantia non ſit affectata; quia æquivalet ſcientiæ, & cum ea agens æqualiter, vel gravius peccat; fur tamen ſciens, furtum eſſe contra legem naturalem, & divinam, ignorans autem invincibiliter eſſe contra humanam, non eximitur a pęnis legis humanæ; quia Legislator non ſolum legis

ſuæ tranſgreſſionem, ſed & naturalis, & divinæ punire intendit; & homicida ignorans invincibiliter pænas inferni, & capitis, utramque tamen incurrit; quia non eſt de ratione pœnæ, ut ſit cognita, & volita, & invito imponitur, niſi ſint cenſuræ Eccleſiaſticæ, quas ignorantes invincibiliter etiam ſcienter contra legem peccantes, non incurrunt. Ita communis; *Cap. ut animarum 2. de Conſtit. in* 6. quia non propter culpam ſimpliciter ſecundum ſe imponuntur, ſed ob pœnæ contemptum, ac contumaciam contra Eccleſiam ſub cenſura præcipientem, vel prohibentem: imo nec eas incurrunt vincibiliter ignorantes, modo ignorantia non ſit mortaliter graſſa, vel ſupina; *Sylveſt. Nav. & alii*, quia ob eandem rationem non cenſentur contumaces contra Eccleſiam cenſuras comminantem.

QUÆR. 35. *Quid ſit lex favorabilis, ſeu privilegium?*

RESP. 1. Lex favorabilis, ſeu privilegium definitur ab Innoc. III. lex privata aliquid ſpeciale indulgens, & dividitur in reale, quod alicui rei annectitur v. g. loco, dignitati, vel muneri, & tranſit ad ſucceſſores; & in perſonale, quod perſonæ ratione ſui conceditur, cum qua exſpirat. Cenſetur autem reale, quando ſolum locus, dignitas &c. exprimitur, in dubio eſt perſonale, ſi ſit odioſum, reale, ſi ſit favorabile.

2. Privilegium favorabile eſt illud, quod affert privilegiato commodum, nullique incommodum, ut privilegium veſcendi carnibus in die jejunii, vel audiendi Miſſam tempore interdicti. Odioſum eſt illud, quod uni affert commodum, & alteri præjudicium, ut exemptio a tributis; juriſdictione &c. Privilegia ex motu proprio ſemper ſunt favorabilia, ex juris declaratione, licet alteri ſint odioſa, ac proinde amplæ interpretationis.

QUÆR. 36. *Quomodo privilegio uti liceat?*

Dico. Privilegio uti per ſe nemo tenetur, niſi per accidens, ratione præcepti implendi, vel ob præjudicium communitati præcavendum; nec extra territorium concedentis eo uti licet, ſi locale ſit, bene autem, ſi ſit perſonale, & legibus particularibus teritorii non repugnet, quibus peregrini ſe conformare tenentur.

Hinc 1. Privilegiatus tempore interdicti tenetur in die Feſti dicere Miſſam, ut præcepto ſatisfaciat. 2. Clericus tenetur ſe conformare Juri Canonico non comparendo in cauſis pure ſpiritualis ante Judicem laicum, ne ſtatui cle-

rica-

Digitized by Google

ricali præjudicium afferat. 3. Diſpenſatus pro veſcendis carnibus ob penuriam piſcium, extra territorium diſpenſantis non poteſt diſpenſatione uti; quia eſt localis, bene autem, ſi ob infirmitatem ei eſſet conceſſa, niſi in eo territorio aliud eſſet jejunium particulare. 4. Habens privilegium legendi libros prohibitos, poteſt extra territorium concedentis eos legere, non tamen prohibitos lege particulari loci, in quo exiſtit.

QUÆR. 37. *Quomodo privilegium amittatur?*

Dico. Privilegium amittitur, 1. Elapſu temporis pro eo determinati. 2. Renunciatione expreſſa, vel tacita per uſum contrarium, vel non uſum per tempus ad præſcriptionem ſufficiens, ſi alios gravet; ſi non gravet, non præſcribitur. 3. Per abuſum accedente ſententia declaratoria, niſi eſſet conceſſum cum conditione illud amittendi ipſo facto per abuſum; quia tunc ſine ſententia amittitur. 4. Per revocationem expreſſam privilegiato ſignificatam, vel tacitam per collationem privilegii contrarii. 5. Ceſſante cauſa finali.

Hinc: habens privilegium manducandi carnes in quadrageſima, jejunans illud non amittit; ſcienter vero, ac voluntarie per certum tempus ſolvens decimas, privilegium exemptionis amittit; quia alios gravat, non vero primum.

QUÆR. 38. *Quid ſit lex irritans?*

RESP. Lex irritans eſt ea, quæ actum aliquem, cui certæ deſunt conditiones, nullum, & irritum facit. Alia eſt pœnalis, qua actus irritatur in pænam peccati, talis eſt perceptionis fructuum ab omittente horas canonicas. Alia eſt legalis, quæ fit propter bonum commune, talis eſt irritatio matrimonii cum affine, teſtamenti ſine ſolemnitate &c.

QUÆR. 39. *Quomodo ignorantia impediat legem irritantem.*

Dico. Ignorantia invincibilis impedit irritationem pœnalem, non vero legalem, quæ omnes afficit; quia prima ſupponit culpam Theologicam, a qua ignorantia excuſat, videlicet invincibilis, non vero ſecunda.

Hinc 1. Omittens horas Canonicas ex mera oblivione naturali, vel morbo, facit fructus ſuos; quia lex irritans perceptionem fructuum, eſt pœnalis. 2. Ex ignorantia invincibili contrahens matrimonium cum affine in gradu prohibito, invalide contrahit; quia lex irritans matrimonium cum affine eſt legalis omnes obligans.

QUÆSTIO II.

DE CESSATIONE LEGIS.

QUÆRITUR. 1. Quot modis lex ceſſare poſſit?

Dico. LEX ceſſat ab intrinſeco. 1. Cum ob mutationem materiæ, vel circumſtantiarum fit inutilis, vel moraliter impoſſibilis. 2. ceſſante fine, vel cauſa adæquata legis reſpectu totius communitatis. Ab extrinſeco vero 1. Conſuetudine contraria. 2. Interpretatione. 3. Diſpenſatione. 4. Abrogatione. 5. Irritatione.

Hinc 1. Ceſſante periculo perverſionis reſpectu unius, aut alterius non ceſſat lex prohibens lectionem librorum hæreticorum, & illos ſine periculo perverſionis legentes, peccant, cenſuraſque, ubi ſunt in vigore, incurrunt; quia licet eſſet finis legis reſpectu unius, vel alterius, non tamen ceſſat reſpectu communitatis. 2. Lex jejunii pro pace ſimul, & pro ſanitate Principis lata, ſanato Principe, obligat adhuc pro pace obtinenda; ceſſat vero, ceſſante totaliter utraque cauſa legis.

QUÆR. 2. Quomodo ceſſet Lex conſuetudine, & interpretatione?

RESP. Prænot. Quomodo lex ceſſet conſuetudine, dictum eſt ſupra de lege non ſcripta. Interpretatio vero eſt duplex, nimirum ſimplex, & Epicheia. Interpretatio ſimplex, eſt terminorum legis ſimplex expoſitio: alia eſt authentica, quæ fit ab ipſo Legiſlatore; alia uſualis, quæ fit conſuetudine; alia doctrinalis, quæ fit per viros doctos, pro qua variæ traduntur Regulæ ſervandæ. Epicheia benigna, ac rationabilis declaratio, caſum aliquem particularem ob circumſtantias a Legiſlatore non comprehendi in lege, quamvis verbis legis exprimitur. His notatis.

Dico. Interpretatio ſimplex in omni lege fieri poteſt, non vero Epicheia; quia reſpectu Dei nullus caſus eſt improviſus, ſed ſolum in lege humana, videlicet: 1. Quando lex fit peccaminoſa. 2. In damnum Reipublicæ. 3. Legi ſuperiori contraria. In dubio vero ſtat poſſeſſio pro lege.

Hinc 1. Non licet furioſo proprium gladium reſtituere quia

quia illius reſtitutio fieret ob periculum peccaminoſa, licet vero arma lege prohibita aſſumere, pro tuenda civitate contra hoſtes; quia legis obſervatio eſſet in damnum Reipublicæ. 2. Poteſt in die Feſto Miſſa omitti a ſerviente ægroto illius ope indigenti: quia lex Miſſæ audiendæ alteri legi ſuperiori, nempe charitatis in his circumſtantiis eſt contraria.

QUÆR. 3. Quomodo lex ceſſet diſpenſatione?

RESP. Prænot. Diſpenſatio eſt relaxatio legis legitima auctoritate ad tempus facta in aliquo caſu, in quo alioquin obligaret. Cauſæ diſpenſandi aliæ ſunt intrinſecæ, nimirum, 1. Pietas, 2. Neceſſitas, 3. Utilitas. Aliæ ſunt extrinſecæ, videlicet: 1. Pax inter Principes conſervanda. 2. Defenſio Eccleſiæ a Principibus Eccleſiæ favoribus donatis. 3. Pecuniæ ſolutio pro ſumptibus publicis Eccleſiæ. His notatis.

Dico. Supremus Legiſlator in ferenda lege independens, ac ejus ſucceſſor in ſuis, & inferioris Legiſlatoris legibus ſecum, & cum aliis valide, etiam ſine cauſa diſpenſare poteſt; quia ea poteſtate, qua lex fit, poteſt tolli, ſed non licite ſine cauſa; quia eſſet in deſtructionem, & ſcandalum, ac perſonarum acceptatio: inferior autem Legiſlator in lege ſuperioris, vel in propria a ſuperiore in favorem ſubditorum confirmata, nec valide, nec licite diſpenſare poteſt; quia non habet juriſdictionem in legem ſuperioris, niſi ex ſuperioris conſenſu expreſſo, vel tacito; quem habere poteſt. 1. Ex conſuetudine, ob urgentem neceſſitatem, & periculum in mora. 2. Ob difficilem ad ſuperiorem recurſum. 3. In rebus parvi momenti frequenter occurrentibus, vel dubiis.

Hinc 1. Papa diſpenſare poteſt valide, etiam ſine cauſa, in ſuis, & Prædeceſſorum, ac Conciliorum generalium legibus; imo etiam ab Apoſtolis, ut Rectoribus Eccleſiæ latis; quia Papa eſt omnium caput, & pro diſpenſatione congregare Concilium generale, nimis eſſet difficile, & ita docet Praxis SS. Pontificum diſpenſantium, etiam in legibus a Conciliis generalibus factis, ut clandeſtinitatis, & aliorum impedimentorum dirimentium; non vero licite ſine cauſa, nec valide in juramento, vel votis; quia ſunt Juris divini, ſed ſolum declarare poteſt, ea ob mutationem materiæ, vel circumſtantias mutatas non obligare. 2. Epiſcopus diſpenſare poteſt in ſuis, & ſuorum Præde-

ceſſorum legibus, etiam ſynodalibus voto ſynodi ſolum conſultivo latis, non vero a Concilio nationali latis; nec ſuperiores in legibus a Capitulo voto definitivo latis, ſine expreſſo, vel tacito Concilii, vel Capituli conſenſu. Epiſcopus etiam diſpenſare poteſt in quibuſdam legibus Pontificiis juxta conſuetudinem ſuæ ſedis, urgente neceſſitate, vel periculo in mora, ob difficilem recurſum ad Papam, in caſibus dubiis, & parvi momenti ſæpe occurrentibus, ſic etiam Parochi ex conſuetudine in lege jejunii, & Feſtorum diſpenſare ſolent etiam præſente Epiſcopo. 3. Peccant petentes diſpenſationem impedimenti dirimentis ſine ulla cauſa, non vero occulte utentes diſpenſatione illius a Papa ſine cauſa conceſſa; quia fit ſine ſcandalo; peccant vero petentes, & utentes diſpenſatione jejunii ſine cauſa conceſſa, ſaltem contra legem naturalem dictantem conformitatem partis cum toto, & ſcandalum prohibentem. Diſpenſatus tamen ſincere cauſas diſpenſationis exponens, regulariter poteſt acquieſcere judicio diſpenſantis; quia ipſius eſt ſufficientiam cauſæ diſcutere.

QUÆR. 4. *Quomodo ceſſet diſpenſatio, ceſſante cauſa finali?*

Dico. Ceſſante cauſa finali diſpenſationis tempore, quo literæ diſpenſatoriæ expediuntur, vel etiam poſt earum expeditionem, ſed ante earum executionem a Mandatario factam, ceſſat diſpenſatio; quia nonniſi ex motivo cauſæ finalis allegatæ illam dare poteſt. Ceſſante vero cauſa finali poſt earum executionem a Mandatario factam, non ceſſat diſpenſatio, licet ſuum effectum nondum eſſet ſortita, in iis videlicet, qui non habent tractum ſucceſſivum, ut impedimenta matrimonii, irregularitates &c. quia impedimentum per diſpenſationem eſt abſolute ablatum. Ceſſat vero ſi habeat tractum ſucceſſivum, ut jejunium quadrageſimale; quia ejus diſpenſatio eſt virtualiter multiplex non abſolute tollens obligationem legis, ſed ſucceſſive, prout neceſſitas exigit.

Hinc 1. Ceſſat diſpenſatio impedimenti matrimonii conceſſa ad legitimandam prolem extra matrimonium conceptam, ſi proles ante ejus executionem moriatur; non vero ceſſat, ſi moriatur poſt diſpenſationem a Mandatario, v. g. Parocho, petentibus datam, licet matrimonium actu nondum ſit contractum. 2. Nec ceſſat diſpenſatio irregularitatis ob paupertatem matris conceſſa, ſi ſuſceptis Ordinibus ad meliorem redeat ſtatum, & poteſt altiores Ordines

dines

dines recipere. 3. Ceſſat vero diſpenſatio Quadrageſſimæ ob infirmitatem conceſſa, recuperata integra ſanitate, licet jam per mediam Quadrageſimam executioni fuiſſet mandata.

QUÆR. 5. Quomodo ceſſet diſpenſatio per obitum concedentis?

Dico. Diſpenſatio, ſicut & alia reſcripta, quibus gratia actu, vel Jus certum ad illam conceditur, non exſpirat per obitum concedentis, quamvis reſcripta juſtitiæ, & gratiæ odioſæ, re adhuc integra, concedentis morte finiantur. *Cap. 36. de Præb. in 6.*

Hinc 1. Facultates illimitatè conceſſæ extra juriſdictionem contentioſam, uti ſunt litteræ dimiſſoriæ, facultas audiendi confeſſiones, abſolvendi a cenſuris, & reſervatis, eligendi Confeſſarium, commutandi, & diſpenſandi vota, juramenta, impedimenta matrimonii, licentia non reſidendi ſtudiorum cauſa, celebrandi in domo privata, vel loco non benedicto &c. non exſpirant morte concedentis. *Vid. in 2. Part. de Juriſdict.* 2. Facultas vero nominandi certam perſonam ad Beneficium, re adhuc integra, finitur obitu concedentis; quia eſt gratia odioſa, & ſimul in alterius nominandi, ac ſucceſſoris præjudicium.

QUÆR. 6. Quando diſpenſatio ſit invalida?

Dico. Diſpenſatio ſubreptitia, quæ obtinetur per ſubticentiam veri, vel obreptitia, quæ obtinetur per narrationem falſi, eſt invalida, ſi cognita veritate, ſuperior non diſpenſaſſet; quia non intendit diſpenſare: valet tamen, ſi difficilius tantum diſpenſaſſet, modo reticentia veri, & narratio falſi ex ignorantia, & non malitioſe ſit facta; quia talis ab Innoc. III. declaratur nulla. Poteſt diſpenſatio obtineri etiam pro ignorante, vel invito, etiam a S. Pœnitentiaria ſaltem a Confeſſario, vel Conſanguineo in quarto gradu. Modum ad eam recurrendi, vide in fine 2. Partis.

QUÆR. 7. Quomodo ceſſet Lex, irritatione, abrogatione, & derogatione?

RESP. Præn. 1. Irritatio eſt legis nondum perfecte obligantis abolitio, facta ab eo, cujus eſt illam habere ratam.

2. Abrogatio eſt totius legis perfecte obligantis abolitio. Derogatio vero, eſt legis adhuc vigentis ſecundum aliquam ſui partem immutatio. His notatis.

Dico. Irritatio, abrogatio, & derogatio legis fieri poſſunt a Legiſlatore, & ipſius Superiore, etiam legis a ſuo

Præ-

prædeceſſore latæ, etiam abſque juſta cauſa ſaltem valide, non vero licite: quia eſſet in deſtructionem; ab inferiore vero nec valide, nec licite, Clem. V. quia non habet juriſdictionem in legem ſuperioris. Poteſtque fieri. 1. Per revocationem. 2. Per contrariæ conſuetudinis præſcriptionem. 3. Per legem contrariam; ita tamen, ut per univerſalem lex particularis loci non abrogetur, niſi ſpecialis de illa fiat mentio.

Hinc: licet ſupremus Legislator peccet, ſine juſta cauſa legem abrogando, non tamen peccant ſubditi, abrogatam non ſervando; quia omnino ceſſavit lex.

QUÆSTIO III.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

QUÆRITUR. 1. Quomodo obliget Præceptum audiendi Miſſam in diebus Dominicis, & Feſtivis?

DICO. Grave extat præceptum Eccleſiæ, devote in diebus Dominicis, ac Feſtivis integram audiendi Miſſam ab eodem Sacerdote, cui, ut ſatisfiat requiritur 1. Ex parte corporis, modeſta conformatio in vultu, & habitu; *Conc. Trid. Seſſ.* 21. ſaltem de convenientia. 2. Ex parte animæ, moralis præſentia, ita, ut celebrantem immediate, vel mediantibus aliorum geſtibus percipiat. 3. Intentio, ſaltem virtualis, audiendi Miſſam, & interpretativa ſatisfaciendi præcepto. 4. Pia in Deum, ac divina myſteria attentio, & affectio; & legitime impediti ab auditione Miſſæ, diem ſaltem Dominicam ſanctificare tenentur alio bono opere, ut eliciendo actus fidei, ſpei, charitatis, oratione &c. quod etiam in Feſtis ſuadendum eſt.

Hinc: graviter peccat 1. Omittens notabilem Miſſæ partem v. g. ab initio uſque poſt Offertorium, vel a Communione uſque ad finem. 2. Audiens unam partem ab uno, & alteram ab alio Sacerdote. 3. Per notabilem Miſſæ partem confabulantes, dormientes, examen conſcientiæ, vel confeſſionem facientes, vel alio opere ſe voluntarie diſtrahentes, & aliam Miſſam non audientes. 4. In Dominica a Miſſa legitime impediti, nullo alio bono ope-

re eam ſupplentes, & Dominicam ſanctificantes. Excuſantur tamen per breve tempus abſentes, præparando, vel quærendo ad Miſſam neceſſaria, & præcepto adhuc ſatisfaciunt ad Evangelium venientes, vel poſt Communionem recedentes,

QUÆR. 2. An gravis ſit obligatio audiendi Miſſam in propria Parochia in diebus Dominicis, & Feſtivis?

Dico. Miſſam in diebus Dominicis, ac Feſtivis in Eccleſiis Regularium audientes ſatisfaciunt præcepto. Ita *Leo X. S. Pius V. Clem VIII.* Pium tamen, maximeque decens eſt, ut quiſque in diebus Dominicis, majoribuſque Feſtis, ſi commode fieri poſſit. Miſſæ Parochiali interſit, eamque ſæpe ſine juſta cauſa negligens, graviter peccat, 1. Si fiat cum contemptu. 2. Cum periculo non addiſcendi neceſſaria, vel non ſervandi jejunia, & Feſta. 3. Si alicubi grave extaret præceptum, prout in Gallia in quibuſdam locis ſub pœna excommunicationis, contra in tribus Dominicis continuis ſine honeſta cauſa abſentes, ſtatutum eſt.

QUÆR. 3. Quanam ſint cauſa excuſantes ab auditione Miſſa in diebus Dominicis, & Feſtivis?

Dico. Cauſæ excuſantes ab auditione Miſſæ ſunt impotentia phyſica, qua quis abſolute ab auditione Miſſæ eſt impeditus, & impotentia moralis, quæ eſt eorum, qui Miſſam audire nequeunt, ſine gravi incommodo ſui, vel proximi, vitæ, corporis, animæ, famæ, bonorum, lucri &c.

Hinc: excuſantur ab auditione Miſſæ. 1. Impotentia phyſica: incarcerati, ægroti, nimium diſtantes. 2. Impotentia morali: convaleſcentes, longe diſtantes, v. g. trium, vel quatuor horarum, vel etiam minus diſtantes, ob pluvias, nives, difficultatem viæ, vel ob infirmitatem, vel ætatem. 3. Interdicti, & excommunicati non tolerati. 4. Ægrotis inſervientes, matres nutrientes infantes, ac domum cuſtodientes, cuſtodes gregum, viatores, mercatores, curſores, nautæ, muliones, famuli &c. ſi ſine gravi damno, & magnis impenſis Miſſam accedere, vel exſpectare nequeant. 5. Non decenter veſtiti, ex fornicatione occulta gravidæ, vel ex conſuetudine egredi non audentes, ut tempore partus, nec ſibi in loco privato Miſſam procurare tenentur. 6. Non tamen excuſantur famulæ tardius ſurgentes, quæ non ſatis maturè pro victu, & veſtitu neceſſaria præparantes, propterea impeditæ, Miſſam non audiunt.

QUÆR.

QUÆR. 4. *Quomodo dies Feſtivi ſanctificandi ſint?*

RESP. Prænot. 1. Præceptum ſanctificandi dies Feſtos eſt duplex: affirmativum nimirum, quatenus cultum Dei præcipit, & negativum, quatenus opera ſervilia prohibet.

2. Opera bona, quibus dies Feſti ſanctificari poſſunt, ſunt præter Miſſam; Concio, Catechiſmus, Veſperæ, Oratio, Lectio ſpiritualis, docere ignorantes, viſitare ægrotos, & alia opera miſericordiæ ſpiritualia, & corporalia.

3. Opera liberalia ſunt, quæ ad animum colendum ſpectant, hominemque liberum decent; & ſunt 1. docere, ſtudere, legere, ſcribere, dare conſilium, concionari. 2. Canere, inſtrumenta Muſica pulſare, ludere, Choreas ducere; licet alia ratione poſſint eſſe prohibitæ. 3. Venari, piſcari parvo labore v. g. arundine, vel leporem, uno, aut alio cane inſequi, aucupare retibus exiguis. 4. Pingere res valde parvas, lineare domus, picturæ, vel operis textorii adumbrationem ducere. 5. Præparare victui neceſſaria, purgare cubile &c.

4. Opera per ſe ſervilia ſunt, quæ a ſervis, & infima plebe, vel artificibus fieri ſolent, ut 1. arare, ſeminare, fructus, ligna, fœnum colligere, vecturas laborioſas, navigia, currus, jumenta onuſta ducere. 2. Nere, imprimere, caracteres ordinare, ſculpere, pingere, niſi eſſent res valde parvæ, parietes colorare, colores terere. 3. Piſcari, venari magno labore, quamvis fieret recreationis cauſa.

5. Opera ſervilia ex conſtitutione Juris ſunt. 1. Opera forenſia, uti in Judicio Civili, citare teſtes, exigere juramentum, & in criminali ſaltem ferre ſententiam; quia quamvis liceat in judicio criminali in die Feſtivo citare, & audire teſtes, exigere juramentum; prohibitum tamen eſt ferre ſententiam. 2. Mercatus, nundinæ, emere, vendere res non neceſſarias, locare, conducere cum inſtrumento publico.

6. Materiæ gravitas deſumitur, 1. Ex notabili fatigatione, & diuturnitate laboris, ſic v. g. in opere laborioſo, quod minus eſt hora, & in opere minus ſervili, vel laborioſo, quod minus eſt duabus horis, materia levis eſt; quod magis eſt, materia gravis eſt. 2. Ex unione materiæ, ſic reſpectu Heri imperantis tribus famulis opus laborio-

borioſum per mediam horam durans, coaleſcit, vel æquivalet labori duranti per horam, & mediam, & facit materiam gravem reſpectu Heri, præcipue ſi dolo fiat, licet reſpectu ſervorum ſit levis. 3. In forenſibus, deſumitur ex gravitate negotii. His notatis.

Dico. Licet omnes Chriſti Fideles in diebus Dominicis, ac Feſtivis non ſolum Miſſæ ſolemni, Concioni, Catechiſmo, ac Veſperis intereſſe, ſed in laude Dei, & honorum operum exercitio ad Veſperam uſque perſeverare Eccleſia, ac SS. Patres deſiderent; ſolius tamen Miſſæ auditio per ſe, & ſub peccato mortali præcepta eſt; quia per eam tanquam opus præſtantiſſimum dies Feſtivi perfectius ſanctificantur. Veſperis tamen intereſſe, vel alio pio opere eas ſupplere negligens, venialiter peccat; ita ſentit S. Antoninus, ac Fideles communiter.

QUÆR. 5. Quanam opera prohibeantur in diebus Dominicis, & Feſtivis?

Dico. Diebus Dominicis, ac Feſtivis opera ſervilia gravi prohibentur præcepto, quorum omiſſione integra dies ſanctificari debet; quia, quoad hanc partem, eſt præceptum negativum, non autem eodem modo tota dies per bona opera ſanctificanda præcipitur; quia, quoad iſtam partem præceptum eſt affirmativum: ideoque peccata mere interna, vel occulta, licet in diebus Dominicis, ac Feſtivis commiſſa, ſint graviora, ut omnes fatentur; non tamen ex ſanctitate temporis novam ſpeciem, vel circumſtantiam notabiliter aggravantem in Confeſſione neceſſario explicandam, contrahunt, *Cajet. Sylvius*, *Pont. & alii communiter contra P. Thom. ex Charm.*; niſi exteriori cultui Feſtorum notabiliter repugnent. 1. Quia ita docet communis praxis Confeſſariorum, ac ſenſus Fidelium, qui innumeris exponerentur ſcrupulis, ſi ſe accuſare, & Confeſſarii inquirere tenerentur de peccatis, an in diebus Feſtis fuerint commiſſa. 2. Quia peccata nullibi in diebus Feſtis ſpeciali præcepto prohibita ſunt. 3. Quia peccata non ſunt opus ſervile, niſi metaphorice, ſeu myſtice, *S. Thom.* ac proinde non ſunt contra ſubſtantiam præcepti opus ſervile duntaxat prohibentis, & ſanctificationem per certa opera, ut auditionem Miſſæ, præcipientis.

QUÆR. 6. Quanam ſint cauſa excuſantes ab opere ſervili?

Dico. Cauſæ excuſantes ab opere ſervili ſunt ſex, videli-

delicet 1. Conſuetudo legitime introducta. 2. Pietas erga Deum non remota. 3. Charitas erga proximum; 4. Lætitia publica. 5. Neceſſitas, vel notabilis utilitas propria, vel aliena corporalis, vel ſpiritualis, quæ præveniri, differri, vel omitti non potuit. 6. Diſpenſatio legitima.

Hinc: excuſantur 1. *Conſuetudine*, nundinæ, in quibusdam locis introductæ; emptiones, venditiones rerum parvi momenti, uſui quotidiano neceſſariarum; contractus privati, maxime inter plebejos; quia nonniſi diebus Feſtis convenire poſſunt, & ex conſuetudine videntur tolerati, ſic etiam permittuntur circa illos, acta Notarii, contractus matrimoniales, teſtamenta &c. quia permittente neceſſitate, vel conſuetudine contractus, etiam permittuntur acta Notarii tanquam acceſſorium. 2. *Pietate* geſtantes Cruces in Proceſſione, Imagines, Reliquias, inſufflantes organis, agitantes thuribulum, pulſantes campanas, ornantes Altaria ſertis, candelabris, veſtimentis, ut Pallio Tabernaculi, antipendio; quia proxime ad cultum Dei pertinent; non vero excuſantur ornantes parietes tapetibus, componentes ſerta pro altaribus, Eccleſiam lavantes, aras in viis pnblicis erigentes, ſi commode die præcedenti fieri potuiſſent, ſaltem venialiter peccant, *Bill.* quia remote tantum ad cultum Dei pertinent; lapides vero advehentes ad aram conſtruendam, ligna ad Eccleſiam ædificandam, linteamina Eccleſiæ lavantes, conficientes, vel reficientes, calices fabricantes, agros Eccleſiæ colentes, & ſimilia facientes, mortaliter peccant; quia remotius ad cultum Dei pettinent; vel facientes ſcapularia, roſaria, cordulas, flores, imagines cereas, ſericas, vel chartaceas, & ſimilia pietilia Monialium, præcipue, ſi his, diu immorentur, *Henno*; nec excuſantur motivo pietatis. 3. *Charitate*; medicinas pro ægrotis præparantes, actus judiciales pro pauperibus exercentes &c. 4. *Lætitia publica*, ut conſtruentes ignes artificioſos, theatra perficientes, aulas ornantes pro adventu magni Principis, vel obtenta de hoſte victoria, niſi poſſent prævenire. *Neceſſitate, vel utilitate notabili*, pauperes audita Miſſa clam ſine ſcandalo laborantes, ſi aliter ſe, & ſuos alere nequeant, ſervi, ancillæ ſuas veſtes reficientes, ſi aliis diebus eis non permittatur, nec per alios eas reficere valeant; vel etiam ex metu gravi Dominorum, una aut altera vice laborantes; ſi enim ſæpius fiat, ſuos Heros deſerant:

reſtau-

reſtauratores pontium, viarum, fontium, ſi differre nequeant laborem, piſcatores certorum piſcium, qui certis tantum temporibus cæpi ſolent, molitores, naucleri dependentes a ventis, laniones, piſtores, ſi ob populi concurſum prævenire nequeant; ſartores ob ſolemnitatem nuptiarum, exequiarum laborantes, barbitonſores ruſticos, & opifices aliis diebus laboribus depreſſos tondentes; mercatores urbium iiſdem ruſticis calceos, veſtimenta &c. vendentes, cum aliis diebus urbem accedere nequeant; vitriarii, coctores laterum, vectores, opere, vel itinere inchoato, quod abſque gravi damno interrumpere nequeunt: ruſtici ob aeris intemperiem, hoſtiles incurſus &c. meſſem, vindemiam, fœna colligentes; attamen petito prius conſenſu Parochi, niſi periculum ſit in mora, in diebus tamen Dominicis major requiritur; in omnibus prædictis neceſſitas, quam in diebus Feſtivis. 6. Partim *neceſſitate*, partim *conſuetudine* excuſantur ruſtici in diebus Dominicis, & Feſtis gratis tranſvehentes ſive equis, ſive curru, ſive navi, quæſtus Religioſorum mendicantium; quia ſuis expenſis in diebus ferialibus ægre ſufficerent, & ſic fere ubique practicari ſolet abſque contradictione, aut ſcandalo, & tacito Superiorum conſenſu, *Bill.* quod in Feſtis minoribus facilius, & communiter admittitur, ait Sylveſter: Licentiam vero, ſi neceſſaria foret, non poſſunt Prælati regulares concedere, etiamſi ageretur de labore intra ſepta Monaſterii a ſæcularibus peragendo; quia in eos nullam habent juriſdictionem, ſed ab Epiſcopo, vel eorum Parocho eſſet obtinenda; *Rodriquez.*

QUÆR. 7. *Quomodo præceptum jejunii, & abſtinentiæ ſit obſervandum?*

Dico. Jejunium Eccleſiaſticum eſt abſtinentia a quibuſdam cibis, a carne nimirum, & in quibusdam locis ab ovis ſimul, & lacticiniis, cum unica in die refectione non notabiliter interrupta, hora competenti ſumenda. Ideoque tria ad illud legitime obſervandum requiruntur, videlicet, 1. Abſtinentia a carne, & ubi eſt conſuetudo, ab ovis, & lacticiniis. 2. Unica refectio non notabiliter interrupta, permiſſa parva collatiuncula veſpertina. 3. Certum tempus refectionis, nempe circa meridiem.

Hinc 1. graviter peccant 1. ſine juſta cauſa manducantes carnes in quantitate excedente mediam unciam; *Paul. Lugd.* vel utentes larto, pinguedine porcorum, vel anſerum,

rum, ſanguinem, &c. in notabili quantitate. 2. Sumentes ſecundam, vel plures refectiones, vel collationem duplo majorem alias permiſſa, & toties, quoties ſumunt, etiam in cibis quadrageſimalibus, ultra unam refectionem, & collationem, id, quod æquivalet levi jentaculo, vel collationi, vel tertiæ parti refectionis, *Billuart*, vel pluſquam duas uncias, *P. Gerv.*; quia talis quantitas cenſetur gravis, & præceptum de unica refectione, licet videatur verbotenus affirmativum, in re tamen, eſt negativum, & permittendo unicam tantum refectionem cum parva collatione, plures prohibet, *Sylv. Medina, & alii*; pro collatione vero communiter quarta pars moderatæ refectionis permittitur, *P. Gerv.*; vel quod æquivalet mediocri jentaculo, *Bill.* quantitas tamen, ac qualitas ciborum pro collatione, diverſa eſſe poteſt pro diverſitate conſuetudinis Prælatis Eccleſiæ notæ, & tacitè approbatæ, vel pro ratione regionum frigidarum, vel complexionis, laboris, ætatis, infirmitatis, itineris, &c. Cibi calidi ordinarie ſine cauſa non ſunt liciti, *P. Gerv.*; Multi putant, ut Bonacina Cajet, & alii, collationem non in qualitate, ſed in quantitate conſiſtere, & nullis cibis quadrageſimalibus violari, ſaltem puto, non violari mortaliter, niſi exceſſu notabili in quantitate. 3. Graviter peccat aliquid leve, ſed pluries in die jejunii ultra prandium, & collationem manducans, cum ad notabilem quantitatem advertenter pervenerit, vel ſi intentionem ad illam perveniendi habuerit; quia ita patet ex damnatione propoſ. 29. ab Alex. VII. & qui mane ſcienter, vel inadvertenter jentaculum ſumpſerit æquivalens prandio, tenetur eſſe contentus veſpertina collatione; ſi vero fuerit æquivalens collationi, poteſt ſumere cœnam, aut ſi ſubſit ratio, v. g. quia debet adeſſe communitati prandenti, ſumere prandium omiſſa collatione, *Bill.*; quia debet ſalvari unica refectio, iu quantum poteſt.

Hinc 2. Non peccant, 3. manducantes carnes a carne piſcium parum diſtinctas, ut ranarum, lutrarum, gallinarum aquaticarum, &c. 2. nec anticipantes prandium juſta cauſa, v. g. iter faciendi, hoſpites dimittendi, debilitati ſtomachi ſuccurrendi, &c. 3. nec ob easdem rationes illud uſque ad veſperam differentes, ſumpta mane collatione: Nec ſumentes liquidum extra refectionem, niſi ſimul nutriat; ut juſculum, lac, uvæ, etiamſi ſuccus

ſolum-

ſolum exugatur; vel etiam vinum, caffetum, ſi in notabili quantitate, & in fraudem jejunii ſumantur, vel aliquem ſpecialiter nutriant; quoad chocolatum adhuc difficilius permittitur; cujus tamen una parva patera in quibusdam locis, honeſta cauſa ſumpta, conſuetudine toleratur; ſaltem non eſt materia notabilis. 4. Nec ſaltem graviter peccat lautius prandens, ut laborem jejunii facilius ſuſtineat, quamvis levis quædam intemperantia ſubreperet; quia juxta S. Thomam quantitas cibi in una refectione non taxatur præcepto jejunii, nec ſi ob eandem rationem pridie lautius cœnaret; aut poſtridie citius jentaret; ſi tamen gravi cum exceſſu ita impleret ventrem præciſe eo animo, ut nullatenus ſentiret difficultatem jejunii, vix præter peccatum intemperantiæ, ab alio contra jejunium excuſari poteſt; quia S. Thomas ait: *legem violat, qui in fraudem legis aliquid facit*. 5. Nec videntur peccare contra jejunium, diſpenſata Quadrageſima, manducantes carnes in Dominicis, pluſquam bina vice; quia pro iſtis diebus, lex cenſetur integre diſpenſata, non vero pro aliis diebus; niſi de alia conſtet diſpenſantis intentione; & ita in Diœceſi Argentinenſi declaratum eſt.

Hinc 3. Non peccant interrumpentes prandium ex juſta cauſa, ut plerumque pauperes non habentes, ut integram refectionem ſimul, & ſemel ſumere poſſint, vel infirmus, non valens eodem tempore, integram ſumere refectionem, ob ſtomachi infirmitatem; Parochus, inchoata refectione, vocatus ad audiendam ægroti periclitantis confeſſionem; mercator, occurrente occaſione tranſeunte vendendi, aut ſolutionem percipiendi, quæ ſine damno, vel periculo lucri notabilis, negligi nequit: vel aſſiſtens ægroto ſub prandio auxilio indigenti; quia in prædictis eſt impotentia, vel phyſica, ut in pauperibus, vel moralis, ut in aliis: abrumpens vero menſam ſine cauſa legitima per notabile tempus, puta unius horæ, ſine animo continuandi, ſive finiendi, & eidem, vel alteri accumbens, mortaliter peccat, contra ſubſtantiam jejunii, ſi fuerit antea ſufficienter refectus, vel contra modum unicæ refectionis; & venialiter, ſi interruptio fuerit ſemi-horæ animo continuandi, vel ſemiquadrantis, animo finiendi, & nullum, ſi fuerit breviſſima interruptio; quia in moralibus, parum pro nihilo reputatur. Sic non peccant ſub menſa miniſtrantes, modo refectio non ultra duas protra-

hatur horas; quia cenſetur moraliter eadem refectio; non ita videntur excuſari lectores, & miniſtrantes, paulo ante menſam aliquid ſumentes, & poſt menſam abſolventes, niſi infirmitas eos excuſet.

QUÆR. 8. *Quænam ſint cauſæ a jejunio excuſantes?*

Dico. Cauſæ a jejunio in toto, vel ex parte excuſantes, ſunt quinque, videlicet: 1. Impotentia ſaltem moralis. 2. Labor gravis. Pietas, ac utilitas publica. 4. Diſpenſatio. 5. Materiæ parvitas, ſaltem a mortali excuſat.

Hinc. 1. Excuſantur *impotentia* a jejunio ſimul, & abſtinentia notabiliter ægroti, & convaleſcentes gravi, vel longo morbo extenuati, prout etiam eſt febris tertiana, vel quartana diuturna: pauperes non habentes niſi cibos prohibitos, vel non ſufficientes, non ſolo pane contenti eſſe tenentur. 2. A ſolo jejunio, non vero ab abſtinentia, excuſantur debiles, qui ob debilitatem ſtomachi, integram refectionem ſumere nequeunt; fœminæ gravidæ, vel lactantes; item ſexagenarii, ſi ſint debiles, & adoleſcentes ante 21. annum; a jejunio tamen regulæ in noſtro Ordine profeſſi, non ſunt exempti, licet ſint ſexagenarii, niſi ſimul ſint debiles, nec ante 21. annum, niſi eſſet jejunium Eccleſiæ in regula non præceptum, ut in vigilis; non vero in Quadrageſima, quia in regula ſimul eſt præcepta.

2. Excuſantur a ſolo jejunio *Labore*. 1. Fabri ferrarii, lignarii, ſutores, agricolæ, vinitores, foſſores, & alii notabiliter laborantes ex neceſſitate, vel officio &c. in diebus, in quibus laborant, vel ſi ob labores antecedentes, vel ſubſequentes fatigati ſint, licet una, aut altera die non laborent, etiamſi ſint divites. *Eug. IV. apud P. Gerv.*; niſi operis labor commode differri poſſit, vel diminui abſque detrimento, S. Thom. 2. 2. q. 157. a. 4. quod gravi labori ordinarie deditis raro contingere ſolet; vel niſi in fraudem jejunii laborent; vel labor non ſit honeſtus. 2. Itinerantes pedeſtres, cum notabili fatigatione, quæ ex difficultate viæ, diſtantia, v. S. trium vel quatuor horarum, debilitate perſonæ, neceſſitate itineris continuandi dijudicanda eſt; equo tamen, vel curru itenerantes non excuſantur, niſi per plures dies itinerantes notabiliter eſſent fatigati, nec ſi peregrinatio facile differri, vel abbreviari poſſet. 3. Qui

Offi-

Officium, ad quod tenentur; cum jejunio exercere nequeunt.

3. *Pietate, vel utilitate publica*, excuſantur, 1. Concionatores; Præceptores; Profeſſores ordinarii; Cantores, Confeſſarii, &c. ſi labor eorum tantus eſſet, ut propter jejunium omitti deberet. Apud nos potius a concionando abſtinere, quam Jejunium frangere, a Conſtitutionibus noſtris jubentur. His, quidam addunt, itinerantes devotionis cauſa; quia, ut ait S. Thomas, Eccleſia; inſtituendo Jejunium, non intendit impedire pias cauſas.

4. *Diſpenſatione*; excuſantur, diſpenſati a Papa, Epiſcopo; Parocho; Prælato; regulari Guardiano aut Vicario in ejus abſentia &c. etiam in jejunio regulæ Diſpenſato jejunio Eccleſiæ ab Epiſcopo, non poſſunt tamen Religioſi exempti; manducare carnes; etiam extra Conventum, non obtenta prius ſuorum Prælatorum licentia., niſi ubi conſuetudine; ipſis conſentientibus, ita ſit receptum, ut quoad lacticinia; & ova; nec poſſunt Confeſſarii laicis diſpenſare, ſed tantum neceſſitatem declarare, quæ, ſi ſit clara; non indiget diſpenſatione; niſi ubi a ſuperioribus exigitur, vel ex convenientia; unde eos mittant ad Parochum.

5. *Parvitate materiæ*, ſaltem a mortali excuſantur, 1. ſumentes quantum coquo ſufficit ad guſtandum, infirmario ad cauſandum ægroto appetitum, vel mediam unciam in carne, & duas in cibis quadrageſimalibus, ultra unam refectionem, & collationem. 2. Interrumpentes prandium per mediam horam, animo continuandi, & durante adhuc eodem prandio; vel animo finiendi, ſed poſt brevius intervallum, puta ſemiquadrantis circiter, eidem vel alteri menſæ incumbentes; *Billuart, & quidam alii*; quia videtur materiæ parvitas. 3. Prandium per unam, aut alteram horam ſine ratione anticipantes, vel collationem mane ſumentes.

6. Non tamen excuſantur, 1. illi, quorum labor non eſt notabilis, ut Pictorum, Barbitonſorum, Sartorum, Scribarum, &c. & Opificum, qui ſolum materiam præparant. 2. Quorum labor, licet notabilis, non tamen eſt neceſſarius, ut venantium ſolius recreationis cauſa, ludentium pila, itinerantium ſine neceſſitate, vel notabili utilitate. 3. Quorum labor non eſt licitus, ut in die Feſto. 4. Nec per ſe excuſantur uxores, quæ cum jejunio

non poſſunt reddere debitum, niſi ſimul ſint debiles; quia promiſſio debiti intelligitur, & obligat in quantum ſine legis transgreſſione fieri poteſt; bene autem per accidens ad vitandam alterius incontinentiam, iram, blaſphemias, &c. quia alia lex charitatis, ita ſuadet.

De aliis Præceptis Ecccleſiæ, videlicet annuæ Confeſſionis, ac Communionis Paſchalis, opportunius tractabitur in 2. Parte, in Tract. de Pœnit. & Euchar.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS III.

DE VARIORUM STATUUM OBLIGATIONIBUS.

Tractatus hic quatuor habet quæſtiones, 1. de obligationibus Clericorum, 2. de Simonia, 3. de obligationibus Religioſorum, 4. de obligationibus parentum, & aliorum officiorum.

QUÆSTIO I.

DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM.

Quæritur 1. Quænam ſint generales Clericorum obbigationes?

Dico. Clericis Statum Eccleſiaſticum aggredientibus præcipitur 1. ut vera vocatione, bona intentione, non turpis lucri gratia Statum Clericalem amplectantur. 2. Ut ſibi comparent, & conſervent competentem ſcientiam. 3. Ut ſint perfectionis ſui ſtatus ſtudioſi, obedientes Epiſcopo, pauperes ſpiritu, caſtitate præditi. 4. Ut tonſuram, ac nigram geſtent veſtem talarem, præſertim Beneficiarii, vel Sacris initiati. 5. Ut accipientes Beneficium, voluntatem in Statu Eccleſiaſtico perſeverandi, habeant.

Hinc: graviter peccat 1. Statum Clericalem ſine debita vocatione, intentione, & principaliter apetitu rerum temporalium amplectens, vel eum promovens, nec in pœ-

nam delicti ad Sacerdotium, vel Monachatum aliquis compelli poteſt; quia plus honoris, ac dignitatis, quam oneris habent, & peccati vindicta eſſe nequeunt. 2. In Sacris conſtitutus, præcipue regimini animarum deditus, ſtudium perfectionis ſui ſtatus, vel ſcientiæ ſuis functionibus neceſſariæ notabiliter negligens. 3. Epiſcopo in re gravi inobediens, lucri ſuo ſtatui graviter prohibiti nimis cupidus, & in Sacris conſtitutus caſtitatem violans, duplicis peccati eſt reus. 4. Clerici Beneficiarii, vel Sacris initiati tonſuram, aut nigram veſtem talarem per notabile tempus geſtare negligentes, *Tourn. & Pont. & alii*; Ubi nimirum ſtatutum Concilii Tridentini, vel Diœceſanum ſub gravi obligatione eſt receptum; niſi itinere faciendo, vel alia juſta cauſa excuſentur; non tamen itinerantibus ſine veſte talari celebrare licet; *Tourn.* niſi cogente neceſſitate. In minoribus vero, habens propoſitum in ſtatu clericali permanendi, venialiter ſaltem peccat, tonſuram, vel habitum clericalem non geſtans; nec comam adſcititiam, niſi modeſte, & ex juſta cauſa ferre licet; *Tourn.* 5. Beneficium recipiens ſe ſolum ditandi, vel ſuſtentandi cauſa, donec uxorem ſumat, illud reſignare tenetur, & ſi eſſet curatum, & non haberet animum infra annum ſuſcipiendi Sacerdotium, præter peccatum mortale, fructus reſtituere tenetur.

Quær. 2. Quænam Clericis prohibeantur?

Dico. Clericis graviter prohibita ſunt ſequentia, 1. Negotiatio, alienarumque poſſeſſionum conductio, lucri cauſa. 2. Negotiorum alienorum adminiſtratio. 3. Venatio clamoroſa. 4. Armorum geſtio, excepta itineris neceſſitate. 5. Comœdiæ, choreæ, ac ſaltationes publicæ. 6. Ludus alearum, & chartarum a fortuna dependentium. 7. Propinarum ingreſſus. 8. Chirurgiæ exercitium, non vero Medicinæ, niſi ob defectum ſcientiæ, vel peritiæ. 9. Officium Judicis in cauſa ſanguinis, & Advocati, niſi in propria, vel miſerabilium cauſa.

Hinc: graviter peccant Clerici. 1. Aliena prædia, agros &c. lucri cauſa conducentes, ſaltem ſi ſint in ſacris, vel Beneficiarii, vel Religioſi; niſi gravis eos excuſet neceſſitas, *S. Aug. & alii*; non vero peccant animalia in propriis prædiis alentes, & ex lana, lacte &c. lucrum percipientes, *Tourn.* Nec artem exercentes; modo non deceat ſtatum clericalem, ut chartas luſorias, vel arma belli-

Digitized by Google

bellica, aut taxillas conficiendo, vel nundinas frequentando. *Tourn.* Nec, ſaltem mortaliter peccant, per alios negotiantes, pecuniam mercatoribus in ſocietatem conferendo, totam laico curam relinquentes. *Ibid.* 2. Temporalia in domibus Nobilium, vel aliorum ſine neceſſitate, & licentia Epiſcopi adminiſtrantes, vel officium Advocati, Procuratoris, Tabellionis exercentes, niſi in propria cauſa, Eccleſiæ, aut miſerabilium. In Gallia tamen ob bonum commune etiam in civilibus, officio Conſiliarii, in ſuprema Curia fungi ſolent. 3. Venantes clamore, armis, canibus, avibus &c. non vero peccant venatione quieta, laqueo, retibus, recreationis moderatæ, vel neceſſitatis cauſa. 4. Geſtantes arma, excepta itineris neceſſitate. 5. Choreas, ac ſaltationes publicas ducentes, cum ſcandalo, & ſtatus clericalis dedecore, vel comœdiis, ac ſpectaculis aſſiſtentes. 6. Ludentes aleis, chartis &c. a ſola fortuna dependentibus, vel cum jactura notabilis temporis ad ſtudia neceſſarii, aut magnæ pecuniarum ſummæ, ſaltem ſi fiat cum ſcandalo, quod facilius in Religioſis arctiorem, ſanctioremque vitam profitentibus, evenire poteſt, ſic PP. Capucinos, vel Carmelitas Diſcalceatos, & ſimiles chartis ludentes, mortalis reos judicat *Lugo Card. apud Tourn.* non vero moderate, & interveniente induſtria, honeſtæ recreationis cauſa, ludentes. 7. Popinas ſine neceſſitate ingredientes, ſaltem ubi ſpecialia deſuper ſtatuta diœceſana graviter obligantia vigent, vel ſi ſcandalum ſequeretur. 8. Chirurgiam exercentes cum aduſtione, inciſione, aut amputatione, vel Medicum gerentes, & ob imperitiam, vel negligentiam mortem promoventes, fiuntque ſimul irregulares.

Quær. 3. *Quænam ſint particulares Clericorum & Beneficiatorum obligationes?*

Dico. Tenentur 1. Clerici ſimplices divinis inter eſſe Officiis diebus Feſtis, ac Dominicis; patet ex *Conc. Trid. de Reform. Cap.* 6. 2. Sacras Eccleſiæ cæremonias ſcire, & obſervare, præcipue ſi ſint in Sacris, & Beneficiarii ad divini Officii recitationem juxta Breviarium ſuæ, vel Romanæ Eccleſiæ. 3. Ad Beneficii legitimam acquiſitionem, reſignationem, vel permutationem. 4. Ad præſcriptam in loco beneficii reſidentiam. 6. Et in ſacris, ad caſtitatem, per implicitum caſtitatis omnimodæ votum; *Tourn. & communior.* 7. Ad Simoniæ evitationem, de qua ſpecialis infra erit quæſtio.

Hinc 1. duplicis peccati eſt reus ſacris Ordinibus inſignitus, cogitatione, vel delectatione moroſa caſtitatem violans, nempe luxuriæ, & ſacrilegii. 2. Graviter peccant, qui contra Canones, vel ſtatuta Diœceſana ſub gravi peccato recepta, habent ancillas juniores, vel cum proximo pudicitiæ temerandæ periculo; *Tourn.* 3. Suſpectas apud ſe, retinentes mulieres, in quocunque gradu conſanguineas, præcipue pravam de ſe ſuſpicionem, & laicis ſcandalum ingerentes, *ibid.*

Quær. 4. Quinam ad divinum Officium & parvum B. V. Mariæ teneantur?

Dico. Ad Officium juxta Breviarium propriæ, vel Romanæ Eccleſiæ, ab una media nocte ad alteram, ſub gravi peccato, obligantur 1. Clerici ſacris initiati, incipiendo in die ordinationis ab hora, qua ordinantur. 2. Beneficium Eccleſiaſticum, etiam tenue poſſidentes, a tempore tranquillæ poſſeſſionis, quamvis ſacris non ſint initiati, etiam primis annis carentiæ, *Saſſarath*; quia fructus applicantur Fabricæ, ad cujus conſervationem tenentur contribuere. 3. Religioſi, ac Moniales ad Chorum profeſſi, ab hora profeſſionis. 4. Ad ſolum Officium B. V. Mariæ obligantur penſionem, vel alios Eccleſiæ fructus; ut Clerici percipientes, *S. Pius V.* vel quaſdam ſimplices Præpoſituras, Patronatus, Prioratus, &c. habentes, ad Officium parvum B. V. Mariæ, tantum ex fundatione eorum obligantes, Ad neutrum vero tenentur 1. Coadjutores, & Cappellani, quorum Capellania non eſt collativa, nec auctoritate Epiſcopi erecta. 2. Beneficiarii nullos percipientes fructus abſque eorum culpa, ut tempore belli, &c.; nec ſpem illos recuperandi habentes. 3. Quorum Beneficium inter duos eſt litigioſum, neuter ad illud tenetur. 4. Invalide ad Beneficium promoti, v. g. per Simoniam, cum irregularitate, excommunicatione, vel ante ætatem requiſitam, &c.; niſi alio titulo v. g. Ordinum, ad Officium divinum obligentur; nec Officium B. V. Mariæ, eſt de præcepto in Choro in diebus ferialibus, ubi non fuit de præcepto ante Bullam S. Pii V. nec Pſalmi graduales, ac pœnitentiales.

Quær. 5. Quomodo ad Officium divinum, vel B. V. Mariæ obligati, illud recitare teneantur?

Dico. Ad Officium divinum vel parvum B. V. obligati, tenentur juxta *Cap. dolentes* illud dicere: 1. ſtudioſe, id

eſt

eſt integre ſine notabili omiſſione, mutatione, aut verborum mutilatione; ordinate, non dicendo unam ante alteram horam; diſtincte, verba articulate, motu linguæ, & labiorum pronuntiando. 2. Devote, id eſt cum intentione ſaltem virtuali, dicendi Officium, & interpretativa ſatisfaciendi, & cum attentione ſaltem virtuali, id eſt actuali virtualiter perſeverante ad verba, ne erret, vel ad ſenſum, vel ad Deum, diſtractionem in ſe, vel in ſua cauſa voluntariam excludente.

Hinc: graviter peccant, 1. ad Officium divinum, vel parvum B. V. Mariæ obligati, etiam degradati, excommunicati, ſuſpenſi, ad triremes damnati, ſi tempus habeant ſufficiens, notabilem partem, v. g. integram horam, vel nocturnum omittentes, vel voluntarie diſtracte perſolventes, etiam infra annos carentiæ. 2. Verſum incipientes antequam ſocius ſuum finiat, vel pro tertio verſu, tertium ſocium adhibentes, vel verſus, pro quibus organum pulſatur, non recitantes, vel cogitantes, aut ab alio audientes, vel non omnia verba articulate ore pronunciantes, ita ut ſimul ſumpta notabilem faciant materiam. 3. Scienter unum Officium, præſertim notabiliter diverſum, vel majus, ut Dominicæ, vel Paſchatis in Officium de Sancto mutantes, vel in alia, quam lingua latina, illud recitantes; quia agunt in re gravi contra uſum Eccleſiæ, 4. Venialiter ſaltem peccant ſine cauſa juſta nimis præcipitanter, attamen ſine ſcandalo, contemptu, aut notabili omiſſione Officium recitantes, vel interrumpentes, ſeparando unum Pſalmum ab alio, abſque tamen ſcandalo, prout facile in Choro fieri poſſet, vel dicentes unam horam ante aliam, vel eas non dicentes horis præſcriptis extra Chorum, videlicet matutinum pridie a tempore veſpertino occaſui propiore, quam meridiei, uſque ad horam decimam ſequentis diei, parvas horas ante meridiem. Veſperas poſt meridiem, exceptis Feriis Quadrageſimæ, & Completorium poſt Veſperas. Non tamen peccant venialiter, ſi prædicta fiant juſta cauſa, v. g. dicendo horas non horis præſcriptis, vel eas interrumpendo, ut quis ægroto aſſiſtat, vel mandatum Superioris audiat, vel dicendo unam horam ante aliam, ut Officium cum Choro continuet, vel cum ſocio oret, vel ſeparando tantum matutinum a Laudibus, dicto Pater noſter, & oratione; vel recitando, unum Officium pro alio, ex inadvertentia inculpabi-

pabili, vel aſſiſtendo ſolemnitati alienæ Eccleſiæ, vel orando cum ægroto; tenentur tamen ſupplere ea, quæ ſunt propria proprii Officii, & cognito errore recitare reſiduum proprii Officii: non autem licet Officium omiſſum, ſubſtituere in diem Officii per errorem recitati, ſed debet in ſua propria die iterum dici. Poteſt Director Monialium, dicens earum Miſſam conventualem de Sancto Ordinis, etiam ejus dicere Officium de communi, ſi proprium, non ſit pro omnibus approbatum, & Regularis inſerviens per notabile tempus alienæ Eccleſiæ, illius recitare Officium, imo teneri videtur ipſi Tournely. 6. Sæcularis certæ mancipatus Eccleſiæ tenetur illius recitare Officium; ſi nulli, dicat Romanum, & ſi plura haberet Beneficia, recitare debet Officium pinguioris; & Regulares abſentes, Conventus ſui tenentur recitare Officium, *S. R. Congr.* 8. *Sept.* 1662. & inter ſuffragia facere commemorationem titularis ſui Conventus; ſi vero frequentent Chorum, eidem ſe conforment, licet quibuſdam horis non intereſſent. *Brev. Ord.* 7. Excuſantur a veniali, omittentes aliquos verſus, vertendo folia, &c., vel ex naturali, vel involita conſuetudine, verba ſyncopantes, vel ex defectu oculorum, vel auditus non omnia in Choro perſolventes, vel alios non audientes; quia faciunt, quantum eſt ex ſe, & Sixtus IV. declaravit Fratribus Minoribus ſufficere, in fine aliquem Pſalmum ſubjunxiſſe. Nec ille, qui adhibita debita diligentia, lectiones ob malam legentis pronunciationem, non intelligit, eas repetere tenetur. *Pont.* 8. Satisfacit accipiens Breviarium, vel accedens Chorum, ut Officium recitet cum attentione ad id, quod incipit, licet involuntarie diſtractus pergat uſque in finem; quia volens recitare Officium, implicite habet intentionem honorandi Deum, & ſatisfaciendi ſuæ obligationi, ac virtualem cenſetur habere attentionem, quamvis perfectionis ſtudioſum, deceat majoris præparationis, ac devotionis adhibere conatum.

Quær. 6. *Ad quid teneatur Officium divinum omittens?*

Dico. Ad Officium divinum, ſeu parvum B. V. per Beneficium, aut alios Eccleſiæ reditus obligatus, elapſis ſex menſibus poſt adeptam tranquillam Beneficii poſſeſſionem, totum omittens Officium, vel voluntarie diſtracte perſolvens, vel in aliud ſine cauſa, præſertim notabiliter brevius mutans, tenetur fructus illi diei correſpondentes ad

pias

pias cauſas reſtituere; vel pro matutino medietatem, & pro qualibet alia hora ſextam partem; *S. Pius V.* & quidem ante declaratoriam Judicis ſententiam; quia non ſatisfaciendo Officio, non facit fructus ſuos; *Conc. Lat. S. Pius V.* an autem eodem modo obligentur Curati, Epiſcopi, & Parochi, ſicut Canonici, non conveniunt Auctores. Æqualiter obligari aſſerit *Nav. Dur. Suar. & alii*, & Concilium Lat. ſub Leone X. expreſſe ait: ut quilibet habens Beneficium cum cura, vel ſine cura; ſi non recitet divinum Officium, non faciat fructus ſuos; idem confirmat *S. Pius V.* Curatores vero majorem partem fructuum pro aliis ſui Officii oneribus retinere poſſe, docet *Med. P. Gerv. Tourn. & alii*: quia dignus eſt operarius mercede ſua. 2. Quia Concilium Lat. & Bulla S. Pii V. non cum tanto rigore fuerunt recepta; *Vanroy. Habert*; & poſſunt intelligi de fructibus correſpondentibus divino Officio, non vero aliis operibus debitis; alius enim ſenſus non eſſet æquitati conformis. 3. Quia ita docet Praxis Epiſcoporum, ac Parochorum, quartam partem fructuum pro rata Officii omiſſi, reſtituentium, reliquas pro aliis oneribus retinentium; *Henriquez*. Prior opinio videtur conformior verbis Concilii Lat. & Bullæ S. Pii, & eſt ſecurior; ſecunda vero eſt conformior rationi, & probabilior, poteſtque in Praxi retineri; *Tourn.* præcipue ubi conſuetudine confirmatur. Ad Chorum autem in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis obligati, ultra tres menſes, vel etiam brevius tempus, juxta ſtatuta propriæ Eccleſiæ, abſque juſta cauſa, ab eo abſentes mortaliter peccant, niſi parvitas materiæ, v. g. unius, aut alterius diei reſpectu novem menſium, a mortali excuſet; & diſtributiones quotidianas percipere nequeunt, quamvis alios Beneficii fructus faciant ſuos, ſi Officium privatim recitent; niſi etiam illis conſuetudine propriæ Eccleſiæ, vel per ſententiam priventur. *P. Gerv.* Vid. infra de reſid.

Hinc 1. Clericus in Sacris duo habens Beneficia, & per unum ad Chorum obligatus, ſicut unico Officio quatruplici ſatisfacit obligationi, ita illud omittendo quatruplex committit peccatum, & utriuſque Beneficii reditus, & diſtributiones reſtituere tenetur Eccleſiæ, vel pauperibus, vel etiam defunctis, Miſſas applicando, vel pro melioratione bonorum Beneficii, niſi obſtet conſuetudo, vel ſtatutum, vel diſtributiones maſſæ incorporari ſoleant, ex-

ceptis

ceptis duobus, vel tribus annis carentiæ, quando nullos omnino percipiunt fructus, *Laym. Nav.*; quia fructus illius temporis jam applicantur Fabricæ; vel ſi tempore belli, vel alio injuſto modo, nullos perciperet fructus, nec penes ipſum ſteterit, illos percipiendi; vel ſi Beneficium eſſet litigioſum, licet ſperet victoriam. *P. Gerv.*; quia nullus adhuc eſt in tranquilla poſſeſſione. Tenetur tamen ad reſtitutionem, ſi pacifice Beneficium poſſideat, licet fructus ſint ſequeſtrati, *Baſſ.*; vel ſi ſex primis menſibus Officium divinum non recitaverit, ſaltem in foro conſcientiæ; *Tour. Suar. & alii*; quia peccat contra Juſtitiam commutativam, cum ſtipendium pro illo dicendo acceperit, & SS. Pontifices poſt ſex menſes Officium omittentes modo obligantes, intelliguntur tantum in foro externo. 2. Curati, ut Epiſcopi quintam partem fructuum pro rata Officii omiſſi. *Henriq.*; vel ut alii volunt tertiam, vel quartam, vel juxta judicium prudentum, & pro ratione aliorum onerum, reſtituere tenentur, *Tourn.*; ſic Capellanus habens præter Officium divinum, obligationem Miſſæ ſingulis diebus dicendæ, ad mediam partem pro Officio omiſſo, vel ſi tantum ſemel in hebdomada teneatur ad Miſſam, ad majorem partem fructuum obligari poteſt; quia Officium eſt major pars onerum Beneficii. 3. Regulares ſæpe a Choro abſentes, vel notabiliter ſero venientes, vel ante finem recedentes, licet graviter peccent, ad nullam tamen tenentur reſtitutionem. Poſſunt etiam Superiores noſtri ex conceſſione Clementis VIII. Lectores a Choro diſpenſare in diebus, in quibus legunt, & Concionatores in iis, in quibus concionantur, vel etiam alios ex juſta cauſa; *Gerv. & alii*. 4. Peccant Superiores graviter horam in Choro omitti, vel tempus notabiliter mutari, permittentes, niſi ex juſta cauſa, v. g. ob Proceſſionem, vel adventum magni Principis anticipetur; eodem modo peccant ſubditi, ſi ob eorum abſentiam aliqua hora omitteretur, vel Chorus notabiliter pateretur: duo tamen ſufficiunt pro Choro, cui etiam Novitii ſine profeſſo ſatisfaciunt. *P. Gerv.*

Quær. 7. *Quot ſint cauſæ excuſantes a recitatione divini Officii, & a Choro?*

Dico. Cauſæ a divini Officii recitatione excuſantes, ſunt 1. Impotentia phyſica, vel moralis. 2. Diſpenſatio Papæ. 3. Gravis, honeſta, ac neceſſaria occupatio, quæ abſque

gravi

gravi ſui, vel proximi detrimento corporali, ſeu ſpirituali omitti, aut differri nequit. Cauſæ vero a Choro eximentes cum perceptione fructuum Beneficii, non autem diſtributionum, ſunt 1. Indulgentia Eccleſiæ, quoad tres menſes. 2. Prælectio, vel ſtudium per quinquennium Theologiæ, vel juris Canonici. 3. Obſequium duorum Canonicorum Epiſcopo pro Eccleſiæ utilitate, vel Papæ exhibendum. 4. Adminiſtratio functionum Parochialium tempore Officii. Cauſæ vero excuſantes a Choro cum perceptione omnium fructuum etiam diſtributionum, ſunt. 1. Infirmitas. 2. Rationabilis corporis neceſſitas. 3. Evidens Eccleſiæ propriæ utilitas. *Bonif. VIII.*

Hinc, a recitatione Officii, excuſantur. 1. *Impotentia phyſica*, cœcus, vel non habens Breviarium; quæ tamen iſti ſciunt memoriter, ea dicere tenentur, & non habens proprium, tenetur dicere alienum. 2. *Impotentia moral*: timens grave damnum, vel proditionem inter hæreticos, vel gravi morbo laborans; non tamen ſufficit levis ſtomachi, vel pectoris dolor; nec febris tertiana, aut quartana, ſi non tota die affligat, niſi ex ejus recitatione experiat ſtomachi cruditatem, capitis gravedinem, virium laſſitudinem, tardiorem morbi relaxationem; in dubio ſtandum eſt judicio conſcientioſi Medici, vel adhibenda eſt Superioris diſpenſatio; qui injungendo unum Pater noſter, & ſeptem Ave, apud nos diſpenſare poteſt; *Clem. VII.* qui vero non poteſt dicere integrum, tenetur ad partem; qui non poteſt ſolus, tenetur cum ſocio ſaltem facile comparabili, præſertim, ſi alias illud cum ſocio recitare conſueverit. 3. Eximuntur a Choro, & reditus Beneficii, vel penſionem ſcholarem, non vero diſtributiones pro præſentia, recipere poſſunt, juniores Canonici, per quinquennium Theologiæ ſtudentes, vel Profeſſores illam docentes, tempore, quo docent, & Secretarius, vel duo alii Canonici, in obſequio Epiſcopi, pro utilitate Eccleſiæ, vel ob eandem cauſam, ſervitio Papæ addicti. 4. Eximuntur a Choro, & etiam diſtributiones lucrantur, ob pedum, vel oculorum &c., infirmitatem, acceſſum ad Chorum impedientem; convaleſcentes ex conſilio Medici, vel ob medicinam ſumendam, vel aerem in alia civitate, vel loco pro recuperanda ſantitate, vel ob ſenectutem e domo egredi non valentes, vel ab hoſte retenti, injuſte incarcerati, negotiis Capituli ex ejus mandato, tempore Officii occupati, v.

Digitized by Google

ti, v. g. faciendo diſtributionem redituum, aut exercendo Eccleſiæ ſuæ Juriſdictionem, vel nomine Capituli ad Papam, vel alium Principem legatione miſſi.

Quær. 8. Quid ſit, & quotuplex ſit Beneficium?

Reſp. 1. Beneficium eſt Jus perpetuum, competens Clerico, percipiendi fructus, ex bonis Eccleſiaſticis, propter Officium ſpirituale, auctoritate Eccleſiæ conſtitutum. Hinc Vicaria, & Commenda temporalis, penſio etiam perpetua, Capellania non collativa, quæ non eſt auctoritate Epiſcopi erecta, non ſunt Beneficia.

2. Beneficium dividitur in ſæculare, quod pro Clericis ſæcularibus, & regulare, quod pro regularibus eſt inſtitutum; omne cenſetur ſæculare, niſi ex fundatione, vel per pacificam 40. annorum præſcriptionem probetur regulare; & in Gallia triplici inſuper collatione, ita ut nec ſola trium regularium poſſeſſio, nec unius per 40. annos ſufficiat; *Nonet*; *Duperra*; *Fuet*, *& Gibert*. modo non fuerit datum in commendam; quia commenda, quantocunque tempore durat, Beneficii naturam non mutat; *Molinaus apud Tourn.*

3. Dividitur in ſimplex, & duplex, ſeu curatum. Simplex eſt, quod non habet annexam curam animarum, vel præeminentiam; duplex eſt, quod habet annexam curam animarum, ut Parochia; vel præeminentiam cum juriſdictione, in foro externo, & vocatur dignitas, ut Epiſcopatus, Prælatura &c. vel præeminentiam ſine juriſdictione, & vocatur perſonatus, ut Primiceriatus, Lectoratus; vel ſolum adminiſtrationem ſine juriſdictione, & dicitur Officium, ut Cantoria &c.

4. Dividitur in titulare, quod cum plenitudine juris confertur, juxta ejus fundationem, & commendatum, quod ſolius adminiſtrationis, vel cuſtodiæ gratia traditur, & æquivalet Beneficio in titulum dato, ſi ſit ad vitam.

Quær. 9. Quot ſint tituli, quibus Beneficium acquiri poteſt?

Dico. Septem ſunt tituli, quibus Beneficium acquiri poteſt, nimirum. 1. Collatio libera. 2. Præſentatio. 3. Electio. 4. Poſtulatio. 5. Reſignatio. 6. Permutatio. 7. Subrogatio, & in Gallia datur inſuper regreſſus.

Collatio, eſt attributio Beneficii facta a Prælato jure pleno independente a jure patronatus, electione &c.

1. Fit a Papa, 1. præventione præveniendo Patronum Eccleſiaſticum, non ſæcularem, per gratiam exſpectativam ad

ad primum Beneficium vacans. 2. Jure reſervationis per mandatum, vel indultum, aut in favorem graduatorum, quorum in Gallia in Januario, & Julio de rigore jus habent antiquiores, nominati ab Univerſitate pro Beneficiis vi graduum poſſidendis, & in Aprili, & Octobri de favore ad arbitrium Patroni. 3. Jure concurſus cum alio Collatore Eccleſiaſtico, in Germania alternatim, v. g. in Januario, Martio &c. ita tamen, ut ſi infra tres menſes a die notæ vacationis in loco Beneficii nulla a Papa appareat diſpoſitio, Ordinarius libere conferat. 4. Jure devoluti, ob inhabilitatem poſſidentis, vel negligentiam Collatoris.

2. Fit ab Epiſcopo in ſua diœceſi, niſi ex fundatione, vel legitima præſcriptione ad alios ſpectet, vel etiam jure devoluti, ſi inferiores ſint negligentes.

3. Fit a Capitulo ſede vacante quoad Beneficia, quæ ſimul cum Epiſcopo conferre ſolet.

4. Rex Galliæ nominat 1. omnes Epiſcopos, & Archiepiſcopos, ac Abbates. 2. Mortuo Epiſcopo Jure Regaliæ omnes Beneficiatos de nominatione Epiſcopi exceptis Parochis. 3. Præſtito ab Epiſcopo juramento fidelitatis, ad primum Canonicatum, aut dignitatem vacantem, & dependentem a collatione Epiſcopi. 4. Poſt ſuſceptam Remis conſecrationem, ad primam Præbendam in qualibet Regni Cathedrali, & Collegiata vacantem. 5. Denique ad omnia Beneficia a ſe, vel a ſuis Prædeceſſoribus fundata.

Præſentatio, eſt exhibitio perſonæ idoneæ a Patrono facta Prælato, ut ipſi Beneficium vacans conferat per inſtitutionem. Præſentatio, dat jus ad rem, & inſtitutio, jus in re: Patronatus autem: eſt poteſtas præſentandi Clericum ad Beneficium vacans per mortem, vel per reſignationem. Jus patronatus, eſt duplex, Eccleſiaſticum, quod a perſona Eccleſiaſtica de bonis Eccleſiæ fundatum eſt, & laicum, quod a laico, vel Clerico de bonis patrimonialibus fundatum eſt, & utrique competit ex fundatione; quia patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.

Conveniunt Patronatus Eccleſiaſticus, & laicus, quod neuter Patronorum poſſit ſe ipſum preſentare, bene autem ſuum filium, ſi ſit capax, & poteſt ipſimet conſentienti, Beneficium conferri ab Epiſcopo proprio motu, & ſi plures ejuſdem Beneficii Patroni non conveniant præſentatione, is, in quem plures conveniunt, eſt præferendus;

ſi

Digitized by Google

ſi æquales circa diverſa ſubjecta, poteſt Epiſcopus præferre, quod voluerit. Differunt 1. quia Patronus laicus quatuor habet menſes ad præſentandum a die vacationis Beneficii, ſex vero Eccleſiaſticus, intra quod tempus, ſi non præſentent, Epiſcopus jure devoluti illud confert. 2. Laicus, ſi duos ſucceſſive præſentet ante inſtitutionem, poteſt Epiſcopus alterutrum inſtituere, non vero ſi Patronus ſit Eccleſiaſticus, ſed prior tempore, potior jure. 3. Laicus poteſt variare, & ſi indignum præſentaverit, poteſt alium præſentare, non vero Eccleſiaſticus, ſed jure ſuo pro illa vice privatur, & a Collatore confertur. 4. Beneficium Patroni laici non poteſt abſque ejus conſenſu reſignari, permutari, penſione gravari, nec præveniri a Papa, jure indultorum, graduatorum, vel gratiarum exſpectativarum, bene autem Patroni Eccleſiaſtici.

Electio, eſt perſonæ eligibilis præ aliis ad Beneficium vacans aſſumptio: ut valida ſit, requiritur. 1. Legitima jus electionis habentium vocatio. 2. Ut fiat intra trimeſtre. 3. Ut Electores ſint ſaltem Subdiaconi. 4. Ut major pars conſentiat; ſi tamen non eſſet Canonica, ſufficit pluralitas, ſi ita antea convenerint, & ſolet fieri, 1. per ſcrutinium. 2. Per compromiſſum; committendo uni, vel pluribus communi eligentium conſenſu, electionem faciendam. 3. Per inſpirationem, omnes in unum viva voce conveniendo. Electio, dat jus ad rem, confirmatio vero ſubſequens Superioris, jus in re.

Poſtulatio, eſt obſecratio ab Electoribus Superiori facta, ut ad Beneficium vacans admittat aliquem, qui alias ob impedimentum Canonicum non eſt eligibilis, v. g. quia non eſt de capitulo, vel non habet ætatem, vel eſt illegitimus &c. Ut ſit valida requiritur. 1. ut habeat duas partes capituli, alias ultra tertiam partem habens, præferendus eſt. 2. Admiſſio Superioris, quæ dat jus ad rem, & in re; antea enim nullum habet.

Reſignatio, eſt ſpontanea ſui Beneficii dimiſſio facta coram legitimo Superiore eam acceptante. Alia eſt ſimplex, quæ fit ſine conditione, & pacto. Alia eſt conditionata, quæ fit cum reſervatione penſionis, vel in favorem alterius, cum conditione, ut illi Beneficium conferatur. Reſignatio ſimplex, poteſt ab ordinario Collatore admitti, & Beneficium, cui libuerit, conferri, licet ſine Simoniæ labe a reſignante rogari poſſit, ut tali conferat; & reſignans

omni

omni ſpoliatur jure. Reſignatio vero conditionata, 1. poteſt a ſolo Papa admitti, eam a Simonia purgante, diſpenſatione. 2. Papa debet conferre Beneficium ei, in cujus favorem reſignatio eſt facta. 3. Reſignans retinet jus, donec conditio impleta ſit; & ut valida ſit, debet habere ſequentes conditiones. 1. Ut reſignans in infirmitate ſupervivat 20. dies poſt reſignationem. 2. Ut intra ſex menſes a die ſupplicationis datæ, reſignatio publicetur in loco Beneficii, ſi fiat in Curia Romana, & intra menſes, ſi fiat alibi. 3. Ut Patronus conſentiat, ſi ſit laicus, vel privilegium laici habeat, ut Ordo Melitenſis, prout probant ex variis Bullis, præcipue Pii IV. & Gregor. XIII. in Gallia Literis Patentibus, & Edicto Regis 1719. confirmatis. 4. Ut a Superiore acceptetur.

Permutatio, eſt Beneficii ad aliud Beneficium facta mutua præſtatio, ab Ordinario admiſſa. Ut valeat, præter pleraſque conditiones ad reſignationem in favorem requiſitas, habere debet ſequentes, 1. conſenſus Patroni laici, & Eccleſiaſtici debet ſaltem peti, & licet non obtineatur, attamen valet. 2. Ut fiat rerum ejuſdem generis, ſpiritualia cum ſpiritualibus, jus in re cum jure in re, & non cum jure ſolum ad rem; nam Beneficium præſens actu poſſeſſum, cum ſola nominatione ad Beneficium, non valeret, nec decimæ, vel jus patronatus cum Beneficio; bene autem plura pro uno; duplex, vel dignitas pro ſimplici.

Regreſſus, eſt jus reſumendi Beneficium reſignatum, aut permutatum, etiam poſt admiſſam a Prælato reſignationem, vel permutationem, quamvis ſit contra Concilium Tridentinum; valet tamen in Gallia in ſequentibus caſibus, 1. ſi in gravi infirmitate reſignans, convaleſcat, 2. ſi facta permutatione, unum Beneficium deprehendatur litigioſum, & continuata lite, evictum fuerit, alter redibit ad ſuum, 3. ſi ob criminis capitalis accuſationem reſignans, evadat damnationem, 4. ſi unum Beneficium nova penſione gravetur, vel veterem ignoraverit, 5. ſi reſignatarius penſionem promiſſam a Papa approbatam, non ſolvat, 6. ſi vi, fraude, dolo, metu ſit facta: in reſignatione tamen, non debet conditio regreſſus, exprimi, alias vacabit per obitum.

Subrogatio, eſt unius vocatio in jus alterius: ſolummodo locum habet inter duos litigantes, quorum uno mortuo, alter

alter per ſimplicem petitionem Judici factam ejus jus acquirit, ita, ut, ſi mortuus jus alteri ceſſiſſet, & Beneficium impetraſſet, ejus proviſio eſſet irrita.

Quær. 10. *Quomodo Beneficium vacet?*

Dico. Beneficium vacat, 1. per mortem naturalem, vel civilem, per profeſſionem religioſam, vel condemnationem ad mortem abſque appellatione, vel per ſententiam in effigie executam, vel ad triremes, aut exilium in perpetuum, vel ad tempus ultra novem annos. 2. Per matrimonium, etiam ratum, vel invalidum. *Tourn.* 3. Per reſignationem, & permutationem. 4. Per crimina quædam atrocia, qualia ſunt hæreſis, ſchiſma, crimen falſi in literis Apoſtolicis, notabilis læſio Sedis Apoſtolicæ in perſona Papæ, vel Cardinalium, crimen læſæ Majeſtatis, incarceratio Clerici, ut reſignet Beneficium, ſodomia, beſtialitas, ſimonia confidentiæ, intruſio in Beneficium, carnale commercium Confeſſarii cum ſua pœnitente, homicidium, publicum, vel qualificatum, patris, fratris, propriæ prolis, Epiſcopi, Presbyteri, Clerici inſervientis Eccleſiæ, vel mutilatio, accedente Judicis ſententia, licet hæc neceſſaria non ſit, ut titulo devoluti Beneficium impetretur ex omni delicto irregularitatem pariente, modo ſubſequatur ſententiæ pro ejus poſſeſſione. Si non fiat Sacerdos intra tempus pro Beneficio præſcriptum. 6. Per Beneficium incompatibile cum eo, quod jam habet; quorum unum intra annum optionis a die tranquillæ poſſeſſionis reſignare, permutare, vel dimittere tenetur. 7. Simoniace, vel mala fide ſine titulo Beneficium invadendo, fitque ad illud inhabilis. *Alex. III.* Attamen, ſi bona fide abſque labe Simoniæ cum titulo colorato, v. g. collatione, electione, &c. ingreſſus: triennalem poſſeſſionem pacificam habeat, & aliunde non ſit inhabilis, illud retinere poteſt.

Quær. 11. *Quid ſit penſio, a quo, & ob quas cauſas conſtitui poſſit?*

Dico. Penſio eſt jus percipiendi fructus ex alterius Beneficio a Papa conceſſum. 1. Ut tollatur Beneficiorum permutatorum inæqualitas. 2. Ut lis inter duos de Beneficio litigantes componantur. 3. Ut Sacerdoti indigenti, qui Beneficio inſervivit, ſubveniatur. In Gallia poteſt penſio, etiam in neceſſitate, conſtitui ab Epiſcopis. 1. Cum uniunt Beneficia, vel conſtituunt Vicarios Parochis ex infir-

infirmitate, ſua munia exercere non valentibus. 2. Cum fiunt tranſactiones pacis gratia. 3. In permutationibus mandato Epiſcopi, vel ſententia Officialis factis; ut autem penſio licite conſtitui, ac percipi poſſit, requiritur. 1. ut penſionarius ſuſtentationem aliunde habere nequeat. 2. Ut Beneficio, ſi reſidentiam exigat, per quindecim annos illi inſervierit, vel eidem ob gravem infirmitatem amplius inſervire nequeat. 3. Ut penſio tertiam partem fructuum non excedat, quamvis Papa ex juſta cauſa, majorem conſtituere poſſit. 4. ut titulario ad victum, & veſtium ſuperſint ſufficientia, nimirum ad minimum trecentæ libræ annuæ. 5. Ut percipiens penſionem, ſit Clericus, ſaltem prima tonſura initiatus, & ex thoro legitimo, ac immunis ab omni cenſura, & irregularitate. 6. Ut conſenſum Patroni, ſi ſit laicus, habeat.

Quær. 12. *Quomodo penſio extinguatur?*

Dico. Penſio extinguitur iiſdem mediis, quibus fit Beneficiorum vacatio, ut per matrimonium, homicidium præmediatum, profeſſionem religioſam &c. vel etiam redemptione, conſentiente Papa, ſolvendo penſionem pro certis annis; non tamen morte reſignatarii penſio extinguitur, ſi ſit realis cum clauſula: *ad quoſcunque ſucceſſores.*

Quær. 13. *Quibuſnam Beneficia conferenda ſit?*

Dico: Omnia Beneficia Eccleſiaſtica, maxime autem curata ſub gravi peccato conferri, reſignari &c. debent dignioribus *Conc. Trid.*; qui nimirum præter conditiones a jure requiſitas, morum honeſtate, ſcientia, prudentia, ac experientia alios antecedunt, niſi pro certo loco, vel familia eſſent fundata. Poteſt tamen aliquando, ad non curata, etiam dignus, relicto digniore promoveri, videlicet 1. cum id poſtulat charitas, ut pauper Clericus inopia levetur. 2. Cum majus Eccleſiæ bonum exigit, ut minus idoneus a cura amoveatur, & dignior pro Beneficio curato ſervetur. Poteſt etiam aliquando promoveri dignus, etiam ad Beneficia curata, relicto digniore. 1. Si promovendus debeat eſſe ex gremio. 2. Si ipſe fundator Beneficii, præſentet dignum, *C. Monaſterium cauſ.* 16. *q.* 7. non ſolum prima vice, ſed toties, quoties Beneficium ipſo vivente vacat, modo hoc jus ſibi reſervaverit in erectione Beneficii: hoc jus tamen non tranſit ad hæredes, *Bill.* 3. Si votum datum digniori non ſolum, non prodeſſet, ſed ſi non conferatur minus digno, omnino indignus eligeretur.

4. Si Patronus præſentet, licet peccet, poteſt tamen præſentatus, ab Epiſcopo admitti ſine peccato; quia eum recuſare nequit.

Hinc 1. Ipſo jure invalida eſt ad Beneficium promotio, 1. Si promotus non habeat tonſuram, vel ordinem a Beneficio requiſitum, vel ſaltem intra annum, illum non ſuſcipiat. 2. Si non habeat ætatem requiſitam, pro Epiſcopatu, videlicet 30. in Germania, in Gallia vero 27. annos inchoatos, ad dignitates ſine cura, 22. completos. Pro Beneficio ſimplici, 14. inchoatos, ad Canonicatum vero in Eccleſia Cathedrali, 21. propter annexum Subdiaconatum, ex conſuetudine tamen datur etiam habenti tantum 14. annos. 3. Si ſit maritatus, vel aliqua cenſura, aut irregularitate notatus. 4. In Gallia ſi ſit extraneus, valida quidem eſt collatio, ita, ut Beneficium reſignare poſſit, non vero retinere, niſi literas naturalitatis obtineat, *Gibet. & alii plures apud Tourn.*

Hinc 2. Valida, ſed mortaliter illicita eſt promotio. 1. Si fiat ad Beneficium curatum, vel Officium Eccleſiaſticum indigni, vel minus digni prætermiſſo digniori, & uterque, promovens indignum, & indignus promotus, tenetur reſtituere Eccleſiæ, omnia damna, ex indigna adminiſtratione ſecuta; quia promovens peccat contra juſtitiam diſtributivam, & ſimul commutativam erga Eccleſiam, cui, ex officio, tenetur præficere dignos Miniſtros; & promotus, quia illud acceptando, injuſtitiæ cooperatur; & ſi promotus, Beneficium dimittere renuat, debet ad id compelli a Judice Eccleſiaſtico, interveniente Promotore, *Bill.* Promovens vero indignum, vel dignum relicto digniore extra concurſum, nihil tenetur reſtituere digniori prætermiſſo; quia nullum habet jus ſtrictum ad Beneficium, ſed tantum, ne impediatur dolo, fraude, vi, metu &c. nec promovens dignum, relicto digniori, tenetur reſtituere Eccleſiæ; quia Eccleſia illam non ſolet exigere, licet per ſe, illam exigere poſſet. Promovens vero minus dignum in dicto concurſu, relicto manifeſte digniore, tenetur ad reſtitutionem digniori; quia fit ipſi injuria contra juſtitiam commutativam; cum dignior, jus habeat ſtrictum ad Beneficium, æque, ac victor in certamine publico, ad præmium propoſitum, *Bill.* niſi parva tantum eſſet differentia, inter promotum, & digniorem; quia Epiſcopus, & Examinatores, non cenſentur velle tam ſtrictam, ſibi imponere obligatio-

gationem, alias nimis difficile eſſet, illorum officium, *ibid.* Nec tenetur minus dignus promotus, Beneficium dimittere; quia promotio eſt valida, & dignior relictus, habet tantum jus ad rem, & recurſum ad Promotores; promotus vero, habet jus in re. Nec tenetur ad aliquam aliam reſtitutionem; quia poteſt ſupponere, Examinatores functos fuiſſe ſuo munere, & attendiſſe ad qualitates ipſi ignotas; Si autem ei certo conſtabat, ipſum injuſte promotum iri, videtur obligari, deficiente Epiſcopo, uti cooperator injuſtitiæ, *Bill.*; quia debuiſſet ſe retrahere ab acceptatione injuſta. Non tenetur tamen Collator, vel Patronus digniorem inquirere in toto regno; quia hoc non raro deceptioni eſſet obnoxium, ſed ex his, qui in promptu ſunt, aut quorum notitiam habet, vel morali diligentia habere poteſt. Nec dignitas hic attenditur ſimpliciter, & ſecundum ſe, ſed comparative ad bonum commune, quod aliquando potens in opere, & ſermone, robuſta ſanitate, ac induſtria, magis promovere poteſt, præcipue in Beneficio laborioſo, quam alius ſanctior, & doctior cum parva complexione. Non autem excuſatur Collator, vel Patronus, ſi neſciat eſſe indignum; quia debet poſitive ſcire eſſe dignum, & inquirere, ut ſatisfaciat ſuæ conſcientiæ. 2. Valida, ſed graviter illicita eſt promotio minus digni relicto digniore ad Beneficium ſimplex, ſed gravis momenti, v. g. ob ſuffragium dandum in electionibus ad dignitates, & officia curam animarum habentia, quia inde, grave damnum inferri poteſt Eccleſiæ; ad alia vero ſimplicia minoris momenti, ut modici Canonicatus, Capellaniæ ſine cura, non niſi veniale eſſe videtur, *Sylvius, Nav. Leſſ. Cabaſſ. & alii*; quia ordinarie duntaxat ad recitationem Officii divini, vel Miſſam dicendam obligant; modo non frequenter fiat; quia tunc, grave Eccleſiæ, poſſet evenire damnum defectu Miniſtrorum, probitate, ac doctrina perſpicuorum. 3. Valida, ſed graviter illicita, eſt collatio per reſignationem, vel permutationem cum digno, relicto digniore, *Sot. Nav. Sylvius Pont. & alii*; ſaltem, ſi agatur de Beneficio curato, vel ſimplici, magni momenti; quia Concilium Tridentinum dicit omnes peccati mortalis reos, qui cooperantur quovis modo, ad talem promotionem digni, relicto digniore, licet ſententia oppoſita ſuos etiam habeat Patronos, & non raro ſit in uſu, etiam apud timoratos, *Leſſ. & alii*; quia ajunt, non

incumbit, reſignanti ex officio, præficere Eccleſiæ Miniſtros, ac proinde non peccant contra juſtitiam, & ordinariæ reſignans eſt ſenes, ac inhabilis, & reſignatarius juvenis, ac proinde Eccleſiæ utilior; Prior tamen opinio eſt ſecurior, & in praxi tenenda.

Quær. 14. *Quale Beneficiarii bonorum ſuorum habeant dominium?*

Reſp. Prænot. 1. Bona Eccleſiaſticorum ſunt triplicia, videlicet: 1. Patrimonialia, quæ ex donatione, hæreditate, induſtria, & allio civili titulo eis obveniunt. 2. Quaſi patrimonialia, quæ ut ſtipendia pro functionibus Eccleſiaſticis, v. g. pro Miſſis, pro Cantu, præſentia in Choro, &c. acquirunt. 3. Mere Eccleſiaſtica, quæ ex ſolo Beneficii titulo, poſſident.

2. Congrua Eccleſiaſticorum ſuſtentatio ſecundum cujuslibet ſtatum, officium, dignitatem, & Beneficii qualitatem dijudicari debet, & poteſt eſſe infima, media, & ſumma, v. g. ſi infima eſſent 200. aurei, media erunt, 225. & ſumma 250. aurei, & ad illam referuntur, 1. victus, veſtitus, famulatus. 2. Hoſpitalitas. 3. Remuneratio fidelitatis domeſticorum. 4. Modeſta convivia, ac munuſcula, ad fovendam amicitiam amicorum, vicinorum, ac benefactorum. 5. Solutio debitorum, ratione congruæ ſuſtentationis, factorum, vel alio modo contractorum, ſi ex aliis bonis ſolvi nequeant. 6. Suſtentatio conſanguineorum in ſtudio, vel Monaſterio, ſi parentes nolint, vel non poſſint eos ſuſtentare. 7. Dotatio illegitimorum, levatio indigentium ad ſtatum conditionis Clerici, v. g. Epiſcopi, Cardinalis, &c. convenientem, fundando eis etiam reditus perpetuos, pro ſtatu ſuo ſtabiliter conſervando. His notatis.

Dico. Beneficiarii circa bona patrimonialia, vel quaſi patrimonialia, perfectum habent dominium, liberamque eorum diſpoſitionem; quoad bona vero Eccleſiaſtica, congruam, ex eis habere poſſunt, ſuſtentationem; ſuperflua autem, ad pios tenentur impendere uſus, graviterque peccant, ad profanos illa impendentes, *ita communiter Doctores;* an autem inſuper, ad reſtitutionem pauperibus, vel ad pios uſus faciendam obligentur, ſolemnis eſt inter Doctores controverſia, opinio affirmativa eſt ſecurior, & ab iis, qui ſuæ ſalutis curam habent, tenenda.

Hinc: 1. Graviter peccant Clerici bona ſuperflua mere Ec-

Eccleſiaſtica, ad uſus profanos, in ea quantitate impendentes, ut mali eorum diſpenſatores æſtimari poſſint, v. g. ſi tota ſumma bonorum ſuperfluorum, excedat centum, vigeſima pars cenſetur pars notabilis, *Lugo*. 2. Qui ex ſuperfluis emit poſſeſſiones, vel bona mobilia, tenetur in omni ſententia, illa, cum adhuc poſſit, ad pios uſus impendere. 3. Bona mere Eccleſiaſtica ſuperflua, per donationem, hæreditatem, &c. dantes, & acceptantes, graviter peccant, & juxta ſecuriorem, ea pauperibus, vel ad pias cauſas reſtituere tenentur; niſi titulo paupertatis, illa acceperint, 4. Non vero peccant, ex mere Eccleſiaſticis, ſe ſuſtentantes, & alia patrimonialia, vel quaſi patrimonialia, ad alios uſus licitos impendentes; nec peccant mere Eccleſiaſticis, pro congrua ſuſtentatione licite adhibendis, parcius utentes, & ad alios uſus honeſtos adhibentes.

Quær. 15. *An licitum ſit plura ſimul poſſidere Beneficia?*

Prænot. Beneficia alia ſunt compatibilia, quæ perſonalem reſidentiam non exigunt, ſaltem pro eodem tempore, nec idem officium, eodem tempore exercendum habent, talia ſunt etiam, quidam Canonicatus in Germania, tres tantum, vel ſex menſes reſidentiæ, exigentes. Alia ſunt incompatibilia, quæ ſunt duplicis generis: primi generis ſunt, ea, quorum unum, ipſo facto excludit alterum, v.g. duo Beneficia curata, duo Epiſcopatus, duo Canonicatus, vel Capellaniæ eandem functionem habentes ſub eodem tecto. Secundi generis ſunt ea, quæ non ipſo facto ſe excludunt, ita, ut primum vacet obtento ſecundo; attamen ſine diſpenſatione retineri nequeunt; ut duo Canonicatus in diverſis Eccleſiis. His notatis.

Dico. Illicitum eſt, ipſique inſtitutioni Beneficiorum plerumque contrarium, plura ſine juſta cauſa, ſimul poſſidere Beneficia, etiam compatibilia, ac ſimplicia, *S. Thom. Conc. Trid.* quia minuitur cultus divinus, & voluntas Fundatorum defraudatur per plura Beneficia ſimul poſſeſſa. Juſtæ autem cauſæ ſunt 1. Beneficii tenuitas. *Conc. Trid.* 2. Papæ diſpenſatio, ob evidentem videlicet Eccleſiæ neceſſitatem, vel utilitatem; ſine juſta cauſa vero, non valet diſpenſatio Papæ, *S. Thom.* 3. Legitima conſuetudo ab Eccleſia expreſſe, vel tacite approbata.

Hinc: Clericus plura habere poteſt Beneficia compatibilia, etiam ſine diſpenſatione. 1. Si neutrum ſufficiat pro-

ſuſtentatione. 2. Si ſint auctoritate Epiſcopi legitime unita. 3. Quando unum habetur in titulum, & aliud in commendam non perpetuam, ſed ſolum ad aliquos menſes, donec de idoneo provideatur, 4. Cum diſpenſatione ob neceſſitatem Eccleſiæ; cum alius dignus non reperiatur, vel ob utilitatem, cum ſit perſona ſanguine, vel literatura ſublimis, & ad Eccleſiæ defenſionem valde utilis. 5. Si approbante, vel non reclamante Eccleſia, conſuetudine ita ſit receptum. 6. Si annum optionis habeat, reditibus tamen unius tantum Beneficii gaudere poteſt.

Quær. 16. Quinam ad reſidentiam teneantur?

Reſp. Reſidentia eſt commoratio in loco Beneficii, perſonaliſque, munerum Eccleſiaſticorum adminiſtratio. Hoc notato.

Dico. Omnes Beneficiati curam animarum habentes, cujuſcumque ſint dignitatis, jure divino, tenentur ad reſidentiam in ſua Eccleſia, vel Diœceſi, ſi ſint Epiſcopi, ſuiſque per ſe fungi Officiis, & Superiores curati, ut Epiſcopi, abſque legitima cauſa, ultra tres menſes continuos, vel interruptos, & inferiores, ut Parochi, Cappellani perpetui, &c. ultra duos menſes ex cauſa a Superioribus cognita, & probata conceſſos, abſentes, præter alias pœnas, & peccati mortalis reatum, pro rata, temporis abſentiæ, fructus non faciunt ſuos, ſed eos Fabricæ Eccleſiæ, vel pauperibus, ſine alia declaratione, reſtituere tenentur; quia ita expreſſe decrevit Concilium Trid. *Seſſ.* 23. *de Refor. c.* 1.; non curati vero, ut Canonici ultra tres menſes, vel brevius tempus juxta propriæ Eccleſiæ Conſtitutiones abſentes, dimidia parte fructuum in primo anno, & in ſecundo omnibus, quos eodem anno lucrati fuerint, priventur. *Conc. Trid. Seſſ.* 24. *de Ref. c.* 12., quæ pœna eſt ferendæ ſententiæ, *Leſſ. & alii*, & patet ex verbis Concilii Trid. citati, quæ ſunt imperativi modi (priventur) & actionem alterius, nempe Superioris indicant. An vero recitando Officium divinum privatim, fructus annuos, abſentiæ ſuæ correſpondentes, faciant ſuos, non conveniunt Auctores: non facere ſuos, ſaltem in foro conſcientiæ, docet *Pontas & alii*; quia Bonifac. VIII. dicit Beneficium eſt propter Officium; econtra exiſtimat *P. Gervaſius & Billuart*; ſi Divino Officio ſatisfecerint, eos, licet ſine juſta cauſa abſentes peccent, non teneri reſtituere fructus annuos, ſecluſo ſtatuto, vel

lege

lege ſpeciali, vel Superiorum ſententia. 1. Quia nulla extat lex generalis eos, ipſo facto, ad reſtitutionem omnium fructuum obbligans, prout extat pro curatis. 2. Quia Officium, de quo loquitur Bonifacius VIII. præter Chorum comprehendit recitationem Horarum Canonicarum, & reſidentiam in loco Beneficii, ac proinde Horas Canonicas recitans, mereretur etiam partem fructuum, pro ſua ſuſtentatione; dignus eſt enim operarius mercede ſua, licet illud omittens omnibus fructibus privetur; & reſidens in loco Beneficii, meretur aliam partem, relicta tertia pro præſentia; quia reſidentia etiam, eſt onus Beneficii mercede dignum. 3. Quia non videtur æque graviter puniendus, a Choro ſolum abſens, ſicut ſimul non reſidens, nec Horas Canonicas recitans; quia minus eſt culpabilis, & relicta tertia parte pro præſentia a Choro, videtur ſatis punitus, ſecluſo alio ſtatuto particulari; & hæc videtur eſſe opinio Eccleſiæ, abſentes a Choro, ſola tertia parte fructuum, ipſo facto privantis, & rationi conformior, ac proinde practicabilis, licet prior ſit ſecurior. Cauſæ autem legitimæ abſentiæ, ultra duos, vel tres menſes, ſunt, 1. Chriſtiana charitas. 2. Urgens neceſſitas. 3. Debita obedientia. 2. Evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas; *Concilium Trid. Seſſ.* 33. *de Refor. cap.* 1.; quibus additur conſuetudo immemorabilis, ubi Concilii Tridentini diſpoſitio, uſu non eſt recepta. *Laym. & alii apud P. Gerv.*

Hinc. 1. Graviter peccat, & fructus non facit ſuos, Epiſcopus ultra tres menſes continuos, vel interruptos per notabile tempus, ſolius recreationis, vel commoditatis cauſa a ſua Diœceſi abſens; quia Concilium Trid. *Seſſ.* 23. *cap.* 1. *de Refor.* tres ad ſummum menſes, æqua ex cauſa, & abſque grègis detrimento permittit; & pro rata temporis abſentiæ, fructus non facit ſuos, ibid. 2. Parochus graviter peccat, a ſua Parochia abſens, unum, aut alterum menſem apud ſuos parentes, vel amicos conterens, *Pontas*; ſaltem, ſi fiat ſine alia ratione ab Epiſcopo cognita, ac probata, *P. Gerv.* quia idem Concilium Trid. nimis clare, approbationem Epiſcopi requirit, declarando, Curatos inferiores non poſſe abeſſe, niſi cauſa, prius ab Epiſcopo cognita, ac probata, & relicto Vicario idoneo, & non ultra bimeſtrę tempus, niſi ex gravi cauſa, *ibid.* & ultra duos menſes ſine gravi cauſa abſens, tenetur reſtituere fructus, ſuæ abſentiæ correſpondentes, *P. Gerv.*

Laym

Laym. & alii; quia juxta Concilium Trid. cit. non facit fructus ſuos, pro rata temporis abſentiæ: & ubi ſtatutum eſt, ut ultra duos dies non abſint ſine licentia, ſtatuto ſe ſubjicere tenetur, *Declarat. Congr. Concilii Trid.*; ex juſta tamen, & gravi cauſa abſentes, non petita licentia, non tenentur ad reſtitutionem, *Paul. Lugd.*; quia juſta cauſa ab ea excuſat, licet non excuſet a peccato, niſi ob periculum moræ, licentiam non prius petant, & poſtea Epiſcopum informent. Nec obſtat reſidentiæ continuæ, ſi parochus divertat ad funus vel anniverſarium in vicinia, vel recreationis cauſa, eadem die reverſurus; ſecus ſi ſæpe de nocte fiat. Materia autem, gravis abſentiæ Parochi, eſt, unius diei Parochiano graviter ægrotante, nulloque relicto Subſtituto; quia eum exponit periculo carendi in neceſſitate ſpirituali, illius ſubſidio. Nullo vero ægrotante, abſentia, quatuor, aut quinque dierum, *Paul. Lugd.*; & relicto in Parochia ſubſtituto, octo, vel decem dierum, *ibid.* Infra duos menſes vero a Concilio Trid. conceſſos, abſentia ſine juſta, & ab Epiſcopo probata cauſa, ultra quindecim, vel viginti dies, cenſetur gravis, *Pont. Cabaſſ. apud Tourn.*; quia habent minorem abſentiam, relicto in Parochia idoneo Subſtituto, pro parvitate materiæ. 3. Graviter peccat Canonicus ultra tres menſes notabiliter a Choro abſens, præter diſtributiones tamen, non tenetur ipſo facto, reſtituere fructus annuos, abſentiæ correſpondentes, ſecluſa lege, vel ſtatuto particulari Capituli, quia nulla datur lex generalis, ipſo facto eum privans, & ob rationes ſupra dictas; exiſtimat tamen Pontas, eum in foro ſaltem conſcientiæ, obligari ad reſtitutionem fructnum annuorum, pro rata abſentiæ, quod ſecurius eſt, etiamſi reſideat in loco Beneficii, *Pont.*; quia non cenſetur formaliter reſidens, cum inutiliter adeſſe, & abeſſe idem ſint. Sufficit tamen pro fructibus annuis percipiendis, ſi Choro per novem menſes ordinarie aſſiſtat cantando, licet non omnibus omnino Officiis adeſſet, *Pont.*; quia cenſetur formaliter reſidere, ſaltem moraliter loquendo, etſi aliquando abſit. 3. Nec eum mortaliter peccare, cenſet Habertus, una, aut altera die, per novem menſes, ſine juſta cauſa, abſens a Choro; quia duo dies reſpectu novem menſium, cenſentur materia levis; niſi Chorus graviter inde pateretur, & Paulus Lugd. tres, ttel quatuor dies abſentiæ a Choro continue, vel interrupte requirit pro materia gravi.

gravi. 4. Canonicus ſæpius ſub Choro celebrans Miſſam, præter peccatum ob abſentiam a Choro, tenetur ad reſtitutionem diſtributionum, & ſi abſentia per novem menſes plures dies efficiat, etiam fructuum pro rata abſentiæ, ſaltem ſecundum ſecuriorem ut ſupra; niſi ob aliquam neceſſitatem, aut ex præcepto Superiorum, vel Sedis Apoſtolicæ fiat; *Concilium Mediol. IV. apud Tourn.* 5. Graviter peccat cum onere reſtitutionis, ut ſupra, una die per ſingulas hebdomadas ultra tres menſes abſens, vel ex ſeptem horis, tribus tantum aſſiſtens, *Pont. & alii*; vel per triginta annos, Canonicatum in aliqua Eccleſia poſſidens, diebus Dominicis, ac Feſtivis Choro duntaxat aſſiſtens, eo quod jubilatus dicatur; Licet fieret vi Statutorum Capituli, *Tourn.*; quia Statuta particularia Capituli non poſſunt derogare Concilio Trid. ac Juri communi. 6. Archidiaconi, Theologales, Pœnitentiarii, &c. Canonici de comitatu Epiſcopi, non faciunt fructus ſuos, ſaltem juxta ſecuriorem, ſi non interſint Officio, quoties non ſunt legitime impediti, *Tourn.*; quia actualis duntaxat pro Eccleſia utilitas eos a Choro, & Reſidentia excuſat.

Hinc 2. Excuſantur a Reſidentia, curati Epiſcopi, ac Parochi, &c. 1. Succurrentes alteri Eccleſiæ in hæreſeos periculo conſtitutæ; per prædicationem; vel inter Magnates, ac perſonas illuſtres pacem componentes, fidem diſſeminantes; modo per ſuam abſentiam propriæ Eccleſiæ, non plus noceant, quam aliis poſint; quia charitas chriſtiana ita ſuadet. 2. Abſentes ob grave periculum particulare, ut vitæ morbi, bonorum, perſecutionis tyranni, vel inimici; non vero ob commune, uti tempore peſtis, vel belli, &c. quia bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus, *Joan.* 11. Poſſunt tamen pro peſtiferis, alios adhibere, & ſe ſanis utiles præbere; quia utriſque debitores ſunt. 3. Ægroti, etiam propria culpa, vel peccato, & non habentes in loco Reſidentiæ Medicum, vel aeris mutatione indigentes, injuſte incarcerati, vel ab hoſte retenti, vel pro proceſſu proſequendo, *Pont.*; quia neceſſitas ita exigit, modo ab Epiſcopo fuerit recognita, & approbata. 4. Aſſiſtentes Concilio Generali, vel Provinciali, vel alio Eccleſiæ negotio applicati; quia evidens Eccleſiæ utilitas dictat. 5. In Officiis publicis a Rege detenti, vel pro Legatione miſſi, vel Conſiliarii in ſupremis Curiis, Eleemoſinarii Principum, Capellani apud Regem, vel Reginam

Digitized by Google

ginam pro tempore functionum, ac itineris neceſſarii, Muſici, Cantores, *Gibert. Cabaſſ. & alii*; quia Reipublicæ utilitas poſtulat. 5. Parochus vocatus ab Epiſcopo, per duos menſes, in Viſitationum curſu, vel ad alia Eccleſiæ ſuæ ſervitia, ſubſtituto in illius locum Vicario, *S. Congr.*; quia obedientia debita ita obligat, *apud Tourn.* non vero ut Vicarii Generalis, aut Officialis Officium exerceat, *Pont.*; quia ad ſimilia munia alii ordinarie reperiuntur, vel dimiſſa Parochia, Canonicatu, vel æquo ſtipendio donetur.

Hinc 3. Non Curati excuſantur a Reſidentia, 1. Canonici Theologiam, vel Jus Canonicum docentes; vel per quinquennium ſtudentes, conſentiente Epiſcopo, qui ob indigentiam Chori eos ad Reſidentiam cogere poteſt, *Pont.* 2. Epiſcopum comitantes in viſitatione, &c. vel duo aliis ejus obſequiis, vel Papæ addicti, vel nomine Capituli ad Papam miſſi. 3. Ad magnum Principem Legatione miſſi, vel pro deſervienda Parochia rurali, ab Epiſcopo deputati, præcipue, ſi alius haberi non potuerit. *Pont.* vel ultra tres menſes abſentiæ a jure conceſſos, aſſiſtendo per duas, vel tres hebdomades cognato, vel amico de ſalute periclitanti abſque illius auxilio, *Pont.*

Quær. 17. Quænam ſint alia Parochorum obligationes?

Dico. Parochus præter Reſidentiam corporalem, tenetur 1. reſidere etiam formaliter per ſe, fungendo ſuo Officio, & vix ſemel in menſe, populum, verbo Dei reficiens, vel non utiliter de rebus fidei, moribus, & Sacramentorum ſuſceptione inſtruendo, graviter peccat. *Tourn.* vel duobus, aut tribus menſibus totius anni diſcontinuis, *Bonac. Pont.* quia cenſetur materia gravis. 2. Graſſantia ſcandala per ſe, vel ſi non poſſit, per Epiſcopum coercere, & curare, ut Parochiani interſint Miſſæ Parochiali, Paſchali fungantur Officio, nempe Confeſſionis, & Communionis, a ſuperſtitionibus, ac contractibus uſurariis &c. abſtineant, ludimagiſter recte doceat, mares a puellis ſeparet. 3. Singularem pauperum curam gerere, infirmos Sacramentis munire, frequenter viſitare, in extremis roborare, & conſolari, egenos gratis ſepelire, & omnibus ex corde condolere. 4. In diebus Dominicis, ac Feſtivis Miſſam parochialem parochianis ſuis, ſine ſtipendio applicare, *S. Congr. Conc. Trid. plerique Theologi*; imo ſi Beneficium pingue habeat, ſingulis diebus pro ipſius applicare laudabile eſt; niſi Miſſas, ex alia Beneficii obligatione, ut in

die

Digitized by Google

die depoſitionis, vel anniverſarii ſuorum Parochianorum habeat, & Miſſas pro alio ſtipendio quærere, avaritiæ ſaltem indicium eſt. 5. Subditorum Confeſſiones excipere; & Euchariſtiam miniſtrare quoties rationabiliter petunt ratione Feſti, vel Indulgentiæ, vel conſcientiæ gravatæ; & ſpiritualem gregis ſuæ profectum pro viribus procurare; ſtatum gratiæ in ſe continuo conſervare: quia ſingulis momentis ad Sacramenta miniſtranda vocari poteſt. 6. Matrimonio non jungere in fidei rudimentis, Deique & Eccleſiæ præceptis non ſatis eruditos, nec vagos, ac advenas, ſine Epiſcopi licentia.

QUÆSTIO II.

DE SIMONIA.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit Simonia?

Reſp. Simonia a S. Thoma definitur, ſtudioſa voluntas emendi, aut vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum, nempe, vel antecedenter, cui prius exiſtenti ſuccedit ſpirituale, ut fundo jus patronatus, benedictio vaſi, lapidi altaris, veſtibus &c. vel concomitanter, quod ſimul eſt cum ſpirituali, ut labor in Miſſa, vel Sacramentorum adminiſtratione; vel conſequenter, quod ſequitur ſpirituale, ut jus percipiendi fructus ex Beneficio; per aliquid temporale, ſive ut pretium, ſive ut motivum, ſive ut gratuita compenſatio detur, *Innoc. XI.* vel quocunque contractu non pure gratuito, vel non ex mera benevolentia.

2. Simonia alia eſt Juris divini, ſeu naturalis, quæ Jure divino, ac Naturali prohibetur, & eſt commutatio rei temporalis cum ſpirituali, ut tali, eſtque intrinſece mala. Alia eſt Juris Humani, ſeu Eccleſiaſtici, & eſt quælibet alia conventio ab Eccleſia ſub pœna Simoniæ prohibita; quia labem Simoniæ redolet; talis eſt, dare, vel accipere pretium, etiam ſpontaneum, pro examine ad Beneficia, Ordines, vel occaſione Ordinum, primæ tonſuræ, vel literarum teſtimonialium, vel dimiſſoriarum reſpectu Epiſcopi; licet tamen Secretario aliquid accipere

pro

pro illarum expeditione juxta taxam, *P. Gerv.*; *vid. infra num. V. circa ord.* talis etiam eſt venditio Eccleſiæ, vel Cœmeterii, aut Officiorum, licet ſæcularium ad Eccleſiam tamen ſpectantium, ut œconomi, Sacriſtæ &c., vel Chriſmatis, etiam quoad materiam tantum; videtur tamen licitum, aliquid recipere pro illius diſtributione; præcipue, ubi ita uſu eſt receptum. Item Simonia confidentiæ, permutatio Beneficiorum propria auctoritate, aliæque circa Beneficia pactiones, ſine diſpenſatione Papæ, vel Epiſcopi in quibuſdam caſibus. Pro ipſis autem ordinibus, vel dimiſſoriarum conceſſione pretium accipere, Simonia eſt Juris divini; quia eſt exercitium poteſtatis ſpiritualis pro pretio.

3. Alia eſt realis, cujus pactio ex utraque parte eſt executa, ſaltem inchoate v. g. ſi Beneficium eſt actu collatum, & pars pretii ſoluta. Alia mentalis, quæ eſt datio rei temporalis pro ſpirituali, nullo interveniente pacto, ut ſi Clericus ſerviat collatori principali intentione Beneficii obtinendi. Alia conventionalis pure, quæ ad pactum externum deducitur, ſed ex neutra parte executioni mandatur. Alia conventionalis mixta, cujus pactum ex una parte, aut altera executioni eſt mandatum. Alia confidentiæ, quæ fit, quando confertur, reſignatur, eligitur, præſentatur, vel acceptatur Beneficium cum intentione, vel certa confidentia, quod illud, vel illius pars, ut penſio, aliquo tempore ſit reverſura in ſavorem ſui ipſius, vel alterius; & committitur quatuor modis, 1. per acceſſum, conferendo, vel procurando alicui Beneficium, ut poſtea alius, obtenta ætate, illud accipiat. 2. Per ingreſſum, reſignando Beneficium alteri, ut poſtea, ipſo mortuo, vel Beneficio dimiſſo, illud iterum ingrediatur. 3. Per regreſſum, reſignando Beneficium alteri, ut idem ſibi, vel alteri iterum reſignet. 4. Per ſtipulationem, reſignando cum penſione ſine Papæ diſpenſatione. Permutatio autem propria auctoritate facta cum penſione, vel cum pacto regreſſus, Simonia eſt conventionalis, non vero confidentiæ. *Tourn.*

Quær. 2. Quale peccatum ſit Simonia, & quinam illam committere poſſint?

Dico. Simonia ex genere ſuo, eſt peccatum mortale, nullam admittens materiæ parvitatem: quia omni Jure, Naturali, Divino, & Eccleſiaſtico graviter prohibetur; reſ-

que

que ſpirituales pretio terreno æſtimare, gravis eſt injuria Religioni in omni materia; & quo minus datur pretium pro re ſpirituali, eo magis vilipenditur. Poteſt Simoniam etiam ipſe Papa committere, non ſolum Jure Naturali, & Divino prohibitam; quia utrique ſubditus eſt; ſed probabilius etiam illam Juris Eccleſiaſtici; quia tenetur ad leges a ſe, vel Prædeceſſoribus latas, ſaltem directive; rarius tamen eam incurrit; quia paucæ eum concernunt, & ſicut cum aliis, ita & ſecum diſpenſare poteſt. Nec incurrit pœnas etiam contra Simoniam Lege Naturali, ac Divina prohibitam a Jure Eccleſiaſtico latas; quia non tenetur ad legem coactive, *Tourn.*; bene autem illius Miniſtri Simoniam, ac pœnas incurrunt, excepta Simonia Juris Eccleſiaſtici, ſi Papa ſciens, diuturno tempore ſilentium ſervet, *Tourn.*; quia lex, quæ ſciente, ac diu diſſimulante Legislatore infringitur, cenſetur diſpenſari, vel per diſſuetudinem abrogari, *ibid.*

Hinc: Papa Simoniam committit exigendo pecuniam pro Officiis Jure Divino, vel Eccleſiaſtico vendi prohibitis, *Tourn.*; ut pro Epiſcopatu, Prælaturis, Præpoſituris &c. Non vero eam incurrit, 1. exigens diſpenſando, certam pecuniæ ſummam ad ſuſtentanda ſtatus ſui munera; vel pro pœna criminis ſuppoſiti; vel pro vulnere Canonibus inflicto, deflectendo per diſpenſationem a lege communi; vel ne nimis frequenter diſpenſationes petantur. 2. Nec recipiendo annates, quæ ex fructibus primi anni Beneficiorum vacantium percipit in ſubſidium honeſtæ ſuſtentationis, alioſque pios uſus. 3. Nec conferendo Beneficia, ac reſervando partem fructuum pro annua penſione Clerici indigentis; vel pro Regibus, & Principibus ob Eccleſiæ defenſionem; vel ſibi pro ſuſtentatione Miniſtrorum Evangelii, quos ubique fovet; quia Juris ſunt Eccleſiaſtici, in quo diſpenſare poteſt.

Quær. 3. Quot modis Simonia committi poſſit?

Dico. Simonia variis modis committi poteſt, præcipue tamen fit, 1. per munus a manu, ſolvendo pecuniam, vel aliquid pecuniæ æſtimabile, ut remiſſio debiti, ſolutionis dilatio, &c. 2. Per munus a lingua, promittendo, vel exhibendo laudem; interceſſionem, recommendationem &c, apud alium. 3. Per munus ab obſequio præſtando, vel promittendo quodlibet obſequium; & committitur, 1, Circa res Sacras, 2, In ingreſſu Religionis. 3. In Ordi-

Ordinibus. 4. Circa Beneficiorum acquiſitionem, permutationem, confidentiam, & fundationem.

Hinc 1. *Circa Res Spirituales* Simoniam committunt 1. ob benedictionem carius vendentes Vaſa, ac Paramenta ſacra, Altaria portatilia, Aquam benedictam &c. 2. Coronas, Agnus Dei, Imagines propter Indulgentias annexas. 3. Reliquias, vel pro pecunia illas deferentes, vel cultui fidelium exponentes. 4. Decimas, aut alia bona propter jus Patronatus annexum, vel propter jus percipiendi reditus Eccleſiaſticos vendentes, aut ementes. Non tamen eſt Simonia, ſi res ſacræ vendantur ſecundum ſuum valorem intrinſecum, ut Calices, Roſaria, Decimæ laicæ &c. vel Capſulæ Reliquiarum ratione materiæ; niſi lex obſtet, ut in venditione Chriſmatis.

2. *Circa Functiones ſpirituales*, dans, vel acceptans pretium pro labore intrinſeco in celebratione Miſſæ, in Sacramentorum adminiſtratione, Concione, & Catechiſmo, prout excitant fidem, & conferunt gratiam; item in Oratione, Officio divino, dono Prophetiæ, vel Miraculorum, Benedictione, Exorciſmis &c. Licet tamen, aliquid accipere, tanquam ſtipendium ſuſtentationis; quia, qui Altari deſerviunt, cum Altari participant, 1. *Cor.* 9.; & dignus eſt operarius mercede ſua; etiamſi alias divites ſint, *Suar. & alii*; quia cum ſerviant Altari, privantur facultate vacandi aliis ſuis negotiis, & mediis lucrandi ſuam ſuſtentationem, & nemo, etiamſi dives ſit, ſuis ſtipendiis militat; poſſuntque paciſci de ſtipendio, *Billuart.* quia non eſt mere elemoſina; periculoſum tamen eſt, certum extorquere ſtipendium, & Simoniam ſapit, ultra taxatum, vel indebitum ob functiones, ad quas ex officio tenetur, exigere, *Tourn.* quia rationem pretii pro ſpirituali habet. Licet tamen aliquid accipere tanquam pretium pro obligatione celebrandi tali tempore, tali loco, tali hora, vel toties in hebdomade; quia talis circumſtantia eſt quid temporale oneroſum, pretio æſtimabile, diſtinctum ab ipſo opere ſpirituali: non videtur idem dicendum de tali ſolemnitate, ſaltem eſſet periculoſius; quia non ita eſt diſtincta ab opere ſpirituali; ſic qui melius, vel majori cum fatigatione concionatur, Miſſam ſolemnem canit, non poteſt præciſe ratione majoris laboris, vel moræ temporis, aliquid pretii accipere, *Suar. & alii apud Tourn.* quia in unum coaleſcit cum opere ſpirituali: poteſt

eſt tamen ab Eccleſia taxari majus ſtipendium v. g. pro Concione Paſſionis Domini, vel Patrocinii, aut Miſſa cum cantu, *apud Tourn.* quia non venditur major labor, ſed qui plus laborant maxime in verbo, & doctrina duplici honore (id eſt majori mercede) digni habeantur, 1. *Tim.* 5. nec licet vendere ſtudium, vel præparationem ad Concionem, etiam ſeorſim a Concione. *Tourn.* quia non æſtimatur, niſi in ordine ad ſpirituale.

3. *Circa Sacramenta*, vendens, vel emens materiam proximam, vel formam Sacramentorum, ut ablutionem in Baptiſmo; conſignationem frontis in Confirmatione, Panem, aut Vinum conſecratum, etiam ſecundum valorem panis, ac vini non conſecrati; quia per Conſecrationem deſinit ſubſtantia panis, ac vini, & conſtituunt ſpecies materiam proximam Sacramenti, quæ cum forma eſt ipſum Sacramentum; etiamſi fieret in extrema neceſſitate ſpirituali, ut ſi nullus adeſſet, qui infantem periclitantem ſine pretio baptizare vellet; quia eſt intrinſece malum; nec licet pecuniam offerre pro redimenda iſta vexatione, ut ceſſet a mala, ac ſacrilega voluntate, *Tourn. & alii contra aliquos*; quia hæc vexatio non removetur, niſi per collationem Sacramenti, & ablatio vexationis, eſt ipſa collatio Baptiſmi; adultus vero poteſt ſalvari Baptiſmo flaminis; poteſt etiam licite emi aqua pro Baptiſmo, etiam benedicta, ſi alia non poſſit haberi gratis, modo propter benedictionem non carius ematur; vel alia materia remota Sacramentorum, ut Panis, ac Vinum conſecrandum, excepto Chriſmate, cujus venditio etiam quoad materiam ſpecialiter prohibetur ab Alexandro III. *cap.* 16. & ab Innocentio III. *cap.* 36. *de Sim.* quia Epiſcopi ex Eccleſiæ diſpoſitione, tenentur, gratis, de materia, ſuis Eccleſiis providere. Si tamen fur illud ſubriperet, & tanti, quanti ratione materiæ valet, venderet, non committeret Simoniam; quia ſolis Epiſcopis ſub Simonia illius venditio, prohibita eſt, *Tourn.*; nec ſi aliquid recipiatur pro illius diſtributione, uti ſupra dictum eſt: poteſt etiam pretio addiſci forma baptizandi, *Tourn.* vel modus adminiſtrandi alia Sacramenta; quia iſta docere, vel addiſcere, eſt aliquid naturale, ſicut docere, & addiſcere Theologiam; quia licet objectum illius, ſit quid ſupernaturale, ac fidei; poteſt tamen cognitio, eſſe naturalis, & fundari in fide humana, ut in hæretico, vel infideli, & ut ſic, prout intellectum au-

Digitized by Google

audientis, cognitione ſublimium imbuit, ſumi poteſt, in ordine ad pretium, pro labore.

4. *Circa Eccleſias*: 1. vendens; vel emens Eccleſiam Deo dicatam, vel Cœmeterium, etiam ratione materiæ; quia utrumque in Jure prohibitum eſt. 2. Vendens ſepulturam ſumptam pro ritu religioſo, vel pro jure generatim in terrà ſacra, quod omnis habet Chriſtianus, vel ratione terræ, in qua ſita eſt, *in jure de Sepult. & Simon*; poteſt tamen vendi ſumpta pro opere periculoſo; ut tempore peſtis, vel laborioſo, ut fodendo terram, pro loco communi ſepulturæ, ut Abraham emit ſpeluncam, vel pro certa familia, ita, ut alii ibidem ſepeliri nequeant, vel in loco honoratiori, emendo carius; ut in Eccleſia; vel prope Altare; *Decoq.* quia eſt aliquid temporale; modo non attendatur major ſanctitas. Nec ſi major crux majori pretio deferatur, vel Clerici aliquid accipiant pro funere comitando, *Decoq.* quia hæc ſpectant ad pompam funebrem, vel titulo ſuſtentationis, aut laboris datur; quamvis S. Antoninus; Suar. & alii apud Tourn. videantur contrarii, uſu tamen comprobatur. Poſſet etiam emi Eccleſia, v. g. a Seminario, nullam habente pro ſervitio divino, cum licentia ſuperioris, juxta valorem intrinſecum, *Fromageau.*

5. *Circa juriſdictionem*: accipiens etiam titulo ſuſtentationis temporale, pro uſu juriſdictionis ſpiritualis, ut pro diſpenſatione in votis, juramentis, impedimentis matrimonii, jejunii, & quibuſvis Legibus Eccleſiaſticis; pro cenſuris ferendis, vel abſolvendis, pro correctione ſubditorum ex officio ſpirituali debita; vel illius omiſſione cum uſu poteſtatis ſpiritualis, ut muneribus corruptus declarans judicialiter innocentem, qui erat puniendus, vel innocentem tueri, aut vero pœnitentem reconciliare recuſans, *lib. Decr. de Sim.* quia juxta Concilium Trid. *Seſſ.* 25. *cap.* 18. tenetur ad prædicta, gratis, ex officio, cui annexi ſunt reditus Eccleſiaſtici pro ſuſtentatione, & aliquid recipientes, cenſentur exercere poteſtatem ſpiritualem pro pretio. Non tamen Simonia committitur omiſſione pura, ſine exercitio poteſtatis, ut omiſſione Miſſæ pro pretio; includit tamen turpitudinem Simoniæ affinem. Poteſt etiam diſpenſando, aliquid imponi pro punitione criminis, ut in diſpenſatione irregularitatis criminis, vel impedimenti ex copula illicita, vel ne nimis frequenter petatur,

tur; aliquid exigi ad pios uſus; vel pro compenſanda deformitate ob receſſum a lege communi; nulli diſpenſantium emolumento obveniente. Poſſunt etiam Superiores Eccleſiaſtici ſine Simoniæ labe, accipere procurationes, ſeu impenſas, ſubditos viſitando; vel Eccleſias conſecrando, ita in jure.

6. *Circa Ordines*; 1. conferens; vel accipiens Ordines mediante pecunia, vel quodcunque munus ante; vel poſt ordinationem accipiens; vel ob preces amicorum; aut intuitu ſervitii præſtiti; vel præſtandi; admittens ad Ordines ineptos; *Tourn.*; vel promiſſionem, aut juramentum exigens, ne inquietet Epiſcopum ſuper alimentis, quæ Epiſcopus dare debet ſine titulo ordinato, vel Examinatores pro pecunia ad Ordines promoventes; vel Notarii pro literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus; vel ſigillo etiam ſponte oblata accipientes; *Conc. Trid. Seſſ.* 21. *Cap.* 1. *de Ref.* Poſſunt tamen Notarii in locis, ubi non viget conſuetudo, nihil accipiendi, pro ſingulis literis dimiſſoriis, vel teſtimonialibus collationis Ordinis decimam tantum partem aurei (Id eſt Julium, ſeu ſeptem; vel octo aſſes; ait Tournely;) accipere, dummodo nullum omnino; nec parvum, ait Tournely, eis conſtitutum ſit ſalarium pro officio ſuo exercendo; vel alicubi legitima ſit conſuetudo, aliquid juxta taxam accipiendi; nec Epiſcopis, ex Notarii commodis, emolumentum ex Ordinum collationibus directe, vel indirecte provenire debet; *Conc. Trid. cit.* idem ob paritatem rationis dicendum de Notariis in collatione Beneficiorum; *Fagnanus*, *Pirhing. apud Tourn.* præcipue in Gallia; quia ita declarant ſanctiones Bleſenſes, *ann.* 1579. *art.* 20. Licet tamen accipere candelas ab Ordinatis oblatas; non vero forcipes, pectines; ac mappas, quæ olim a tonſurandis præſentabantur; *Congr. Concil. Trid.* 2. In exercitio Ordinum, etiam minorum; ut Acolytus ſerviens ob pecuniam Miſſæ; imo etiam Laicus cantans Epiſtolam pro pretio in Miſſa, vel Choro; quia cooperatur rei Sacræ, *Tourn.*; vel Oſtiarius ex officio claudens, vel aperiens pro pecunia oſtium Eccleſiæ; ſecus ſi ſit purus Laicus; *ibid.*; item Cantores, Muſici, *Habert. & alii apud Tourn.*; quia cantus, ac muſica in Miſſa, ac Veſperis, rationem cultus Dei habent. Poſſunt tamen, aliquid accipere, titulo ſuſtentationis, vel omnino gratuito.

Digitized by Google

7. Circa *ingreſſum Religionis*, dans, vel accipiens pro ingreſſu; quia ſaltem inchoate ſit Religioſus, & Religioſi privilegiis gaudet, vel pro profeſſione; quia eſt quid ſpirituale præbens jus, ac obligationem Deo ſerviendi, vel pro jure ad ſuſtentationem; quia annexum eſt Statui Religioſo, ut reditus, beneficio, vel pro victu, & veſtitu, ſi Monaſterium ſufficienter ſit dives, ac fundatum; quia eſt Simonia ſaltem palliata; qui in re non accipitur pro ſuſtentatione, quam Monaſterium dives jam ſufficienter habet; ſed pro ipſo Statu Religioſo, *Tourn. & S. Thom. S. Antoninus, Sylv. Pontas & alii* contra Sylveſtrum, Sotum, Tolet. &c. exiſtimantes eſſe Simoniam Juris Eccleſiaſtici, ubi Canones prohibentes ſunt recepti, non vero alibi. Nec eſt Simonia, ſi Monaſterium ſit vere egenum; quia tunc datur pro ſuſtentatione, vel gravamine impediendo, quæ ſunt aliquid temporale; quando autem ſatis ſit egenum judicandum, ut aliquid abſque Simonia recipere valeat, omnes circumſtantiæ loci, temporis, perſonæ, mala, ac infortunia præſentia, ac probabiliter futura, &c. penſari debent; modo inſuper, bona intentione fiat, & nihil ultra congruam ſuſtentationem exigatur; poteſt etiam communitas, licet dives ſit, munera gratis oblata, vel eleemoſinas, etiam copioſas accipere, *Greg. XIII.*; modo pure, & non, ut Superiores ad recipiendos in ordinem promptiores fiant, accipiantur, *Pont.* Poſſunt etiam ab aliis munuſcula recipi, nullo interveniente pacto, & convivia tolerari, ſaltem ſine Simoniæ nota; quia non pro Statu Religioſo dantur, ſed ut amici, ac propinqui, & ipſa communitas, quaſi nuptiis ſpiritualibus recreentur, quamvis in jure, *Extravag. 1. de Sim.* ſeveriſſime prohibeantur. Licet etiam beneficiis temporalibus allicere ad devotionem Monaſterii, ut quis ex illa moveatur ad Religionem ſuſcipiendam; quia licet beneficiis temporalibus alium movere ad ea, quæ ipſi ſunt ſalutaria; uti ad converſionem, ad Sacramenta, vel Miſſam audiendam.

8. *Circa Beneficia, Simoniam committit per munus a manu*, 1. Epiſcopus, Beneficium conferens Vicario Generali, Sacellano, vel filio Advocati, ut extinguatur ſtipendium, quod illis alioquin ſolvere tenetur; vel alius quivis Collator, aut Patronus, aliquem præſentans ad Beneficium, eo pacto, ut Collatori, vel Patrono, aut alteri amico, vel con-

conſanguineo penſionem, aut aliud debitum præſens, vel futurum condonet, vel dilationem ſolutionis concedat, vel ſolutionem anticipet; domum minori pretio locet, officinam fratris, frequentet, a lite juſte inchoata deſiſtat, pecuniam mutuo det, domum, ac ædificia Præbendæ ex ſuis reparet, Decimas remittat, vel pro illis rucuperandis proceſſum non intendat, dimidiam partem Præbendæ Capitulo cedat, aliud Beneficium ipſi, vel alteri amico reſignet, conſanguineos nutriat, tot Miſſas pro eo applicet, vel ex fundatione ſine loci, ac temporis determinatione præſcriptas certa die, vel hora dicat, ut ſibi, vel alteri præſtet, quæ ex charitate tantum, vel religione, aut alia virtute a juſtitia diſtincta debet; v. g. ut Medicus ſolicitans pro Beneficio ferat auxilium ægrotanti, ut tali pauperi graviter indigenti ſuccurrat, &c. quæ ſimul cedunt in utilitatem temporalem conferentis Beneficium, vel alterius ipſius nomine: ſecus ſi ageretur ſolum de debito ſpirituali in commodum accipientis, v. g. ut Communionem Paſchalem faciat, malum conſortium vitet, &c. vel ſine pacto, & obligatione ſolum eum movens non per Beneficium, ſed rogando, ſuadendo, exhortando, animum illius placando, ut debitum temporale executioni mandet, *Billuart.*; vel dando pauperi Beneficium, ut debita inde ſolvat, etiamſi ipſe eſſet ex creditoribus, *Suar.*; quia non novum ei onus imponit; periculoſum tamen alii judicant, præcipue, ſi ipſe Collator eſſet ex creditoribus, vel accedente pacto; quia omne pactum circa Beneficia, ut ſimoniacum a jure reprobatur. Nec Simoniam committit, exigendo debitum, Beneficio annexum, v. g. ut in Choro cantet, hora ſexta Miſſam dicat, vel Theologiam, aut Grammaticam doceat, modo hæc onera beneficio ſint annexa, & non de novo, propria auctoritate exigantur; quia tunc non pro, ſed cum onere conferuntur: poteſt etiam auctoritate Papæ, alicui Præbendæ, onus docendi annecti, & fructus unius Præbendæ juxta *cap.*, *nonnullis tit de magiſteriis*, applicari ei, qui Grammaticam, ſive Theologiam ſit docturus. 2. Capitulum a novis Canonicis, certam ſummam exigens, etiam ex conſuetudine pro certo jure (*droit de chape*) vel alia munuſcula, ſi cedant in utilitatem Canonicorum particularium, non vero, ſi cedant in commodum Fabricæ, *Declar. ſupra Conc. Trid.*; ut dans chirotecas, vel etiam ex conſuetu-

dine exigens, *Tourn. Pont.*; quia a Concilio & S. Congregatione prohibita ſunt, & conſuetudine cogente, & non ex mera liberalitate dantur. 3. Pretio procurans vota ad Beneficium, vel Officium juriſdictionem ſpiritualem habens, vel ut alius maximam ſpem habens non concurrat, vel ut alterius literæ, vel equi in via retardentur, ut illum apud Collatorem præveniat; quia pretio alterius jus ad ſpirituale impedit, ut ipſe illud aſſequatur. 4. Offerens pretium pro inſtitutione, aut confirmatione, vel commutans propria auctoritate, vel cum penſione ſine Papæ diſpenſatione, vel Epiſcopi in Gallia, etiam pro compenſanda inæqualitate Beneficii, vel ut unus ſolus ſumptus ſolvat, vel quoſcunque alios circa Beneficia contractus propria auctoritate perficiens, ut cedendo jus ſuum ad Beneficium pro pretio, vel cum pacto, ut alter impenſas ſolvat, vel alio modo non gratuito propria auctoritate, lites circa Beneficia componens, etiam dando ſpirituale pro ſpirituali, v. g. aliud Beneficium, vel penſionem; quia ſunt pacta a jure, ut ſimoniaca, prohibita; Poteſt tamen hoc fieri auctoritate Papæ, vel Epiſcopi in Gallia, *Tourn.*; quia æquivalet permutationi, & Epiſcopi in Gallia in neceſſitate in tranſactionibus, ac permutationibus penſiones permittere poſſunt, *Tourn. cit.*; nempe pro ſuſtentatione, compenſatione laborum, expenſarum in lite, vel bono pacis; non autem pro ipſo jure, quod quis cedit; quia eſſet Simonia Juris Divini, dando temporale pro ſpirituali, *Billuart.*; poteſt etiam fieri compoſitio amicabilis, gratuito, cedendo juri ſuo, *ibidem*. Poteſt etiam fieri tranſactio, vel mutatio propria auctoritate circa alias res ſpirituales, Prælatis Eccleſiæ non contradicentibus, ut circa juriſdictionem ſpiritualem, dividendo loca, vel actus juriſdictionis, vel circa reliquias, illas dividendo, vel dando reliquias pro reliquiis, vel dicendo uni Miſſam, ut ipſi dicat aliam; quia conſuetudine eſt permiſſum, *Billuart.* Non tamen poſſunt cedi reliquiæ, ut cedenti, pars eveniat oblationum; quia eſſet dare ſpirituale pro temporali. Nec Simoniam committit redimens injuſtam vexationem, muneribus arcens injuſte impedientem a conſecutione Beneficii, cujus jus acquiſitum certum, ac liquidum habet, ſive in re per confirmationem, vel inſtitutionem, aut ipſam poſſeſſionem, *Tourn. & alii*; ſive ad rem per præſentationem,

vel

vel electionem, *Billuart.*; quia in utroque caſu non dat temporale pro ſpirituali, ad quod jam ſupponitur jus habitum, ſed pro amotione injuſti impedimenti illud proſequendi, modo remotio impedimenti ſint diſtincta a re ſpirituali, & non ſit illius collatio: ſic injuſte incarceratus electus, vel præſentatus, ne confirmationem, vel inſtitutionem obtineat. vel inſtitutus, ſeu confirmatus poſſeſſionem acquirat, poteſt ſine Simoniæ labe procurare muneribus liberationem a carcere, ut poſtea liberatus confirmationem vel poſſeſſionem gratis obtineat; quia munera non dantur pro confirmatione, ſed pro liberatione a carcere, ſic ob paritatem rationis, impedienti injuſte confirmationem, vel inſtitutionem, diffamatione, vi, fraude, vel etiam muneribus, blanditiis, precibus importunis, offerri poteſt pecunia, ut ceſſet a vexatione, *Sylv. & alii*; quia ceſſatio non eſt collatio rei ſpiritualis, ſed quid temporale, modo abſit ſcandalum, & non detur ſpirituale pro ceſſatione vexationis, quæ eſt temporalis; niſi ex ſola benevolentia ceſſationem a vexatione exſpectaret; quia tunc Beneficium gratis datur. Nec Simoniam incurrit offerens pretium electoribus volentibus eligere indignum, ne eum eligant. *Billuart.*; quia eſt redimere vexationem injuſtam Eccleſiæ, etiamſi ſciat nullum præter ſe eſſe dignum; modo non directe intendat electionem ſui, vel alterius digni in genere, vel in particulari, *ibid.* quia directe intenderet ſpirituale pro temporali. E contra Simoniam committit offerens pretium neganti, ſive juſte ex odio, confirmationem, vel inſtitutionem Beneficii; qnia ſi juſte neget, non eſt vexatio, nec pro illa datur; ſi injuſte neget, ablatio vexationis eſt ipſa collatio inſtitutionis, & non eſt vexatio quid diſtinctum: item Simoniam committit, electioni ſui ad Beneficium a majori parte communitatis factæ juſte contradicenti, offerens pretium, ut pariter conſentiat, *Lucius III.*; non præciſe, quia ex inſenſo, fecit, pretio, ſibi amicum, ſed quia ob contradictionem jus illius ad rem ſpiritualem non eſt certum, ſed dubium, & periculo ſe exponeret emendi ſpirituale, nempe jus certum; ſecus, ſi injuſte contradiceret, *S. Thom. apud Pont. 5.* Simoniam incurrit conferens Beneficium ex metu, cujus evitatio eſt ſimul boni temporalis conſecutio; ut minantis ſubtractionem ulteriorum favorum, dignitatum, &c. vel interveniente pa-

Digitized by Google

ćto; ſecus ſi non niſi imminens damnum, mortem, infamiam, odium evitare intendat, *Suar. Soto & alii*; quia nihil temporale recipit. Nec Simoniam incurrit conferens alicui Beneficium, propter conſanguinitatem, vel amicitiam, vel alio affećtu carnali; eſt tamen illicita collatio; quia eſt acceptatio perſonarum, & rećta deeſt intentio: nec pretium offerens; vel certas impenſas in alia Commenda faciens, vel obſequia preſtans pro Beneficiis Equitum Melitenſium, quæ dicuntur Commendæ Militares, *Bill.* quia non ſunt proprie Beneficia, ſed ſubſidia propter obſequia in defenſionem Eccleſiæ præſtita, vel præſtanda, conceſſa; Eſt tamen illicita illarum pro aliis obſequiis, vel pro pecunia acquiſitio, *ibid.*; quia eſt contra intentionem fundatorum, volentium, ut ob defenſam, vel defendendam Rempublicam chriſtianam dentur. 6. Simoniam committit redimens penſionem clericalem ſpiritualem, quæ datur Clerico, qua Clerico, titulo miniſterii ſpiritualis, ut Coadjutori Epiſcopi, Parochi, Concionatoris, &c. ſolvendo certam ſummam ſimul; vel ſine diſpenſatione Papæ redimens penſionem clericalem mixtam, quæ datur Clerico, ſed non titulo miniſterii ſpiritualis, ut Paſtori ſeni, reſignanti, permutanti, cedenti lite, &c. ad ſuſtentationem; vel etiam redimens laicalem, quæ datur ex frućtibus Eccleſiæ ex fundatione provenientibus Laico, vel Clerico ob miniſterium temporale præſtitum, vel præſtandum, ut Œconomo, Æditua, Medico, Organiſtæ, Principi ob defenſionem Eccleſiæ, vel reſignans cum conditione, ut alter impenſas a reſignante in conſecutione ejuſdem Beneficii factas refundat, domum, & ſuppellećtilem reſignantis emat, vel ſtatus clericalis pertæſus ſororem reſignatarii facilius in uxorem accipiat, vel illum in aliis rebus adjutorem habeat, *Tourn.*; quia hæc omnia ſunt pretio æſtimabilia. Non tamen eſſet Simonia, promiſſio Beneficii pro pretio facta, animo non promittendi; quia non eſt vera paćtio; bene autem facta, animo promittendi, ſed non ſervandi, vel ſe non obligandi; quia in utroque caſu vera eſt paćtio.

Per munus a lingua, Simoniam committit, 1. conferens alicui Beneficium, ut eum laudet apud Principem, fratrem pro officio recommendet, in Capitulo ejus ſuffragio potentior fiat, vel alium favorem ipſi, vel ejus conſanguineis exhibeat, 2. Ad amicorum, vel potentum preces dans

dans alteri Beneficium, ut eos ſibi devinctos habeat, præcipue interveniente pacto, *Torn.*; vel ſi preces, ut obligationem civilem, aut precantis favorem, ut pretium Beneficii attendat, *Billuart.*; quia tunc datur ſpirituale pro temporali, quod potiſſimum fit, ſi preces fiant pro indigno, *S. Thom.*; quia tunc non dignitate perſonæ, ſed favore humano, pretio æſtimabili moveri cenſetur. Secluſa autem hac intentione, vel pacto, precibus ab alio porrectis motus, Beneficium conferens, ac acquirens non committit Simoniam, *Tourn.*; præcipue ſi fiant pro digno, *Tourn.*; quia ſi ſit dignus, preces non impediunt, ne fiat gratis ad Dei honorem, ac Eccleſiæ utilitatem, & ſi ſit indignus, licet male fiat, gratis tamen fieri poteſt, quamvis difficilius, ac proinde ſine Simonia. Idem dicendum eſt de eo, qui pro ſe petit Beneficium curatum *Tourn.*; quia quamvis ſe dignum, vel digniorem exiſtimans ex præſumptione juxta S. Thomam fiat indignus, & pro indigno petat, niſi aliunde teſtimonium capacitatis habeat, vel ſe examini, aut judicio Superiorum, vel concurſui pro ea cognoſcenda offerat, vel jure graduatorum petat, vel non niſi manifeſte indigni adeſſent promovendi, vel Beneficium eſſet ſimplex, pro quo quælibet fere capacitas ſufficit, vel pro ſupplemento tituli exſpectetur; poteſt tamen gratis illud obtinere. 3. Simoniam committit familiaribus Epiſcopi, vel amico Collatoris munera præbens, vel offerens pro interceſſione, vel recommendatione ad Beneficium, *S. Thom. apud Tourn.*; quia muneris interventu ſpirituale aſſequitur, & preces, ut medium ad ſpirituale, & ratione Beneficii æſtimatas emit; ſecus, ſi ſolum labor, impenſæ, moleſtiæ, lucrum ceſſans, ac damnum emergens in itinere adeundo Collatorem, rogando, ſcribendo, compenſarentur pecuniis æquivalentibus; & non excedentibus, nulla habita ratione ſucceſſus, pinguedinis Beneficii *Tourn. Sylvius, & alii*; nec Simonia committitur, ſi detur donum familiaribus Epiſcopi, vel domeſticis Collatoris, ut per eos habeat aditum, *Tourn.*; quia non intendit per munus Beneficium; nec ſi detur, ut ignotus apud Collatorem per eos notus fiat, ipſiuſque merita, ac dignitas Collatori innoteſcant, & pro libitu diſponat, *Billuart.*; ſed hoc in praxi, ob periculum, vix tolerari debet, *Tourn.*; quia alia, & ſine pretio, ipſius dignitas inſinui poteſt Collatori. 4. In Concionibus, vel Con-

Confeſſionali Magnatibus adulans, ut inde aliquid temporalis commodi reportet, *Tourn.*; vel Conciones eo animo habens, ut hominum laudes, ac ſuffragia promereatur, *Tourn.*; præcipue ſi hic eſſet finis principalis, vel pactum interveniret; ſecus, ſi pro cognoſcenda, vel indicanda capacitate fiat.

Per munus ab obſequio, Simoniam incurrit, Magnatum negotia gerens, pueros ad literas informans, vel Epiſcopo, præcipue in temporalibus, inſerviens, ut eorum favore pro obſequiorum compenſatione, Beneficium conſequatur, vel Epiſcopus, obſequia Capellani, præcipue temporalia, & ſibi perſonaliter exhibita, Beneficii collatione compenſans; quia datur, & accipitur ſpirituale pro temporali. Excuſari tamen poteſt, ſi eis gratis inſerviens, attamen ut capacitas illius ſimul ipſis innoteſcat, eorum benevolentiam captivet, licet ex gratitudine mera, vel benevolentia Beneficium ſperet, *Sylv.* vel ſi obſequia ſpiritualia principaliter ad Dei honorem, & Eccleſiæ utilitatem exhibeat, ut ſe digniorem efficiat, vel probet, licet ſecundario de Beneficio cogitet, vel Epiſcopus Beneficium conferat, ut zelum, & obſequia ſpiritualia populo, vel Eccleſiæ exhibita compenſet; quia nihil accipit.

Confidentia, Simoniam committunt conferentes, vel procurantes alicui Beneficium, ut alius id obtenta ætate accipiat, vel ipſe eo mortuo, vel Beneficio dimiſſo, idem ingrediatur, vel ut ſibi, vel alteri a ſe aſſignato poſtea iterum idem Beneficium reſignet, vel penſionem ſine diſpenſatione ſolvat, non tamen eſt Simonia Confidentiæ, ſi alicui conferat Beneficium, qui jam aliud cum eo incompatibile habet, cum pacto, ut aliud ſibi, cujus eſt etiam Patronus, pure, & ſimpliciter reſignet; quia nihil exigit, niſi quod ſuum eſt, ratione Patronatus, & conforme intentioni Eccleſiæ; nec eſt, Simonia, ſi conferat Beneficium ei, quem ſcit illud, vel aliud reſignaturum ſuo nepoti, nullo interveniente pacto; peccat tamen graviter, accipiens Beneficium, cui inſervire non intendit, *Pont. de confid. caſu 7. & S.*

Circa fundationem, fundans Beneficium principali intentione, ut ſibi conferatur, vel ſibi collatum permutet, vel ipſemet id alteri conferat, ut aliquid Beneficium ſibi, vel alteri a ſe aſſignato reſignet.

Quær. 4. Quanam ſint pœna Simonia, & quinam eas incurrant?

Dico.

Dico. 1. Quamvis quælibet Simoniæ ſpecies graviſſimum ſit peccatum, & jure poſitivo, ſolum pretium ſimoniace pro Religione, Ordine, ac Beneficiis acceptum, ſit reſtituendum, jure tamen naturæ pro quacunque re ſpirituali acceptum ante Judicis ſententiam reſtitui debet, *S. Thom. & alii plures contra alios*; quia, cum acceptum ſit pro re, non vendibili, & per contractum Jure Naturæ nullum, retineri nequeat; hinc abſolute reſtitui debet ei, qui illud dedit, præterquam in materia beneficiali, *Tourn.* quia Jure Naturali unicuique, quod ſuum eſt, reddi debet, niſi lex vetet; ſic ex juris diſpoſitione in materia beneficiali Eccleſiæ, in qua eſt Beneficium, reſtitutio fieri debet, *Tourn. & alii*; quia ipſi injuria facta eſt. Res vero ſpirituales ſimoniace acceptæ, ut Ordines, Profeſſio religioſa, Conſecratio Altaris &c. non ſunt ante Judicis ſententiam reſtitutioni obnoxiæ, *Bonac. Suar. Cabaſſ.* quia valide, licet ſimoniace conferuntur, *Tourn.*; exceptis beneficiis, & rebus Eccleſiaſticis, ut penſio, quæ viribus omnino carent. *Paul. II.*: & abdicatio Beneficii ſimoniace accepti fieri debet inter manus Collatoris; qui ipſe illud legitime conferre poteſt; niſi eſſet ſimoniacus publicus, ac proinde excommunicatione publica notatus, *Pont.*; occulta enim non privat jure collationis; & tunc devolvitur ad Ordinarium, *Billuart*.

Dico. 2. Pœnæ juris ſolum incurruntur per Simoniam in ingreſſu Religionis, in Ordinibus, in Beneficiis, ac Officiis Juriſdictionem ſpiritualem habentibus, commiſſam, *Cajet. Suar. Tourn.*; & quidem ſolum per realem ex utraque parte ſaltem inadæquate completam, ſoluta parte ſaltem pretii, *Nav. Leſſ. Cabaſſ. Tourn. & praxis Romanæ curiæ*, excepta Simonia confidentiæ, in cujus ſpeciale odium per completam ſolum ex una parte incurruntur, *Cabaſſ. Tourn. & alii*; ſive Simonia realis fiat per munus a manu, ſive lingua, vel obſequio, *Salmanticenſes, & alii communiter contra Thom. de Charm. Paul. Lugd. & Pont.*; quia lex nullam facit exemptionem, & Simonia per munus a lingua, & ab obſequio eſt realis, & completa, ut ſupponitur, & munus ab obſequio, vel a lingua æquivalet pretio muneris a manu; nec auctores contrarii aliquam ſuæ opinionis afferunt rationem.

Dico. 3. Pœnæ Juris contra Simoniam in *ingreſſu Religionis* ſunt 1. excommunicatio Papæ reſervata contra ſingulos dantes

tes & accipientes. 2. Suſpenſio Capituli, vel Conventus a functionibus capitularibus, ſi conſenſerit, Papæ pariter reſervata. 3. Reclusio ſimoniace admiſſi, in arctius Monaſterium, poſt ſententiam Judicis, *Tourn.* Contra Simoniam *in ordinatione*, 1. excommunicatio Papæ reſervata ſimoniace ordinati, ordinantis, ac mediatoris. 2. Suſpenſio Ordinis non ſolum ſcienter ſimoniace ſuſcepti, ſed etiam eorum, quos antea legitime ſuſcepit; & ſi alicujus functiones exerceat, fit irregularis; non tamen eam incurrit Simoniam ignorans, *Tourn. contra Thom. ex Charm. & S. Thom.*; quia non datur pœna ſine culpa, & ex parte ſui valide, ac licite eos recipit, & odioſa ſunt reſtringenda. 3. Suſpenſio ſimoniace ordinantis a collatione Ordinum, etiam primæ tonſuræ, & executione omnium munerum Pontificialium, & ab ingreſſu Eccleſiæ interdictio, *Tourn.* Contra Simoniam *in Beneficiis*, 1. excommunicatio dantis, accipientis, & mediatoris Papæ reſervata. 2. Nullitas Beneficii ſimoniace obtenti, ac inhabilitas ad idem beneficium, 3. Reſtitutio pretii, & omnium fructuum vi Beneficii obtentorum Eccleſiæ, in qua eſt Beneficium, facienda, etiam diſtributionum pro præſentia; quia illas recipit vi tituli ſimoniaci, etiam bona fide accepti: non tamen ſtipendia Miſſarum, Concionum &c. quæ recipit pro labore perſonali, *Tourn.* Contra Simoniam *Confidentiæ* pœnæ ſunt 1. excommunicatio, nullitas Beneficii ſimoniace obtenti, ac privatio omnium Beneficiorum, ac penſionum, antea legitime acquiſitarum, ſaltem poſt Judicis ſententiam. 2. Inhabilitas ad idem, & omnia alia Beneficia. 3. Reſtitutio, ac reſervatio Beneficii confidentiarie obtenti, Sedi Apoſtolicæ, & fructuum illius a die confidentiæ, Cameræ Apoſtolicæ extra Galliam; in Gallia vero Ordinario, in cujus manus Beneficia confidentiarie collata poſſunt reſignari; quia Sixtus V. reſervationem abſtulit pro toto regno Galliæ, *Tourn.*

Hinc: Parochus vendens Sacramenta, vel Epiſcopus Diſpenſationes, Reliquias, Chriſma, Oleum ſanctum. Calices, Altaria portatilia &c. ratione Conſecrationis carius vendens, graviter peccat contra Religionem, & tenetur refundere pretium ei, a quo accepit; quia invalide fuit datum, & acceptum pro re non vendibili; non tamen incurrunt alias pœnis Juris; quia ſolum contra Simoniacos in ingreſſu Religionis, Ordine, ac Beneficiis ſunt latæ.

Nec

Nec tenetur accipiens rem ſpiritualem, eam reſtituere, quia illus collatio ex parte accipientis eſt valida, ut ſupra dictum eſt; *Tourn.*; Reliquiæ tamen, refuſo pretio, repetitæ, reddi debent. 2. Acquirens ſimoniace Penſionem, vel Vicariam temporalem, graviter peccat, debetque reſtitui pretium ei, a quo fuit acceptum, ac penſio; quia Urb. II. nullitatem impoſuit Simoniæ in rebus Eccleſiaſticis; idem dicendum de Præſtimoniis, *Tourn.* & de venditione Juris Patronatus, *Tourn. & alii*; quia Concilium Trid. *Seſſ. 25. cap. 9. de Reform.*; illius venditionem declarat nullam, & perit emptori, ac venditori, & revertitur ad Epiſcopum, *Pont.*; pœnas juris tamen non incurrunt; quia non ſunt Beneficia, *Tourn. Habert.* 3. Epiſcopus, Miniſtri &c. ut Examinatores, Secretarii, Notarii ſimoniace promoventes ad Ordines, etiam ad primam tonſuram, pænas Juris incurrunt, *Tourn. cum communiori*; quia prima tonſura in ſacris Canonibus, Ordo vocatur: ſic emens, ac vendens literas dimiſſoriales, vel ſigillum ante conſecutionem Ordinum, cenſuras ſaltem incurrunt, *Bonac. Tourn.*; quibus favet Concilium Trid. *Seſſ. 11. de Reform.*; quia jus dant ad Ordines ſubſequentes: non vero pœnas incurrunt, ſi quid pro illis detur, ſuſceptis jam gratis Ordinibus ſine prævia conventione; peccant tamen dans, & accipiens, ubi viget Concilium Trid. cit. *Tourn.* niſi dent coacte; & alio modo eas habere non poſſint, *Suar. Leſſ.* quia eſſet mera vexationis redemptio. 4. Dans, vel accipiens, quodcunque munus, ſive a manu, ſive ab obſequio, vel lingua, etiam Prælati, Abbates, Guardiani, Generales &c. pro Beneficio, vel officio incurrunt pœnas juris, *Cajet Suar. Cabaſſ. & alii*; quia inter Beneficiarios ſimoniace contrahentes a Paul. II. recenſentur: non vero eas incurrit dans, vel accipiens, cum intentione Beneficii, nullo tamen interveniente pacto; quia eſt pure mentalis; nec ſolum promittens, & facti pœnitens, nihil ſolvens, etiamſi chirographum pro ſolutione dediſſet, ac Beneficium obtinuiſſet, *Tourn.*; quia non eſt realis completa; nec in utroque caſu tenetur ad reſtitutionem Beneficii obtenti, *Tourn. Nav. Leſſ. Cabaſſ. & alii*; quia acquiſitio Beneficii Jure Naturali eſt valida, & nullo jure poſitivo irritatur; obtento vero Beneficio, & ſoluto unico tantum aureo, vel minus, pœnas juris incurrit; quia eſt Simonia realis completa, ex utraque parte, ſaltem inadæquate,

& te-

Digitized by Google

& tenetur reſtituere Eccleſiæ Beneficii pretium, ac fructus Beneficii, etiam diſtributiones, vel ad pios uſus, ubi conſuetudo permittit. Poteſt tamen diſpenſationem a Papa obtinere quoad fructus; & ſi reſtituendo ſit impar, tenentur mediatores non ſolum ad pretium, ſed etiam ad fructus, quos Beneficiarius accepit, vel culpa ſua non accepit: quia ſunt cauſæ cooperantes damni, & tenentur in defectum principalis; nec poteſt reſignare alteri, niſi Collatori, ſi Simonia ſit occulta, & Epiſcopo, ſi ſit publica, *Tourn.*; quia Beneficium non eſt ſuum, & Collator per Simoniam publicam incurrens excommunicationem notoriam collatione privatur; non tamen amittit Beneficia antea rite poſſeſſa, bene autem poſtea acquiſita; nondum obtenta abſolutione ab excommunicatione; obtenta autem abſolutione, etiam ab Epiſcopo, ſi Simonia fuerit occulta, reſumit capacitatem poſſidendi Beneficia, *Cabaſſ. Pont. & alii*; nec qui bona fide ex ignorantia probabili pecuniam dedit; illa privatur; quia, ubi eſt bona fides, non eſt culpa, ac proin nec pœna; debet tamen reſtitui Beneficium, *Tourn.* quia invalide fuit collatum. 5. Exigens penſionem, vel ſibi ſolvi conſentiens ex Beneficio confidentiarie dato, eaſdem pœnas incurrit, quibus ſubjacet confidentiarie Beneficium accipiens, Pius IV. non vero ſub confidentia reſignans, nec ejus mediatores excidunt a Beneficiis, vel Penſionibus legitime partis, nec inhabiles ad eadem fiunt; *Cabaſſ.*; quia illæ pœnæ contra accipientes latæ ſunt; cenſuras tamen incurrunt jure veteri latas contra Simoniæ reos; quia Simoniam in Beneficio committunt, *Navi & alii*; prædictas pœnas tamen non incurrunt, qui ſtatim ad ſe reverſi, & reſipiſcentes celeri Beneficii confidentiarie accepti dimiſſione, ſibi proſpexerint, *S. Pius apud Tourn.*

Quær. 5. *Qualem, Simoniam ignorans, pœnam incurrat?*

Dico. Licet ignorans Simoniam, v. g. a patre, vel ab alio in Beneficio acquiſito commiſſam a culpa, & excommunicationis pœna ſit immunis; invalida tamen eſt ejus ad Beneficium promotio, ſitque ad idem Beneficium inhabilis, ac illud ante Judicis ſententiam dimittere tenetur, omneſque reſtituere fructus adhuc extantes, non vero bona fide conſumptos, niſi in quantum ex illis factus eſt ditior, *Billuart*; excepto triplici caſu, 1. Si inimicus proviſi, ipſo ignorante, pretium malitioſe obtulerit, ut

eum

Digitized by Google

eum ad Beneficium inhabilem reddat. 2. Si providendus expreſſe contradixerit; & quantum in ſe erat, prohibuerit, modo Simoniam non noverit antequam Beneficium acceptaverit; nec pretium poſtea ſolverit. 3. Si per triennium ignorans Simoniam, bona fide Beneficium poſſederit, *Tourn. & alii.*

Quær. 6. Quiſnam a pœnis contra Simoniacos latis poſſit abſolvere?

Dico. Licet pœnæ contra Simoniacos latæ ab ipſo jure, ſoli Papæ ſint reſervatæ, poſſunt tamen in Gallia Epiſcopi ab excommunicatione abſolvere, ſi ſit occulta, & ad Beneficium ſimplex ignoranter per Simoniam promotum, poſt liberam in eorum manus reſignationem, rehabilitare, modo eam non habuerint ratam, & ad Forum contentioſum non ſit deducta; & abſolvere a ſuſpenſione ignoranter ſimoniace ordinatum, poteſtque ipſemet Epiſcopus a quovis Confeſſario, in hunc finem electo a pænis Simoniæ abſolvi, & rehabilitari; Greg. IX.

QUÆSTIO III.

DE OBLIGATIONIBUS RELIGIOSORUM.

Quæritur. 1. Quid ſit Status Religioſus?

Dico. Status Religioſus eſt ſtabile vitæ inſtitutum ab Eccleſia approbatum, tendens ad perfectionem per tria vota, Paupertatis, Obedientiæ, & Caſtitatis. Contemplativus eſt perfectior activo.

Hinc: contra ſubſtantiam Religionis graviter peccat Religioſus, 1. notabiliter negligens, tendere ad perfectionem, 2. Contemnens media perfectionis, regulam, conſtitutiones, ſtatuta &c. 3. Volens tantum obſervare ſub peccato obligantia, & non curare alia perfectionis media. 4. Volens ſemper in eodem perfectionis ſtatu permanere. 5. Invalida eſt profeſſio in Religione non approbata, *Bill.*; quia ab Eccleſia non eſt acceptata, & profitens, non intendit ſe obligare, niſi in Religione valida, & approbata.

Quær. 2. Quænam ſint obligationes Status Religioſi?

Dico. Obligationes Status Religioſi ſunt, 1. licita, ac vali-

valida Candidatorum receptio. 2. Valida trium Votorum Religioſorum profeſſio. 3. Paupertatis, Obedientiæ, & Caſtitatis obſervatio. 4. Stabilis in eodem Ordine permanſio, non niſi gravi ex cauſa permiſſo egreſſu. 5. Legitima Superiorum electio. 6. Debita Papæ, ac Epiſcopis ſubmiſſio, juxta Juris, ac Concilii Tridentini diſpoſitionem.

Quær. 3. *Quinam Religionem teneantur ingredi, & quomodo ad illam compellentes, vel ab ea retrahentes peccent?*

Dico: Licet Status Religioſus ſolum ſit de Conſilio; qui tamen vovit Religionis indeterminatæ ingreſſum, nulloque determinato tempore, unam tenetur ingredi, quamprimum moraliter fieri poteſt, & in ea profiteri, ſi ei convenire agnoverit; & ſi in una non recipiatur, tenetur alteri ſe præſentare; & ſine juſta cauſa egrediens, vel propria culpa dimiſſus, aliam tenetur ingredi; non tamen extra ſuam nationem, nec puella extra ſuam provinciam: ſi vero determinatam voverit, adhibito morali conatu, in ea non admiſſus, liber eſt a voto, & qui vovit laxiorem, poteſt ingredi ſtrictiorem; impellere autem vi, fraude, &c. ad ingreſſum Religionis, vel ſine juſta cauſa, aliquem ab ea retrahere, grave eſt peccatum, *Concil. Trid. Seſſ.* 25. *de Reg.* 18.; nec minus peccant, recuſatis dignis, indigno recipientes, vel ſuffragium digno negantes, & indigne votum dantes; quia dignus, jus habet per Novitiatum ad Profeſſionem; indignus vero, Religioni, eſt perniciosus.

Quær. 4. *Quinam invalide, & illicite in Religionem recipiantur?*

Dico. Invalide in Religionem recipiuntur, 1. qui non ſunt ſui juris, ut Epiſcopi, ſervi, pueri ante annos pupertatis, conjugati matrimonio conſummato, ſine compartis conſenſu, niſi eſſet adultera; profeſſi in alia Religione ſtrictiori; vel per proprias Conſtitutiones Religionem mutare prohibiti. 2. Hermaphroditi, niſi ſexus prævaleat. 3. Per propria ſtatuta excludendi, ſub pœna nullitatis: illicite autem recipiuntur, 1. debitis gravati. 2. Habentes parentes pauperes. 3. Qui ſub ſpe matrimonii, virginem decepit. 4. Rationibus reddendis obnoxius, ut Tutor &c. 5. Criminoſus, de crimine capitali accuſatus, vel inquiſitus.

Quær. 5. *Quanam ſint Novitiorum privilegia?*

Dico: Novitii, 1. valide, ſed non ſemper licite confiteri

teri poſſunt Sacerdoti ſæculari ab Ordinario approbato. 2. Non incurrunt caſus, ac cenſuras Ordinis. 3. Poſſunt abſolvi ab omnibus, etiam irregularitate, ut profeſſi. 4. Gaudent privilegiis Fori, & Canonis, ac exemptione ab Ordinario, & Indulgentiis, ut profeſſi, & plenariis aſſumendo habitum, *Paul. V.* 5. Vota in ſæculo emiſſa, ſunt ſaltem ſuſpenſa, ſi Ordinis obſequiis repugnent. 6. Poſſunt Beneficium ſæculare, durante Novitiatu, retinere.

Quær. 6. *Quænam ſint validæ Profeſſionis conditiones?*

Dico. Ad validitatem Religioſæ Profeſſionis, requirur 1. ætas 16. annorum, *Conſil. Trid.* 2. Annus integer, & non interruptus probationis, a momento habitus ſuſcepti, in momentum Profeſſionis. 3. Prælati tacita, vel expreſſa acceptatio, cum majoris partis Capituli localis, conſenſu. 4. Plenus, ac liber voventis conſenſus, abſque metu gravi, vel reverentiali, cum minis rigidæ tractationis. 5. Excluſio, omnis alterius impedimenti, in eo ordine eſſentialis; pro ejus vero renovatione ſi fuerit invalida, requiritur 1. notitia invaliditatis, 2. conſenſus novus, expreſſus, & liber.

Hinc 1. Novitius ficte ingreſſus, animo non profitendi, vel mutans animum, quem habuit profitendi, valide incepit, & continuat Novitiatum, modo ſincere emittat Profeſſionem, *Billuart*; quia intentio non eſt de valore, cum ſine illa fieri poſſit probatio, quam lex tantum intendit: idem dicendum de eo, qui vi, vel metu ingreſſus, modo ceſſante vi, vel metu, libere profiteatur; quia licet vis, & metus repugnent Profeſſioni, non tamen Novitiatui, cui ſufficit, quod Novitius probetur, quacunque intentione, & voluntate libera, vel coacta, nec per dimiſſionem habitus, animo redeundi ad ſæculum, cenſetur interrupiſſe Novitiatum, ſi manſerit in Conventu, & facti pœnitens habitum reaſſumat, *Billuart*; quia deſertio non fuit conſummata, quamdiu manet in Conventu; nec ſi retento habitu, exeat ſine licentia, animo non revertendi, ſi exterius, ſuam intentionem non manifeſtaverit; quia cum Eccleſia non judicet de internis, ab ea Novitiatus cenſetur continuatus; nec ſi dimiſſo ad tempus habitu exeat ſine licentia, non animo derelinquendi Religionem, ſed ob vexationem Magiſtri, recurrendi ad Superiorem majorem, vel ob alium finem, etiam malum; ſi tamen diu ſine habitu, & licentia maneat extra Conven-

tum, juſte præſumitur animum redeundi abjeciſſe, & Novitiatum interrupiſſe; nec diſcontinuat Novitiatum injuſte expulſus, & admiſſus, poteſt continuare Novitiatum; non tamen computato tempore abſentiæ. *Bill.*; quia nemo, ſine culpa, debet privari jure ſuo: nec per infirmitatem, etiam per totum annum durantem; quia etiam in infirmitate, perſeverantia, patientia, & obedientia &c. probantur; modo aliunde ad Religionem non ſit inhabilis; nec per amentiam vi morbi, v. g. febris, & ad tempus cauſatam; ſecus, ſi ex propria cauſa, & perturbatione cerebri proveniat, & per unum, vel duos menſes duret, ſaltem tempus amentiæ, per aliud ſupplendum eſt; quia per amentiam non abdicavit Religionem, ſed tantum, tempus probationis humanæ ſuſpendit, *Bill.* nec ſi abſoluto integra probationis anno, non emiſſa Profeſſione, exeat, cum, vel ſine licentia, ſive retento, ſive dimiſſo habitu, animo non revertendi, & ſi poſtea redeat, abſque novo Novitiatus anno, poſſe profiteri, declarat *S. Congregatio Concil. Trid.* 1597. *&* 12. *febr.* 1598.; modo conditio perſonæ non ſit mutata; levitas tamen animi, per talem egreſſum indicata, poteſt etiam exigere, ſi non annualem, ſaltem ad certum tempus, probationem ulteriorem, *Bill.*; nec tenetur ad novum Novitiatum, in eodem Ordine, tranſiens de uno Conventu, vel Provincia laxiori, ad ſtrictiorem ſub eodem Generali, ut de non reformatis Dominicanis, vel Benedictinis ad reformatos; quia ſupponitur eadem regula, ac eadem vota; ſecus ſi tranſeat de una Religione ad ſtrictiorem, vel laxiorem; quia licet vota eſſentialia, in omni Religione ſint eadem, diverſæ tamen ſunt Regulæ, & Conſtitutiones, & Superiores.

Hinc 2. Profeſſio decimo ſexto anno completo emiſſa, 1. eſt valida, licet juxta Statuta alicujus Religionis, ut noſtræ, nonniſi completo decimo ſeptimo vel octavo eſſent admittendi in Ordinem, *Declarat. Conc. Trid. Seſſ.* 25. *cap.* 15. *de Reg.* 2. Nullus poteſt abſque gravi culpa, reclamare contra Profeſſionem, niſi de ipſius invaliditate ſit certus, *P. Paul. Lugd.* & tunc fieri debet 1. coram Superiore, & Ordinario. 2. Servata forma a jure præſcripta. 3. Retento, vel iterum aſſumpto habitu. 4. Intra quinquennium, niſi ultra quinquennium invaliditatem ignoraverit, vel metu gravi, aliave gravi cauſa a reclamatio-

matione fuiſſet impeditus, & ſi nullitas Profeſſionis pro bari nequeat, ratificari debet, ſi orta ſit propria culpa, v. g.; quia ficte profeſſus eſt; non vero, ſi aliena culpa ſit invalida, v. g. vi, metu, &c.

Quær. 7. Quinam ſint Profeſſionis effectus?

Dico: Præcipui Profeſſionis effectus, ſunt 1. gravis obligatio ſervandi tria vota, ac præcepta fundamentalia, etiam relaxata tempore Profeſſionis, præcipue, ſi eorum reformatio fiat; talis enim videtur eſſe mens Eccleſiæ, licet alia fuiſſet profitentis. Permutatio omnium votorum, etiam in Novitiatu emiſſorum, in votum Religionis, ſi ita intenderit. 3. Matrimonii rati diſſolutio. 4. Diſpenſatio irregularitatis defectu natalium ad Ordines ſuſcipiendos, vel Beneficium ſimplex; non vero ad Curatum, vel Prælaturam. 5. Liberatio a patris poteſtate. 6. Omnis pœnæ peccatis debitæ, ex opere operantis, remiſſio, *S. Thom.*

Quær. 8. Quid, & quotuplex ſit obedientia?

Reſp. Obedientia eſt virtus moralis Virum Religioſum inclinans ad executionem, præcepti Superiori, in omnibus, quæ cadunt ſub virtute obedientiæ. Alia eſt materialis, quæ inclinat ad executionem operis præcepti, non qua præcepti, ſed quia honeſtum eſt, &c. Alia formalis, quæ inclinat ad executionem operis præcepti, qua præcepti. Inobedientia etiam, eſt duplex, alia eſt materialis, quæ eſt violatio præcepti ex paſſione, negligentia, ira, &c. Alia formalis, quæ eſt violatio præcepti cum intentione contemnendi præcipientem, nolendo ei ſubeſſe.

Quær. 9. Ad quid teneatur Religioſus, vi voti obedientiæ?

Dico. Religioſus vi voti obedientiæ 1. obſervare tenetur Regulam, ſecundum vim obligationis, in qualibet Religione, receptam. 2. Implere Superioris præcepta, Regulæ, Conſtitutionibus, ac regulari obſervantiæ conſentanea, & Regulam FF. Minorum profitentes omnia, quæ non ſunt contra Deum, & animam, & quidem ſub peccato mortali, ſi in virtute obedientiæ in re ex ſe, vel ex circumſtantiis gravi ſint præcepta.

Hinc: Religioſus, tenetur 1. nova Capituli Statuta ſervare, 2. Reformationem admittere in votis eſſentialibus, & præceptis ſtricte obligantibus, etiam ante Profeſſionem relaxatis, & ad eorum obſervantiam immediate condu-

centibus. 3. Obedire, etiam cum periculo vitæ, ſi bonum Religionis ita exigat, ut tempore peſtis, inſerviendo fratribus, vel Sacramenta adminiſtrando Sæcularibus, deficiente Parocho, ſi ſit Religioſus Ordinis Mendicantium, in adjutorium ſalutis animarum inſtituti. 4. Superiores poſſunt obligare ſuos ſubditos ubique terrarum, revocando abſentes, capiendo fugitivos, &c. 5. Subditus peccat graviter per inobedientiam materialem, in re gravi ſub præcepto formali præcepta, & per inobedientiam formalem, etiam in re levi.

Quær. 10. *Quid ſit Caſtitas Religioſa?*

Reſp. Caſtitas eſt votum ſolemne, quo Religioſus promittit, perpetuo abſtinere ab omni delectatione carnali illicita, vel licita in matrimonio.

Quær. 11. *Ad quid teneatur Religioſus vi voti Caſtitatis, & quænam ſint media, contra carnales delectationes?*

Dico. Tenetur Religioſus vi voti caſtitatis omnes evitare venereas, ac carnales delectationes, eaſque voluntarie admittendo, duplex committit peccatum: media autem contra illas, ſunt 1. Humilitas. 2. Oratio. 3. Senſuum cuſtodia. 4. Occaſionum evitatio. 5. Scripturarum, ac Paſſionis Chriſti meditatio. 6. Mortis, ac noviſſimorum Commemoratio. Corporis caſtigatio. 8. Honeſta occupatio. 9. Præſentiæ Dei recordatio. 10. B. V. Mariæ devotio.

Quær. 12. *Quid ſit Paupertas Religioſa, quotuplex licentia Superioris, & quotuplex ſit neceſſarium?*

Reſp. 1. Paupertas Religioſa eſt votum ſolemne, quo Religioſus abdicat omne dominium, proprietatem, uſumque independentem a Superioris voluntate, aut licentia.

2. Licentia Superioris eſt quadruplex: alia enim eſt expreſſa, quæ aperte conceditur verbo, vel ſcripto; alia virtualis, quæ in expreſſa continetur; ſic in licentia recipiendi devotionalia, includitur licentia illa diſtribuendi, & in officio, actiones officii. Alia tacita, quæ infertur ex ſilentio Superioris ſcientis, & non reclamantis, cum facile reclamare poſſet. Alia præſumpta, ſeu interpretativa, quam ſuperiorem habere, vel habiturum infertur, ſi ſtatum rei, ſciret.

3. Neceſſarium eſt duplex, nempe abſolute, vel ſimpliciter, ſine quo res nullo modo ſubſiſtere poteſt; & neceſſarium ſecundum quid, ſeu congruentiæ, ſine quo res decenter conſervari nequit; ſuperfluum vero, eſt, quod

pen-

penſatis omnibus circumſtantiis Religionis, perſonæ, temporis, loci, officii, nec ad vitam, nec decentiam ſtatus eſt neceſſarium,

Quær. 13. *Ad quid teneatur Religioſus vi voti paupertatis?*

Dico. Religioſus per ſolemne paupertatis votum, tenetur, omne abdicare dominium, proprietatem, ac independentem a Superiore, bonorum temporalium uſum, graviterque peccat. 1. utendo rebus temporalibus, tanquam ſuis, vel ſine licentia, ſaltem virtuali, aut tacita in materia gravi, quæ eſt eadem, ac in furto circiter 15. aſſium Gallicarum apud nos, *Capit. gen.* 1662. niſi ratione circumſtantiarum, v. g. in eſculentis tempore recreationis, major quantitas ob indulgentiam Superiorum requitur: nec ſufficit ſola licentia præſumpta, niſi urgente neceſſitate, & recurſum ad Superiorem non permittente, quem poſtea, pro retinenda illa re, ſumere debet. Imo in re gravi, videtur expreſſa adhibenda, quando res non urget, & facilis ad Superiorem pateat recurſus,

Hinc: contra paupertatem, peccat Religioſus in materia gravi, qui ſine debita Superioris licentia, vel ſolum vi, fraude, metu, murmuratione gravi, obtenta, aliquid etiam pro communitate, accipit, retinet, dat, impendit, vendit, emit, permutat, commodat, &c. & dans, ac accipiens tenentur ad reſtitutionem: nec in Monaſteriis bene ordinatis licentia tacita, vel generalis, ob periculum abuſus, concedi debet, niſi in rebus parvis ſæpe occurrentibus, multo minus interpretativa tolerari debet. 2. Qui rem etiam cum licentia Superioris acceptam abſcondit, ne Superior de illa diſponat, vel alius cum licentia Snperioris illa utatur. 3. Qui murmuratione, minis, &c. liberam Superioris diſpoſitionem impedit; rem non ſtatim dimittit, percepta Superioris diſpoſitione; res ſibi conceſſas, vel Monaſterii dilapidat, prodigaliter conſumit, negligenter conſervat. 4. Qui uſum moderatum, ſtatum ſuæ Religionis decentem, licet ſit Superior, notabiliter excedat, res in uſus turpes, vanos, inutiles adhibet, ludendo in notabili quantitate, opinare epulando, ædificia ſupra ſtatum, vel inutilia conſtruendo, &c. 5. qui ſine licentia rationabiliter præſumpta eduut, vel bibunt apud ſæculares; in itinere tamen poteſt quis accipere, & uti rebus ſtatui ſuo neceſſariis. 6. Procuratores, & Officiales de rebus Monaſterii aliter diſponentes, quam Superior,

Regula, vel conſuetudo permittit. 7. Surripientes tapetes ex cubiculis hoſpitum, & ad uſum proprium applicantes, &c. vel ſcripta, ut conciones confratris, ipſo invito, ac furtive deſcribentes, & iterum occulte reſtituentes, vel in certo cubili, vel Monaſterio contra voluntatem Superioris commorantes; quia iſti ſunt proprietarii loci, & priores uſus rei alienæ, nempe communitatis invito Superiore, vel confratris quoque inviti; utentes tamen rebus Monaſterii ad breve tempus, vel rebus alicujus extranei, ſine licentia Superioris, excuſantur a mortali; niſi notabiliter ipſo uſu atterantur; quia v. g. uſus libri ab extraneo ad breve tempus accepti, non tanti æſtimatur, ut materia peccati mortalis ſit, *Bill.*; idem aſſerit de commutatione rerum communium, & æqualium, vel fere æqualium, ut libri, cultri, veſtis &c. cum alio libro, cultro, &c. fere æquali; quia, licet ſine licentia Superioris ſit actus proprietatis, cum tamen Monaſterium non notabiliter inde gravetur, Superior non cenſetur graviter invitus, quod ex uſu cujuslibet Religionis dijudicandum eſt. Nec peccat accipiens aliquid ſine licentia Superioris, non pro ſe, ſed ut det alteri, manente dominio penes dantem; quia nihil juris acquirit, & vices internuncii agit, modo apud nos, non ſit pecunia alia lege nobis prohibita. Nec peccat dicens aliquid eſſe ſuum, v. g. dicendo: mea cella, mea veſtis, intelligendo quoad uſum facti, & dependentem a Superiore; ſecus, ſi intendat dominium, vel uſum independentem; quia repugnat voto, & veritati, &c. 8. Fratres Minores de damno ipſis illato, v. g. in Monaſteriis, horto, vel aliis rebus, proprio nomine, & auctoritate in judicio contendentes, ſatisfactionem exigentes, per ſe, vel per alium; quia agunt contra ſuam Profeſſionem, qua, vi ſuæ Regulæ renunciarunt omni juri, ac dominio rerum temporalium, niſi per Syndicum Apoſtolicum nomine Papæ fiat, quia ipſe dominium rerum temporalium, quarum Fratres Minores ſunt incapaces, in ſe ſuſcepit, & illius nomine vindicari debet. 9. Equites Ordinis Melitenſis S. Joannis, vel S. Jacobi bona ad nutum Magiſtri non reſtituentes, vel de iis ſine licentia illius teſtantes; evitare vero ſuperflua, vi ſui voti non tenentur, quia non eſt rigidæ paupertatis Clauſtralium.

Quær. 14. *Ad quid teneatur Religioſus, bona Monaſterii, immoderate diſſipans?* *Dico*,

Dico. Religioſus bona Monaſterii immoderate, vel ſine licentia diſſipans, tenetur ad reſtitutionem rei, vel ſi non exiſtat, de peculio ſibi conceſſo, aut parcius vivendo; & accipientes a Religioſo data ſine licentia, Monaſterio reſtituere tenentur; & proprietarius, 1. eſt includendus ad agendam pœnitentiam, *c. 6. de Stat. Monach*; 2. Voce activa, & paſſiva ad biennium privandus, atque etiam juxta ſuæ Regulæ, & Ordinis Conſtitutiones, puniendus eſt. *Conc. Trid. Seſſ. 25. cap. 2. de Reg.* 3. Eccleſiaſtica ſepultura privandus, cap. 4. & 6. de Stat. Monach. quæ pœnæ ſunt ferendæ ſententiæ.

Quær. 15. *An peculium Religioſis ſit licitum?*

Dico. Peculium, ſeu annua penſio apud Religioſos, proprietatem in communi habentes, eſt licita ſequentibus cum conditionibus. 1. Ut conſtituatur cum expreſſa Superioris licentia, ad ipſiuſque nutum ſit revocabilis, & ad uſus Monaſterii applicabilis. 2. Ut quoad dominium, ac proprietatem communibus Monaſterii bonis, ſit incorporatum. 3. Ut non ſit in poteſtate Religioſi, ſed Superioris, vel Procuratoris. 4. Ut ad uſus licitos, juxta paupertatis Religioſæ, limites adhibeatur. 5. Ut juſta ex cauſa permittatur, videlicet ob indigentiam, vel Religioſi, ut propter ſenium, infirmitatem, &c. vel conventus, non omnia ſubditis ſuppeditare valentis.

Quær. 16. *Quænam ſint cauſæ egreſſum a Religione permittentes?*

Dico. Poteſt Religioſus a Religione, in qua eſt profeſſus, egredi, licito modo, 1. per diſpenſationem Papæ, ex gravi cauſa. 2. Ut ſtrictiorem ingrediatur, petita, licet non obtenta ſui Superioris licentia. 3. Aſſumendo Epiſcopatum; tenetur tamen eandem ſervare caſtitatem, ac eandem Papæ exhibere obedientiam, & ſervare paupertatem, nullius rei proprium acquirendo dominium, niſi Eccleſiæ, cui præeſt, & de facto, Epiſcopi, etiam Religioſum retinere ſolent habitum. 4. Per ejectionem, ob incorrigibilitatem, cum ter juridice, de eodem crimine gravi convictus, incorrigibilis manet. 5. Ob crimen, cui ejectio ex Religionis ſtatuto, eſt annexa. 6. Ob impedimentum eſſentiale, ante Profeſſionem occultatum. 7. Ob extremam parentum neceſſitatem, vel etiam ob gravem, ſi ante Profeſſionem ipſis evenerit, & alio modo ſublevari nequeant; non vero, ſi cauſaliter poſt Profeſſionem contigerit. Illi-

cito vero modo, per fugam, & per Apoſtaſiam; hos Superiores requirere, & recipere tenentur, niſi aliis eſſent ſcandaloſi; tunc ſponte redeuntes recipere, non vero requirere tenentur.

Hinc; graviter peccat, Religioſus, ſine licentia e Monaſterio egrediens, etiam abſtrahendo a pravis circumſtantiis, puta contemptu, malo fine, ſcandalo, gravi damno; quia uſu, ac conſuetudine graviter eſt prohibitum, & gravi pœna puniri, & nocturna egreſſio reſervari ſolet juxta Bullam Clem. VIII.; ſit autem veniale ex levitate materiæ, ut ſi fiat in die ad breve tempus; notabile tempus ex majori, vel minori rigore Religionis dijudicandum eſt: *Paſſer*: duos, vel tres dies breve tempus eſſe cenſet; ſi ſit diuturnius, animo redeundi, cenſetur fugitivus, & animo non redeundi, Apoſtata; apud nos, juxta noſtras Conſtitutiones, brevius requiritur tempus, & intra 24. horarum ſpatium rediens, graviter puniendus; nec quadrans nocturnæ, & furtivæ egreſſionis, excuſat a mortalis in Religione bonæ obſervantiæ, *P. Gerv.*

Quær. 17. *Quinam ſint in Superiores eligendi, & quanam eorum obligatio, & poteſtas?*

Dico, Superiores, debent, gravi ſub peccato eligi digniores, qui ſuis ſubditis tenentur 1. præeſſe exemplo. 2. Prælucere doctrina. 3. Eorum promovere perfectionem, procurando obſervantiam Regulæ, Conſtitutionum, ac regularis diſciplinæ. 4. Delinquentes monere, corrigere, increpare, ac punire omni cum charitate, & patientia; poſſuntque eos abſolvere ab omnibus peccatis, cenſuris, ſententiis, etiam Papæ reſervatis, notoriis, vel occultis, a jure vel homine quomodocunque latis, aut promulgatis, ſaltem in foro interno, ut dicetur 2. in Parte *Tract. de Pœnit.* & diſpenſare in omni irregularitate, excepta ex bigamia, membrorum mutilatione, ac homicidio voluntario; quam poteſtatem etiam delegere poſſunt, prout de facto apud nos, quibuſdam, in quolibet conventu, quoad caſus reſervatos, delegata eſt. *Ita varii SS. Pontifices.* Item poſſunt Prælati Regulares, dominium bonorum, ſaltem in communi habentes, abſque licentia Superioris majoris, & conſenſu Conventus, alienare, ſive dando, ſive vendendo, ſive permutando bona mobilia non pretioſa, vel pretioſa, quæ ſervando, ſervari nequeunt ad triennium, ut vinum, frumentum, pecunia

nia

nia in parva quantitate; prudenter tamen, & diſcrete, ac juxta cujuslibet Ordinis Conſtitutiones, & conſuetudines; Patet ex Clementina, 2. §. *ſed talis. lib.* 31. *tit.* 1. non vero immobilia, & mobilia pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt, ut agri, domus, gemmæ, vaſa aurea, &c. *ita communis*; niſi eſſent modici valoris, ut refectio calicis, vel locatio bonorum ad modicum tempus, quod minus eſt decennio, *Billuart.*

Quær. 18. *An Superiores, poſſint, fœminis permittere, ingreſſum in Monaſteria?*

Dico. Superiores, non poſſunt, fœminis permittere ingreſſum in Clauſuram, ſub qua apud nos etiam ſacriſtia, hortus, viridaria &c. comprehenduntur; *S. Congr.* 1685. 1. *Fal*: & mulieres Clauſtra Virorum temere ingredientes, & introducentes, etiam in Gallia ex conſuetudine vim legis habente, graviter peccant, niſi mentis levitas, bona fides, vel ignorantia excuſet, & ubi Bullæ S. Pii V. & Greg. XIII. ſunt receptæ, prout apud nos ſunt receptæ, mulieres eam cum audacia, ac magna cum temeritate ingredientes, excommunicationem Papæ reſervatam, ipſo facto incurrunt; Religioſi vero, ipſas introducentes, vel non impedientes, pœnam ſuſpenſionis a divinis (id eſt exercitio Ordinum) privationis Officiorum, & inhabilitatis ad omnia Officia incurrunt: in Clauſtra autem Mulierum, ingreſſus abſque urgente neceſſitate, & Superioris, vel Epiſcopi licentia, reſpectu ſibi ſubjectarum tam viris, quam fœminis cujuſcunque conditionis, ſub pœna excommunicationis, ipſo facto incurrendæ, ac Papæ reſervatæ, a Concilio Tridentino, interdicitur; & ſub eadem pœna, prohibetur ſanctimonialibus, exire e Monaſterio. *Conc. Trid. Seſſ.* 25. *de Reg. cap.* 5.

Hinc: non peccant Clauſuram ingredientes, 1. quando Miſſa, vel Concio, intra Clauſuram habetur pro populo. 2. Quando fidelium corpora, ibidem ſepeliuntur, & ſuffragia pro iis fiunt. 3. Quando tantus populi eſt concurſus, ut commode per portam Eccleſiæ ingredi, nec egredi valeant, dummodo recto tramite ad portam accedant. 4. Speciale privilegium habentes, ut Fundatrices, Reginæ, &c. cum honeſto comitatu. Nec peccant cum licentia Superioris Regularis, intellige Generalem, Provincialem, vel Prælatum localem, reſpectu Monialium exemptarum, vel Epiſcopi reſpectu ſibi ſubjectarum, in caſibus

bus neceſſariis, Monaſteria Monalium ingredientes, ut Medici, Chirurgi, Opifices neceſſarii, Superior viſitando Monaſterium, Confeſſarius pro adminſtratione Sacramentorum infirmis, quoties exigit devotio infirmæ, etiam Religioſi noſtri Ordinis, in Gallia, ab Ordinariis requiſiti, ad audiendas Confeſſiones Monialium, aliarumque perſonarum intra clauſuram ægrotantium, *Clem. XII.* 1733. 26. *Sept.* non vero poteſt dare hanc licentiam Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa, niſi Superior, ipſi, hanc facultatem delegaverit; nec Superior, niſi ex neceſſitate, ſaltem morali, quæ debet eſſe major pro viris, quam pro fæminis, & major pro officinis interioribus, quam pro locis portæ vicinis, *Bill.* ac manifeſta, & non dubia; quia in dubio non licet agere, *ibid.*; nec peccant Moniales cum licentia Superioris ſui Ordinis, ac Epiſcopi, licet ſint Ordinis exempti, ubi Bulla S. Pii V. eſt recepta, egredientes propter ingruens bellum, ob ingentem illuvionem, Monaſterii ruinam minantem, ſi deputentur ad reformandum, vel fundandum aliud Monaſterium, vel gerendum officium Magiſtræ Novitiarum, vel Abbatiſſæ in alio Monaſterio, in quo non habentur aliæ idoneæ; vel ad præſtandum juramentum, Domino ſæculari, propter feudum, ſi per Procuratorem fieri nequeat; vel ut ad Religionem tranſeant perfectiorem; vel ut Eleemoſinis, neceſſitatibus urgentibus, ſuccurrant; vel ob periculum vitæ, ratione invaſoris, vel morbi ſine egreſſione non curandi, ſaltem, ubi conſuetudine ita eſt receptum.

Quær. 19. Quænam ſint Religioſorum privilegia, & exemptiones?

Reſp. Prænot. 1. Privilegium mare magnum, eſt Bulla, multa Regularium privilegia congeſta, complectens, noſtrum mare magnum eſt Bulla Sixti IV. incipiens: *Univerſalis Eccleſia*, continens omnia privilegia a diverſis SS. Pontificibus, Ordini Fratrum Minorum conceſſa. Simile habent alii tres Ordines Mendicantium, Prædicatorum, Auguſtinianorum, & Carmelitarum.

2. Communicatio privilegiorum Mendicantium, eſt conceſſio privilegiorum, omnibus aliis Religioſis non ſolum Mendicantibus, ſed etiam Societatis Jeſu Conceſſorum, & concedendorum, quæ nobis ſpecialiter eſt facta per Conſtitutionem Pii IV. an. 1630. & jam ante a Paulo III. 1536. & a Clemente VII. 1529. modo non ſint contraria Regulæ, ac Regulari obſervantiæ, His notatis.

Dico.

Dico. Exemptio Regularium eſt exemptio a poteſtate Ordinarii, ſub quo nomine etiam Nuncii Apoſtolici, ac Legati comprehenduntur, & immediata Papæ ſubjectio in iis, in quibus per Concilium Tridentinum, vel jure communi, ei non ſubjiciuntur, gaudentque Mendicantes privilegiis in mari magno ſui Ordinis, vel in aliis Bullis contentis, & per communicationem privilegiorum, etiam omnibus aliis Ordinibus Mendicantibus conceſſis, vel concedendis, modo per Concilium Tridentinum non expreſſe per verba: *Non obſtantibus quibuſcunque privilegiis*, ſint revocata, prout privilegia vivæ vocis a Greg. XV. & Urb. VIII. revocata ſunt. Subjiciuntur tamen Religioſi, etiam exempti, legibus Epiſcoporum, ad communem obſervantiam, ac totius populi devotionem ſpectantibus, quoad vim directivam; quia ut ſit conformitas in membris, ratio ita ſuadet; non vero coactivam, niſi in caſibus, a Concilio Tridentino exceptis; quia in cæteris omnibus, præfatorum Ordinum privilegia, & facultates, quæ ipſorum perſonas, loca, & jura concernunt, firma, & illæſa declarat, idem Concilium Trid. *Seſſ.* 25. *de Reg. cap.* 20.

Hinc 1. Regulares exempti non tenentur, 1. ad obſervantiam Legum Epiſcoporum, vel ſynodalium, vel loci, niſi directive ad evitandum ſcandalum. 2. Non tenentur citati ab Epiſcopo comparere, niſi in cauſis, in quibus eis ſubjiciuntur, quamvis deceat etiam in aliis comparere. 3. Non poſſunt Epiſcopi viſitare Monaſteria exempta, vel Prioratus, in quibus viget regularis diſciplina, vel quæ ſubſunt Abbatibus, vel aliis Superioribus, qui ſuorum Ordinum ſunt capita, vel juriſdictionem legitimam in alia Monaſteria inferiora, vel Prioratus exercent, a quibus viſitari, & corrigi debent. *Conc. Trid. Seſſ.* 25. *de Reg. cap.* 20. quod confirmatur Declaratione Regia, *an.* 1696. *ſupra art.* 18. *Edict. Reg. an.* 1695. *Hericourt.* nec Abbates, vel Abbatiſſas capita, vel Generales prædictorum Ordinum. *Declaratio cit.*

Hinc 2. Poſſunt Epiſcopi in Gallia viſitare in propria perſona, 1. Monaſteria etiam exempta nulli Congregationi aggregata, *Conc. Trid. Seſſ.* 25. *de Reform. c.* 8. *& Ordon. de Blois art.* 27. *apud Hericourt. fol.* 72. 2. Monaſteria non exempta etiam in Congregationes erecta, *Hericourt. cit.* 3. Eccleſias parochiales ſitas in Monaſteriis,

Com-

Commendis, & Eccleſiis Religioſorum, etiam exemptorum, *Edict. Reg.* 1695. *art. XV*. 4. Per ſe, vel alios Eccleſiaſticos, Eccleſias, in quibus Religioſi ſunt Parochi, vel Capitula Jus viſitationis prætendunt habere, *Edict. Reg. cit.* 5. Poſſunt quoque viſitare Monaſteria exempta, vel non exempta, ubi non viget obſervantia regularis, *Conc. Trid. Seſſ.* 21. *cap.* 8. & ubi diſciplina regularis viget, ſi Regularium Superiores, ab Epiſcopo, de quadam irregularitate admoniti, intra ſex menſes ſibi ſubditos non viſitaverint, vel correxerint, Epiſcopi, etiam ut delegati Sedis Apoſtolicæ, eos viſitare, & corrigere poſſunt, prout eorum Superiores id poſſent, quibuſcunque appellationibus, privilegiis, & exemptionibus penitus remotis, *Conc. Trid. Seſſ.* 21. *cap.* 8. *de Reform. Decl. Reg. ann.* 1696.; & Religioſus, Epiſcopo non ſubditus intra Clauſtra degens, & extra illa notorie delinquens, ut populo ſit ſcandalo, Epiſcopo inſtante, a ſuo Superiore intra tempus ab Epiſcopo præfigendum, ſevere puniri, ac de punitione Epiſcopus certior reddi debet; ſecus a ſuo Superiore officio privetur, & delinquens ab Epiſcopo puniri poteſt, *Conc. Trid. Seſſ.* 15. *de Reg. c.* 14.: & extra Clauſtra habitans, poteſt judicari ab Officiali. *Hericourt. fol.* 75. quia judicium ſequitur forum delicti, & vagabundos, Epiſcopus poteſt obligare, ut redeant ad ſua Monaſteria, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, *Innoc. III. apud Heric. fol.* 88. 6. Jure novo viſitare poſſunt in Italia, & Inſulis confinibus Monaſteria, in quibus non habitant duodecim Religioſi. *Leo X. Innoc. X.* non tamen extra Italiam, *Mich: Tug: in ſuo Bull. Tom.* 6.; quia nulla de aliis Provinciis extat Bulla. 7. Etiam ſubjacent, præcipue in Gallia, Regulares etiam exempti Ordinationibus Epiſcopi, vel illius Vicarii Generalis politiam exteriorem totius populi concernentibus, ut quoad Generalem campanarum ſonitum, ſtationes tempore Jubilæi, Proceſſiones, Preces pro neceſſitatibus publicis, gratiarum actiones &c. *Declar. Reg.* 1710. *art.* 1.

Hinc 3. Regulares Jure communi, ac Concilii Tridentini Epiſcopis ſubjiciuntur 1. in editione librorum. 2. In promulgatione, & obſervatione interdicti, & aliarum cenſurarum, & Indulgentiarum promulgatione. 3. In cocolendis Feſtis; non tamen tenentur ad Feſta, ſeu Officia ſynodalia, excepto Patroni principalis, & titularis Eccleſiæ Cathedralis, ejuſque dedicationis, ac Patroni

loci;

loci; non tamen ad eorum Octavas. 4. Quoad approbationem pro Sæcularibus, ædificationem Monaſteriorum, & Eccleſiarum, earumque conſecrationem. 5. Quoad Ordines, aliaque muneris Epiſcopalis; poſſunt tamen Superiores, paramenta, & corporalia benedicere, & Abbates, Calices pro ſuis Eccleſiis, non vero pro aliis, niſi ex longæva conſuetudine, vel Ordinario non contradicente: poſſunt etiam, privata ex cauſa, SS. Euchariſtiæ Sacramentum exponere, dummodo e tabernaculo non extrahatur, & velatum, nempe in Ciborio maneat, *Decret. S. Congr.* 1602. 16. *Dec, in Bull, P. Mich. Tug. Tom.* 6. non vero publice, ita, ut S. Hoſtia pateat; niſi ex cauſa publica, ab Ordinario approbata, *ibid.* 6. Quoad Proceſſiones publicas, & lites quoad præcedentiam in eis. 7. Quoad nullitatem profeſſionis, in executione ultimarum voluntatum, in caſibus Matrimonii, & agentes contra ſubditum Epiſcopi. 8. Quoad fraternitatum, ac ſcholarum ſæcularium inſtitutionem. 9. Aſſerentes in actis publicis, B. Virginem in originali eſſe conceptam, vel hæreſes in Concione, aut lectione Theologiæ diſſeminantes, vel in eis negligentes. 10. In cauſa hæreſis publicæ; Superiores tamen ultramontani, poſſunt ſuos ſubditos abſolvere. 11. Regulares ſpeciali cum licentia, extra Monaſterium commorantes; alii vero delinquentes extra Conventum a propriis, puniri debent Superioribus, & Epiſcopi de eorum correctione certiores fieri, ut ſupra. 12. Quoad degradationem, renunciationes Novitiorum, & Novitiæ Monialium, in menſe ante Profeſſionem, extra Clauſuram, ab Epiſcopo examinari debent.

Hinc 4. Jure Gallico, 1. non poſſunt Generales non regnicolæ, viſitare ſine Regis licentia, nec nominare Vicarium, vel Commiſſarium, niſi regnicolam, qui inſuper ſuam commiſſionem referre debet, in acta Senatus ſupremi; nec judicare per ſe ipſos appellationes extra Regnum, ſed ad judicandam appellationem, nominare regnicolam tenentur; nec exequi licet obedientiales illorum, ſine licentia Provincialium, qui ſunt regnicolæ, *Hericourt. fol.* 74. *&* 75.; & Provinciales extranei, ſaltem Commendantem provinciæ, & Regium Reipublicæ, ac ærarii ſummo jure Propoſitum (*Intendant*) certiorem reddere debent de viſitatione inſtituenda, & tempore belli in ſcriptis licentiam obtinere. 2. Superiores Regulares non poſſunt

inſti-

infligere, pœnas graves, ut carceris, depoſitionis &c. niſi obſervent Ordinationes Regias præſcriptas anno 1670. pro Tribunali Eccleſiaſtico, & Civili, exceptis Monaſteriis, quibus, forma magis ſimplex, per ſua Statuta eſt præſcripta per literas Patentes Regias firmata: poſſunt tamen infligere pœnitentias modicas, ac regulares ſine proceſſu, dummodo ipſis de crimine conſtet, *Héric. cit. fol.* 76. 3. Appellationes fieri debent gradatim, intra ordinem, uſque ad Generalem, & Papam, qui debet nominare Judicem delegatum; Ordinationes autem, ac Decreta, diſciplinam monaſticam concernentia, per Epiſcopos, vel Superiores Regulares in viſitatione facta, non obſtante appellatione, etiam ad Papam, vel Senatum ſupremum (*comme d'abus*) interim exequi debent, *Conc. Trid. Seſſ.* 24. *de Reform. cap.* 10. *&* *Edict. Reg.* 1695. *art.* 18. 4. Nullum Monaſterium vel Hoſpitium poteſt erigi ſine licentia Regis, & literis Patentibus, *Ordon.* 1666. 5. Reformatio, ac viſitatio Monaſteriorum fieri debet per Epiſcopos, & Superiores Regulares, ut ſupra dictum eſt: non poſſunt tamen, Religioſi ſeniores, obligari ad Regulam auſteriorem, illa, quæ per ſua Statuta eſt præſcripta, vel uſu, publice ante Profeſſionem obſervata, modo talis uſus non ſit, contra vota eſſentialia, vel bonos mores, *ibid.* 6. Tenentur Regulares, ut alii Clerici comparere ante quemlibet Judicem, pro ferendo teſtimonio in cauſa criminali ſine pareatis, & in Civilibus conſulant Epiſcopum.

Quær. 20. *Quanam ſit Eccleſiarum immunitas?*

Dico. Quoad immunitatem Eccleſiarum, ſtandum eſt conſuetudini Regnorum; in Gallia locum non habet; non poſſunt tamen Regulares, aut Clerici cooperari captioni malefactorum, & ne fiat in locis piis indecenti modo, pro poſſe impedire tenentur.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

DE OBLIGATIONIBUS PARENTUM, ET ALIORUM OFFICIORUM.

Quæritur* 1. *Quaſnam habeant obligationes Parentes, & eorum vices gerentes erga ſua curæ commiſſos?

Dico. PArentes, viceſque eorum gerentes, ut Tutores, Curatores, Magiſtri, Domini, debent ſuis infantibus, & ſuæ curæ reſpective commiſſis, 1. amorem. 2. Inſtructionem. 3. Bonum exemplum. 4. Diſcretam correptionem. 5. Et Tutores, ac Curatores, fidelem bonorum adminiſtrationem. 6. Et Domini, juſtum ſuis famulis, ſtipendium.

Hinc: peccant Parentes pro gravitate rei, & reſpective alii eorum vicesgerentes, 1. eos exponendo periculo abortus, non procurantes convenientem ſuſtentationem, eos Xenodochiis, vel alibi exponentes, partialiter quoſdam amantes, alioſque nimis acerbe tractantes, ad aliquem Statum invitos cogentes, vel ab eo retrahentes. 2. Nec per ſe, nec per alios rudimenta Fidei docentes, pernicioſam libertatem eis relinquentes immoderate ludendi, ſe delectandi, in occaſione peccati verſandi, eos non aſſueſcentes mane, & veſpere orandi, ceteraque Vitæ Chriſtianæ munia, Miſſam, Veſperas, Concionem, Catecheſim frequentandi. 3. Verba impudica, blaſphemias, juramenta, imprecationes coram illis proferentes, ebrietatem, ludos immoderatos ſectantes, ſecum, vel in eodem cubili dormire permittentes, præcipue in certa ætate. 4. Delinquentes non corripientes, vel cum nimia ira, impatientia, imprecationibus &c. vel eos non retrahendo a conſortio malorum, præcipue alterius ſexus; permittentes lectionem librorum obſcænorum, aliorumve prohibitorum, frequentationem ſpectaculorum inhoneſtorum ſpiritum mundi, amorem obſcænum, aliarumque paſſionum motus, ſenſim ſine ſenſu imprimentium. 5. Tutores, ac Curatores adminiſtrationem bonorum notabiliter negligentes, tenenturque ad reſtitutionem damni. 6. Magiſtri diſcipulorum, inſtructionem, ac progreſſum negligentes, &

ad

ad reſtitutionem ſtipendii obligantur. 7. Domini conducentes famulos infra infimum pretium, non ſolvendo, vel nimis differendo promiſſa, obligantes eos ad reparanda damna, abſque eorum culpa contingentia; vel abſque legitima cauſa eos ante terminum conſtitutum dimittentes.

Quær. 2. *Quaſnam habeant Infantes, Diſcipuli, Famuli &c. erga Parentes, & Dominos obligationes?*

Dico. Infantes minores, diſcipuli, ac Famuli, debent Parentibus, eorumque viceſgerentibus, Tutoribus, Magiſtris, Dominis. 1. Amorem. 2. Reverentiam. 3. Obedientiam, quoad ſuum ſtatum ſpectantia. 4. Et Famuli inſuper fidelitatem, gerendo Dominorum ſuorum negotia, & ſervando terminum permanentiæ conductum.

Hinc: peccant pro gravitate rei, Infantes, & alii reſpective, videlicet Minores, Diſcipuli, Famuli, 1. Nullum Parentibus, vel eorum vicesgerentibus exhibentes amorem, præcipue in neceſſitate conſtitutis; ſed ipſis ſigna odii exhibentes, dure eos tractantes, vel contriſtantes, aut de ipſis erubeſcentes. 2. Ipſis non ſubvenientes in neceſſitate corporali, aut ſpirituali, eos ægrotos non viſitando, vel egenos derelinquendo. 3. Eos ſpernentes, irridentes, contumeliis afficientes, torvis oculis aſpicientes, vel etiam leviter tantum, eos percutientes, aut manus contra ipſos levantes, graviter peccant. 4. Nolentes obedire in rebus ad domeſticationem, vel mores ſpectantibus, & quidem graviter, in cauſa matrimonii, ipſis invitis, illud contrahentes ſine juſta cauſa. 5. Diſcipuli ſcholam, ac ſtudia notabiliter negligentes. 6. Famuli ſecreta familiæ, aliis revelantes, laborem notabiliter negligentes, damnum Domini, non impedientes, vel eos non monentes de damno ab aliis illato, cum obligatione reſtitutionis, ſi aliud avertere potuiſſent.

Quær. 3. *Quænam ſit obligatio Judicis.*

Reſp. Prænot. Ad judicium concurrit 1. Judex, 2. Actor, ſeu Accuſator, aut Denunciator, 3. Teſtis, 4. Reus, 5. Advocatus, 6. Referens, 7. Procurator, 8. Notarius, ſeu ſcriba, 9. Apparitor. His notatis.

Dico. Obligationes Judicis ſunt 1. ut habeat juriſdictionem in perſonas, & cauſam, ſub pœna nullitatis, & reſtitutionis. 2. Sufficientem ſcientiam. 3. Conſtantiam, & virtutem reſiſtendi iniquitati. 4. Juſtitiam, & integritatem. 5. Ut judicet ſecundum Legem, ſervetque modum,

ac

ac ordinem procedendi, formam judicii, & ſententiæ ferendæ, ac exequendæ.

Hinc: Judex graviter peccat 1. adſcribendo ſibi juriſdictionem, ac poteſtatem, quam non habet, cum onere reſtitutionis damni. 2. Non habens ſufficientem ſcientiam, & tenetur a judicio abſtinere, donec ſit ſufficienter inſtructus, ſub onore reſtitutionis damni. 3. Protrahendo ſententiam, vel ferendo ambiguam, ita ut novæ impenſæ ſint adhibendæ; aut fraudolenter ſub prætextu dubii cauſæ eventus, inducendo ad compoſitionem in re evidenter juſta; vel recipiendo munera pro ſententia juſta, ſive injuſta. 4. Recipiendo, munera etiam liberaliter oblata ſine onere, ſi cor ſuum illis depravari ſentiat, vel contra Legem ea prohibentem, ubi ſub gravi obligatione recepta eſt. 5. Condemnando non auditum, ſine teſtibus, vel ex ſcientia injuſte acquiſita, v. g. interrogatione abſque præcedente infamia, vel ſemiprobatione, aut indiciis ſufficientibus facta, vel dolo impunitatem promittendo. 6. Augendo, vel minuendo pœnam, a Lege taxatam, ſine juſta cauſa. 7. Inſtituendo ſpecialem perſonæ inquiſitionem, ſine præcedente infamia, vel ſemiprobatione; generalis tamen, licite fit, crimine certe commiſſo, vel quando non agitur de crimine puniendo; ſed ſolum de malo evitando, vel de Beneficio conferendo, Matrimonio contrahendo, de correctione danda. 8. Reum torturæ ſubjiciendo, abſque gravibus indiciis, & confectio etiam ratificata, eſt nulla, vel eidem ſubjiciendo exemptos, impuberes, ſenes, prægnantes, viros illuſtres, eorumque filios, Doctores in quacunque Facultate, eorumque liberos, milites, niſi in criminibus exemptis, ut hæreſis, læſæ Majeſtatis, &c. poſſunt tamen prœdicti terreri verbis, torturæ comminatione, valetque confeſſio, ut ſpontanea. 9. Condemnando ad mortem, aut mutilationem, teſtibus quidem convictum, quem tamen ſcientia privata ſcit innocentem, vel obligans maritum accedere ad uxorem, licet convictum, quam tamen ſcientia privata, ſcit non eſſe ipſius uxorem; quia in utroque caſu, omnes tenetur inire vias, ut liberet innocentem, impediendo accuſationem, teſtes minis terrendo, judicium protrahendo, vel ab eo omnino deſiſtendo, & ſe teſtem exhibendo, quamvis in civilibus, quando agitur de pœnis pecuniariis, ſecundum allegata, & probata judicare poſſit, etſi

Digitized by Google

ſcientia privata de contrario ipſi conſtet; quia Reſpublica habet dominium altum in bona, & bonum commune ita exigit.

Quær. 4. *Quænam ſit obligatio Accuſatoris, & Denunciatoris?*

Pranot. Accuſator eſt, qui crimen defert Judici ad vindictam, cum obligatione probandi crimen. Denunciator eſt ille, qui crimen defert Judici, ad rei emendationem, ſine obligatione illud probandi. Teſtis eſt, qui aſſeveratione ſua, rei fidem facit. Alius eſt idoneus, ſeu omni exceptione major, cui nihil opponi poteſt, quo minus ei fides adhibeatur. Alius minus idoneus, cui aliquid opponi poteſt, quo minus ei fides adhibeatur. His notatis.

Dico. Officiales Juſtitiæ, ut Fiſcalis, cuſtodes agrorum, nemorum delinquentes ex juſtitia denunciare tenentur cum veritate, & juſtitia; privati vero ex charitate. 1. Quando crimen vergit in malum Reipublicæ, 2. Quando ad grave innocentis malum avertendum, eſt neceſſarium.

Hinc: graviter peccant, & ad reſtitutionem damni tenentur, 1. Officiales Juſtitiæ, Fiſcales, Cuſtodes, &c. delinquentes non denunciantes; non tamen reſtituere tenentur mulctas, quas Dominus acquiſiviſſet. 2. Accuſator adhibens probationes falſas, vel dubias, aut teſtes falſos. 3. Judices corrumpens, vel ab eorum ſententia injuſte appellans. 4. Contra charitatem peccant, privati, non declarantes Judici crimina hæreſis, proditionis, læſæ Majeſtatis, veneficii, aut alia in Reipublicæ, vel innocentis damnum vergentia.

Quær. 5. *Quænam ſit obligatio teſtis?*

Dico. Teſtes legitime interrogati teſtari tenentur, & quidem in veritate. 1. dum præceſſit infamia rei. 2. Dum adſunt indicia ſufficientia. 3. Quando in grave Reipublicæ, vel privati malum vergit, quod alio modo, quam per Judicem averti nequit; non tamen teſtificari tenetur, 1. ſciens delictum ex confeſſione, vel ſecreto naturali, conſilii, aut auxilii cauſa, ut Advocatus, Medicus, Obſtetrix, &c. nec iſti poſſunt teſtari, niſi nollet reus deſiſtere Reipublicæ, aut innocenti nocere. 2. Scientes cum injuria, v. g. aperiendo literas, novamque teſtando committerent injuriam. 3. Si ſciat a viris non fide dignis. 4. Si ſit conſanguineus, aut affinis delinquentis, uſque in quartum gradum. 5. Si grave ſibi inde vitæ, aut famæ immineret periculum.

Hinc

Hinc 1. Graviter peccat falſum teſtimonium dicens, tenheturque reparare omnia damna inde ſecuta, etiam revocando teſtimonium, cum pari damno, ac periculo etiam vitæ, ſi accuſatus ob illud teſtimonium falſum; de vita periclitetur, & retractatio profutura putetur. 2. Non vero peccat Confeſſarius, vel alio modo ſciens ex Confeſſione, Medicus, Obſtetrix, ſciens per injuriam, Conſanguineus, Affinis in 4to gradu, etiam cum juramento teſtificantes, ſe nihil ſcire, ſub intelligendo; quod in Judicio dicere tenentur; quia iſta reſtrictio mentalis; in his circumſtantiis, eſt ſenſibilis & licita.

Quær. 6. Quinam ſint teſtes minus idonei?

Dico. Teſtes in jure minus idonei ſunt. 1. mulieres in criminalibus in Jure Canonico; in jure vero Civili in omni cauſa admittuntur. 2. Minor 20. annis in criminalibus, in civilibus impuberes. 3. Inimicus rei 4. Domeſtici accuſatoris. 5. Infames. 6. Perjuri. 7. Perſona vilis, & inops; ſi ſuſpicio ſit facilis corruptionis; non vero ſi honeſta ſit. 8. Semifatuus, aut delirus. 9. Socius criminis; quamvis in criminibus exemptis; ut hæreſis. &c. ſolo jure poſitivo inhabiles etiam admitti poſſint; vel quando delictum fuiſſet commiſſum in loco, & tempore, quo alii teſtes haberi nequeunt; ut in criminibus difficilis probationis.

Quær. 7. Ad quid tenentur Reus?

Dico. Reus a legitimo Judice juridice, ac legitime interrogatus, nimirum præcedente infamia, vel accuſatione, aut denunciatione, & ſemiprobatione (quæ Reus in Judice perito ſupponere debet, niſi aliter conſtet) ſub gravi peccato; crimen ſuum, etiam morte dignum, fateri tenetur, pœnamque, juſta Judicis ſententia, decretam, per ſeipſam exequi; ſi non ſit nimis gravis; & de complice pariter legitime interrogatus, videlicet, præcedente infamia de crimine, complicem ſupponente Reipublicæ; vel innocenti nocivo, eum declarare tenetur.

Hinc 1. damnatus ad mortem non poteſt reſiſtere Judici, aut executori Sententiæ, & injuſte appellando, etiam in cauſa civili, graviter peccat. 2. Pœnam non valde gravem, ut pecuniariam, carceris, aut exilii, lata ſententia, per ſeipſum tenetur exequi; non vero ſi ſit crudelis, ut carceris perpetui, mutilationis, vel mortis; & pro iſtis evitandis poteſt rumpere vincula, ac carceres,

Digitized by Google

& aufugere, quamvis Cuſtodi carceris grave inde eveniret damnum, ſecluſo juramento, ac ſcandalo; poteſtque ei fuga ſuaderi, non vero promoveri mediis illicitis, rumpendo carceres, aut vincula, &c. nec a Miniſtris Juſtitiæ ſuaderi.

Quær. 8. Quanam ſit obligatio Advocati, Procuratoris, Referentis, Notarii, Scribæ, & Apparitoris?

Dico. Advocati, Procuratores, Referentes, Notarii, Scribæ, & Apparitores tenentur competentem habere ſcientiam, & in omnibus ſectari juſtitiam.

Hinc: graviter peccant, & tenentur ad reſtitutionem damni, 1. Advocati, & Procuratores cauſam injuſtam ſcienter defendentes, nec clientem monentes de injuſtitia, aut periculo litis amittendæ; cauſam cum damno clientis differentes; ſecreta cauſæ, parti adverſæ detegentes, aut utrique parti ſervientes; in cauſa manifeſte juſta, clientem ad injuſtam compoſitionem, inducentes; injuſtam appellationem ſuadentes, aut pretium, juſto majus, accipientes. 2. Referens defectu ſtudii, vel debitæ diligentiæ, male referens, vel ſubſtantiale omittens; jus unius magis, quam alterius exponens, vel ſecretum unius in præjudicium alterius, manifeſtans. 3. Notarius cum damno proximi, inſtrumenta ſine cauſa, non perficiens, vel juſte petentibus non exhibens; clauſulas ambiguas inſerens; acta, & inſtrumenta negligenter cuſtodiens, vel uſuraria, falſa, aut injuſta perficiens; teſtamenta, alioſve contractus hominis, uſu rationis deſtituti, faciens; falſos, vel non idoneos teſtes admittens; ſolemnitates eſſentiales ex ignorantia, negligentia, vel malitia omittens. 4. Scriba juramentum, aut ſecreta violans; proceſſus, ac ſententias non diligenter cuſtodiens, teſtimonia, &c. non fideliter tranſcribens. 5. Apparitor juramentum, ac ſecretum in præjudicium partis violans; eos, quos debet deprehendere, vel eorum bona, monens, ut ſe, & illa ſalvet, plura negotia in eodem loco, ac die expediens, ac ſolutionem exigens, ut pro diverſis itineribus, & in diverſis diebus expeditis; falſa in actis exponens; in tempore præſcripto cum partis præjudicio, non conficiens, nec tempus ad acta juridica facienda ſufficiens, concedens, vel occaſione commiſſionum ſuarum, pauperes vexans, ac violentias exercens.

Quær. 9. Quanam ſit obligatio Regum, & Magiſtratuum?

Dico.

Dico. Reges, ac Magiſtratus tenentur 1. Leges Divinas, & Religionem auctoritate ſua tueri. 2. Incolumitati populi, ſibi commiſſi invigilare. 3. Juſtitiam diſtributivam, onera, ac officia juſte diſtribuendo.

Hinc: peccant pro qualitate exceſſus Reges, ac Magiſtratus 1. in diebus Dominicis, & Feſtivis permittentes, officinas, ſine neceſſitate aperiri, choreas publicas, ac nundinas conſuetudine juſta non approbatas haberi; vinum tempore divinorum Officiorum ſine neceſſitate a cauponibus miniſtrari. 2. Populum tributis gravioribus ſine neceſſitate onerantes, res ad victum, & veſtitum nimio pretio vendi permittentes. 3. Crimina, ac ſcandala publica tolerantes, officia inſufficientibus tribuentes, impoſitiones, ac alia onera, & communitatis emolumenta, cum perſonarum acceptatione, diſtribuentes.

Quær. 10. *Quanam ſit obligatio Ducum, ac Militum*?

Dico. Duces, ac Milites ſervare tenentur 1. fidelitatem, & obedientiam erga Principem, & militiæ Præfectos. 2. Charitatem, ac manſuetudinem erga populos. 3. Fidem, & juſtitiam erga hoſtes.

Hinc 1. graviter peccat contra juſtitiam Dux ſecreta militiæ revelans. 2. Numerum, militum, debitum, non complens. 3. In recenſione copiarum extraneos (*gallice paſſe-volans*) adhibens. 4. Militibus debitum ſtipendium, vel annonam retinens, vel corruptam miniſtrans. 5. Fidem datam non ſervans. 6. Non imperatus, hoſtibus damnum inferens, innocentes, mulieres, pueros occidens. 7. Contributiones jam redemptas exigens. 8. Milites peccant, ſtationem ſuam, etiam metu mortis, derelinquentes; ad partes inimicorum tranſeuntes, vel ſine juſta cauſa, vel licentia, militiam derelinquentes: ab hoſpitibus indebita extorquentes, vel ab hoſtibus ſine Ducum licentia, & tenentur ad reſtitutionem, niſi in extrema neceſſitate fiat; reliqua vide de bello.

Quær. 11. *Quanam ſit obligatio Medicorum, Pharmacopolarum, & Chirurgorum*?

Dico. Medicorum, Pharmacopolarum, & Chirurgorum obligatio eſt, 1. ut peritiam, ac ſcientiam habeant ſufficientem. 2. Ut cum fidelitate, pietate, religione, ac charitate, artem ſuam exerceant.

Hinc: pro gravitate damni, peccant Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ, 1. ſuam artem ſine ſufficienti experientia,

Digitized by Google

& ſcientia exercentes. 2. Non debitam curam pro gravitate morbi, adhibentes, 3. Medicamenta dubia, relictis certioribus adhibentes. 4. Ad ditandos Pharmacopolas remedia inutilia præſcribentes. 5. Curationem majoris lucri cauſa, protrahentes. 6. Morbos occultos pudendos, divulgantes. 7. Stipendium injuſtum extorquentes. 8. Sine juſta, & ſufficienti cauſa à jejunio, & abſtinentia eximentes. 9. Ægros non monentes de periculo mortis, pro Viatico recipiendo. 10. Pauperibus graviter ægrotantibus non oppitulantes, 11. Collegis ſuis detrahentes, ut ſe extollant, & recommendent. 12. Contra morbos, media illicita adhibentes, v. g. ebrietatem, pollutionem, vel dando medicamenta, directe pro abortu procurando, etiam pro evitando periculo vitæ ex partu imminente, vel famæ, aut vitæ ex detecto crimine; non vero peccant dantes pharmacum directe in curationem matris, fœtu nondum animato, vel ſine eo non vivo pariendo, cum ſpe probabili matris conſervandæ, quæ alias ſine remedio, eſſet peritura.

TRA-

TRACTATUS IV.

De virtutibus theologicis.

Tractatus hic ſex continet Quæſtiones, 1. de Virtutibus in communi, 2. de Fide, 3. de vitiis Fidei oppoſitis, 4. de Spe, 5. de Charitate Dei & Proximi, 6. de vitiis Charitate Dei & proximi oppoſitis.

QUÆSTIO I.

DE VIRTUTIBUS IN COMMUNI.

Quæritur 1. Quid ſit Virtus; quotuplex, & quænam ſint ejus proprietates?

Reſp. 1. Virtus definitur a S. Auguſtino bona qualitas, qua recte vivitur, & nemo male utitur.

2. Virtutes aliæ ſunt intellectuales, quæ perficiunt intellectum, & ſunt, intelligentia, ſapientia, ſcientia, prudentia, ars. Aliæ ſunt morales, quæ perficiunt voluntatem, in ordine ad bonum honeſtum, & ſunt quatuor cardinales, Prudentia, Fortitudo, Temperantia, Juſtitia, quæ plurimas ſub ſe habent ſpecies. Aliæ Theologicæ, quæ circa Deum immediate verſantur, & ſunt tres, Fides, Spes, & Charitas. Aliæ ſunt acquiſitæ per frequentatos actus. Aliæ ſunt infuſæ a Deo, vel per ſe; quia alio modo acquiri nequeunt, ut Virtutes Theologicæ, &

etiam quædam morales, ut Caſtitas &c. vel ſunt infuſæ per accidens; quia etiam naturali diligentia acquiri poſſunt, ut morales.

3. Proprietates Virtutum ſunt quatuor, 4. Supernaturalitas. 2. Mediocritas. 3. Diviſibilitas. 4. Connexio.

Quær. 2. An dentur virtutes infuſæ, ac ſupernaturales; & quænam conſiſtant in medio?

Dico. Dantur virtutes infuſæ, & ſupernaturales omni ſubſtantiæ creatæ, aut creabili indebitæ, non ſolum Theologicæ, ut Fides docet, ſed etiam morales. Virtutes intellectuales, & Theologicæ non conſiſtunt in medio; quia nemo poteſt excedere intelligendo, ſciendo &c. vel credendo, ſperando, aut amando, niſi per accidens ratione modi, intellectum vel corpus nimis debilitando; ſed ſolum Virtutes morales, & quidem Juſtitia in medio rei, & rationis, aliæ verò in medio ſolum rationis, præbentes quod ſat eſt, & quod nimis eſt dementes, pro ratione loci, temporis, perſonæ, & aliarum circumſtantiarum.

Quær. 3. An virtutes, neceſſariam inter ſe, habeant connexionem?

Dico. Virtutes intellectuales, ac Theologicæ non habent neceſſariam inter ſe connexionem; quia una ſine altera haberi poteſt; nec morales in ſtatu imperfecto conſideratæ, ſed ſolum in ſtatu perfecto ſpectatæ; quia una per alteram perficitur, ut prompte in ſuum objectum feratur; ſic juſtus per liberalitatem inclinatur, ut prompte reddat cuique ſuum, per avaritiam vero retrahitur.

CAPUT II.

DE FIDE.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit Fides?

Reſp. 1. Fides eſt Virtus Theologica, divinitus infuſa, qua firmiter aſſentimur iis, quæ a Deo revelata ſunt, propter auctoritatem ipſius revelantis.

2. Fides alia eſt actualis, quæ eſt actus, quo intellectus ex imperio voluntatis per Gratiam excitatæ firmiter aſſentitur, rebus a Deo revelatis, propter auctoritatem revelan-

Digitized by Google

velantis. Alia habitualis, quæ eſt ipſe habitus a Deo infuſus, actum Fidei elicitivus, cum auxilio gratiæ actualis. Alia eſt explicita, qua alicui determinato Fidei articulo aſſentimur, ut SS. Trinitatis, Incarnationis &c. Alia implicita, qua omnia a Deo revelata, & ab Eccleſia credenda propoſita, generatim, ſine alicujus particularis articuli determinatione, credimus. Alia viva, quæ operibus bonis, ac mandatorum obſervatione animatur. Alia mortua, quæ eſt ſine operibus a Lege præceptis. Alia formata, quæ Charitate, & Gratia ſanctificante informatur. Alia informis, quæ Gratia, & Charitate, eſt deſtituta.

Quær. 2. Quotuplex ſit actus Fidei?

Reſp. Actus Fidei alius eſt internus, qui eſt firmus mentis aſſenſus veritatibus a Deo revelatis, & ab Eccleſia propoſitis, propter ſummam Dei veritatem in dicendo, datus. Alius externus, qui eſt exterior Fidei profeſſio, ore, opere, aliove ſigno facta.

Quær. 3. Quid ſit articulus Fidei, & propoſitio mediate revelata?

Reſp. 1. Articulus Fidei, eſt propoſitio habens rationem principii in Fide, ſpecialemque ad credendum difficultatem, ab omnibus explicite credenda, quorum præcipui continentur in quatuor Symbolis, videlicet Apoſtolico, Nicæno, Conſtantinopolitano, & in illo S. Athanaſii in Concilio Florentino, tanquam Fidei regula approbato. 2. Propoſitio mediate de Fide, eſt propoſitio ex duabus immediate revelatis, vel ex majori univerſali revelata, & minore ſaltem moraliter certa, vel ex majori non revelata, attamen omnino certa, & minore revelata legitime deducta; quia in immediate revelata implicite continetur.

Quær. 4. Quotuplex ſit neceſſitas?

Reſp. Neceſſitas alia eſt medii, ſine qua, etiam inculpabiliter omiſſa, ſalus non poteſt obtineri, & hæc eſt vel abſoluta ſimpliciter, & in re, vel tantum ſecundum quid in re, vel in voto. Alia eſt præcepti, ſine qua inculpabiliter omiſſa, ſalus adhuc haberi poteſt.

Quær. 5. Quodnam ſit objectum materiale, ac formale Fidei; an creverit, & quomodo pereat, habitus Fidei?

Dico. Objectum materiale Fidei primarium, eſt ipſemet Deus revelatus, & ſecundarium reliqua a Deo revelata; formale vero eſt prima, ac ſumma veritas revelans, ſeu in dicendo; quia Deum revelatum, primario, & omnia

alia

Digitized by Google

alia revelata, ſecundario credimus; quia Deus prima veritas ſe, & alia revelavit, quæ eſt ratio formalis. Objectum materiale, quoad Articulos Fidei ab origine mundi ſucceſſu temporis uſque ad nos, non crevit ſecundum ſubſtantiam, ſed duntaxat ſecundum majorem explicationem, & magis explicitam profeſſionem, omneſque Fidei articulos explicite, vel implicite credere, ad ſalutem neceſſarium eſt, & ſemper fuit: unde diſtinctio in fundamentales, quos credere neceſſarium eſt ad ſalutem, & non fundamentales, quos credere liberum eſt, ab hæreticis inventa, inanis eſt; totuſque Fidei habitus perit in hæretico, etiam, unicum Fidei minimum articulum, negante; non vero in peccatore Fidem integre profitente; quia non per quodlibet peccatum, ſed per Fidei ſpecialiter oppoſitum, habitus deſtruitur, *Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap.* 15.; in Angelis vero viatoribus, vera fuit Fides, & adhuc eſt in animabus in Purgatorio, non autem in damnatis, niſi naturalis; quia habitu ſupernaturali Fidei carent; nec in Beatis Deum intuitive videntibus; quia illo non indigent.

Quær. 6. *Quænam ſint vera Fidei proprietates, regula, Eccleſiæ vera nota, & Caput viſibile?*

Dico. Quatuor recenſentur Fidei proprietates, videlicet: 1. ſupernaturalitas ob habitum, & gratiam actualem, quibus elicitur. 2. Certitudo tam ex parte revelantis, quam hominis credentis, qui falſum Fide divina credere nequit, eſtque aſſenſus Fidei certior quocunque alio ſcientifico. 3. Obſcuritas ex parte rei revelatæ, quæ res revelata ſub diverſo motivo Fidei, & ſcientiæ poteſt eſſe objectum. 4. Credibilitas, & quidem per motiva evidenter ſuadentia, quorum octo aſſignantur, nempe 1. auctoritas revelantis, Dei nimirum, vel Chriſti. 2. Sanctitas doctrinæ. 3. Efficacia propagationis illius. 4. Sanctitas, illam, ſequentium. 5. Perſeverantia illius, nunquam interrupta. 6. Infinita propemodum Martyrum illam profitentium, multitudo. 7. Vaticiniorum Prophetarum adimpletio. 8. Miracula multitudine innumera. Regula vero Fidei primaria, eſt tam ſcriptum, quam traditum Dei Verbum; & ſecundaria, & quaſi animata, eſt ipſa infallibilis Dei Eccleſia, quæ eſt Una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica, & de facto Romana, cujus Caput inviſibile ipſe eſt Chriſtus; viſibile vero legitimus divi Petri Succeſſor ſummus Pontifex, qui cum Concilio legitime con-

gre-

gregato eſt infallibilis Controverſiarum Judex, ut Fides docet, & ſine Concilio decidens, ſi non ſit infallibilis, ut docetur in Gallia, ſaltem loquendo ex Cathedra, eum erraſſe, non conſtat, ejuſque deciſionibus adhærendum eſt; quia ſupremus eſt totius Eccleſiæ Superior, & Caput.

Quær. 7. Quomodo actus Fidei internus ſit neceſſarius, & quænam credenda ſint, neceſſitate medii, & præcepti?

Dico. Actus Fidei internus ad obtinendam juſtificationis Gratiam, ac ſalutem, omnibus adultis ſemper fuit ſimpliciter neceſſarius, neceſſitate medii; quia ſine Fide impoſſibile eſt placere Deo, *Hebr. 11.* omnique tempore neceſſarium fuit neceſſitate medii explicite credere, 1. Deum eſſe, id eſt, Ens ſummum, omniumque Creatorem. 2. Eſſe Remuneratorem virtutum, & Vindicem vitiorum; pœnitentia placari, hominemque juſtificare, & animam eſſe immortalem. 3. Myſterium SS. Trinitatis, & Incarnationis, ſaltem implicite: Poſt ſufficientem autem Evangelii prædicationem, etiam explicite, credenda ſunt, neceſſitate medii Myſteria SS. Trinitatis quoad unitatem eſſentiæ, & Trinitatem Perſonarum, & Incarnationis quoad Divinitatem, & Humanitatem Chriſti, Paſſionem, Reſurrectionem, Aſcenſionem, & Judicium per eum futurum, *S. Bonav. S. Thom.*; nec ſufficit ſolum credere in confuſo, quidquid credit S. Mater Eccleſia. Neceſſitate vero Præcepti quilibet credere tenetur 1. ea omnia, quæ ſunt de neceſſitate medii. 2. Articulos in Symbolo Apoſtolico contentos, ſaltem quoad ſubſtantiam. 3. Septem Sacramenta, & Miſſæ Sacrificium; & ſcire tenetur ea, quæ ad illius auditionem, & Sacramentorum receptionem, pertinent, quæ quis vult, aut tenetur recipere. 4. Præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, aliaſque ſui ſtatus obligationes 5. Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & modum formandi Crucem, quæ omnia poſt ſufficientem rationis uſum, quoad ſubſtantiam, ſub gravi peccato ſcire, & ſub veniali memoriter addiſcere, quilibet, pro ſua capacitate tenetur.

Hinc. 1. Confeſſarius, de neceſſaria pœnitentium inſtructione, merito dubitans, quia valde rudes, vel ſuæ ſalutis valde negligentes, eos examinare, & inſtruere tenetur in Confeſſionali, ſi urgeat neceſſitas, ut in articulo, vel periculo mortis, vel ſi eos ob nimium pudorem poſt Confeſſionem nec ad ſe, nec ad alium pro inſtructione

ac-

Digitized by Google

acceſſuros, probabiliter credat; ſecus eos dimittat, donec melius ſint inſtructi. 2. Interrogati de contentis in Symbolo, in Præceptis Decalogi, & Eccleſiæ, in Oratione Dominica, Salutatione Angelica, de Sacramentis recte reſpondentes, quoad ſubſtantiam, poſſunt abſolvi, licet ea memoriter dicere nequeant; quia ſub veniali duntaxat illa memoriter diſcere tenentur, niſi ſimul alios docere teneantur, ut parentes ſuos infantes.

Quær. 8. *Quoties actus Fidei internus ſit eliciendus, & Fides externe profitenda?*

Dico. Grave extat præceptum eliciendi actum internum Fidei, omnes obligans adultos ratione præditos, & quidem directe, & per ſe, 1. Infideles, & Hæreticos, cum Fides ipſis ſufficienter fuerit propoſita. 2. Infantes, quando uſum rationis adepti, ſufficienter inſtructi ſunt. 3. In probabili mortis periculo. 4. Quoties quis lapſus eſt in hæreſim, vel gravis contra Fidem urget tentatio. 5. Aliquoties, vel quod ſecurius eſt, ſæpius in vita; nam ſatis eſſe actum Fidei ſemel in vita elicere, vel nullum extare ſpeciale præceptum actum Fidei eliciendi, damnavit Innoc. XI. per accidens vero, & indirecte obligat, quoties occurrit obligatio alterius actus, aut præcepti, quod ſine Fide interna recte obſervari, vel fieri nequit, ut externa Fidei confeſſio, juſtificatio, Euchariſtiæ ſumptio, Dominicæ, ac Feſtorum ſanctificatio, Miſſæ auditio; quia Fidem præcipuorum Myſteriorum ſupponunt, ut recte, & devote fiant. Non minus grave eſt præceptum, Fidem poſitive, & externe, etiam cum periculo vitæ profitendi, quoties honor Deo debitus, aut proximi utilitas exigit, *S. Thom.*; illamque negare, vel de ea dubitare, aut aliam Religionem ſimulare, nullo in caſu licet.

Hinc: graviter peccat 1. auctoritate publica, publice, ſeu privatim interrogatus, Fidem, etiam cum periculo vitæ, non profitens; auctoritate vero privata interrogatus, eam eludens, tacendo, vel occultando, non peccat. 2. Fidem non externe profitens, exigente neceſſitate, pro repellenda Fidei injuria, vel pro confirmanda Fide in vacillante, vel pro promovenda in iis, quos ex profeſſione Fidei, Catholicam Religionem amplexuros, vel ſine illa in ſua falſa confirmandos prævidet. 3. Fidem indiſcrete, ſine neceſſitate honoris Dei, & utilitate ſalutis proximi profitens, ſeque cum periculo negandæ Fidei, vi tormen-

to-

torum exponens, vel infidelium ſacrificia, aut Hæreticorum ritus palam ſine utilitate, & neceſſitate cum eorum perturbatione, graviorique malo, ac Fidei præjudicio, arguens. 4. Se Turcam, aut Lutheranum eſſe, affirmans, vel ſe Chriſtianum eſſe, negans; vel falſam Religionem ſimulans, ſumendo cum ipſis Cœnam, utendo veſtibus, vel cæremoniis falſam eorum Religionem, vel Cultum ſignificantibus, Idolo genufle&tendo, thus offerendo, idolothyta in cultum Idolorum manducando, cum Hæreticis orando, pſallendo, Concioni aſſiſtendo, in odium, vel contemptum Religionis, vel animo eorum Religionem profitendi, vel cum proprio, vel proximi ſcandalo, aut perverſionis periculo. Non vero peccat utens veſtibus ad ſolum finem politicum inſtitutis, vel idolothyta pro fame ſedanda, manducans, vel alias carnes comedens in die jejunii, ne Catholicus agnoſcatur, gravemque pœnam evitet, aut Hæreticorum Pſalmodiæ, vel Concioni ex curioſitate, vel pro obſequio, domino ſuo, exhibendo, aſſiſtens, ſecluſo ſemper ſcandalo, & contemptu Religionis. 5. Baptiſmum abſque neceſſitate ab infideli recipiens, Matrimonium coram Miniſtro hæretico contrahens, vel cum hæretica ſine ſpeciali ratione, & diſpenſatione, vel cum pacto dividendi Religionem inter infantes, & aliquos in hæretica educandi. 6. Sine ſufficienti ſcientia cum Religionis dedecore, vel aliorum Catholicorum perturbatione in Fide cum Hæreticis diſputans, vel ſi habeat ſufficientem ſcientiam, eorum pertinaciam, ac Fidei injuriam non repellens.

QUÆSTIO III.

DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS, INFIDELITATE, ET BLASPHEMIA.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit Infidelitas?

Reſp. Infidelitas in genere eſt carentia Fidei in ſubjecto apto; & eſt triplex; 1. Negativa, quæ eſt carentia Fidei in eo, cui Fides nullo modo, vel non ſufficienter eſt annunciata. 2. Privativa, quæ eſt carentia Fide in

in eo, cui Fides eſt ſufficienter annunciata, credere tamen negligit, vel contemnit, licet nulli errori Fidei, contrario adhæreat. 3. Poſitiva, ſeu contraria, quæ eſt carentia Fidei, in eo, quod Fidei ſufficienter propoſitæ diſſentit, & errori Fidei contrario adhæret; hujus tres ſunt ſpecies. 1. Eſt Paganiſmus, Turciſmus, Atheiſmus, qui totam Fidem novi, & antiqui Teſtamenti negant. 2. Eſt Judaiſmus, qui admiſſo antiquo Teſtamento, novum negat 3. Hæreſis, quæ admiſſo utroque Teſtamento, unum, aut alterum Fidei articulum negat, vel errori Fidei contrario adhæret; ad hanc ſpectat Apoſtaſia, quæ eſt abdicatio totius Chriſtianiſmi antea profeſſi, & ad Paganiſmum, ſeu Turciſmum, aut Atheiſmum, vel Judaiſmum tranſitio.

Quær. 2. Quid ſit Hæreſis formalis?

Dico. Hæreſis formalis definitur, error voluntarius, & pertinax contra aliquam Fidei Catholicæ veritatem in eo qui ſe Chriſtianum profitetur; hinc ad hæreſim formalem requiritur, 1. error intellectus, aliquem Fidei articulum judicantis eſſe falſum, vel de ejus veritate, poſitive dubitantis; dubius enim in Fide, infidelis eſt; quia Eccleſiam fallibilem credit. 2. Pertinacia voluntatis, qua cognitæ Fidei veritati repugnat, vel diſſentit.

Hinc: graviter peccat, & eſt Hæreticus formalis, non ſolum pertinaciter, & ſcienter articulum Fidei negans; ſed etiam de eo dubitans, vel negans, aut dubitans de articulo, quem per errorem articulum Fidei putat, licet reipſa non ſit; quia in utroque caſu eum negans, vel de ipſo dubitans, credit Eccleſiam fallibilem. 2. Graviter peccat, non tamen eſt Hæreticus formalis, nec cenſuras incurrit, articulum Fidei exterius tantum negans, interius vero credens, vel eum negans ex ignorantia etiam vincibili, vel ſolum ex tædio addiſcendi, præcipue ſi paratus ſit judicium ſuum Eccleſiæ ſubjicere, & non ignorare affectet, ut liberius ſuo errori adhæreat; quia ignorantia affectata non excludit pertinaciam.

Quæri 3. Quale infidelitas ſit peccatum? an a Principe Chriſtiano poſſit tolerari, & Chriſtianis cum infidelibus communicare liceat?

Dico. Licet infidelitas negativa nullum ſit peccatum; privativa tamen, & poſitiva, peccata ſunt, ex genere ſuo graviſſima, nec poſſunt infidelium, ac Hæreticorum ritus, aut libertas Religionis tolerari a Chriſtiano Princi-

pe,

pe, niſi ad majus malum impediendum; Judaiſmus vero tolerari poteſt; quia figura eſt novi Teſtamenti, poſſuntque Hæretici, ac Apoſtata ad Fidem compelli; non vero alii infideles; nec licet communicare cum infidelibus in rebus ad cultum falſum ſpectantibus; bene autem in contractibus, & rebus politicis, ſecluſo perverſionis periculo; nec ad Miſſam poſſunt admitti, niſi ad partem Cathecumenorum; & ad Concionem, & Catecheſim. Cum Judæis vero ſpecialiter in jure prohibitum eſt. 1. Cohabitare. 2. Comedere azyma. 3. Accipere medicinas ab ipſis paratas, non vero præſcriptas; & a Chriſtiano parandas. 4. Communi uti balneo. 5. Intereſſe eorum conviviis. 6. Nutrire eorum iufantes in eorum domibus. 7. Apud ipſos famulari; eorumque ſervituti ſubjici. 9. Accedere ad eorum Synagogas, Feſta, ac nuptias, quando ſuperſtitioſa tractant; 9. choreas, ludos, &c. cum ipſis ducere. 10. Eos ad officia inter Chriſtianos admittere; materiæ tamen parvitas, neceſſitas, aut alia cauſa rationabilis a mortali, aliquando etiam a veniali peccato excuſat, ſecluſo perverſionis periculo, aut dignitatis chriſtianæ diminutione ex nimia cum ipſis converſatione.

Hinc: graviter peccant Chriſtiani, præparantes Judæis in Synagoga, neceſſaria ad ſuperſtitioſa tractanda, in Sabbato, vel in aliis eorum Feſtis; quia eos juvant, ut ſuperſtitioſa tractare, & obſervare valeant; niſi parvitas materiæ; eos a mortali excuſet; prout videtur eſſe obſervatio Sabbati quoad ſubſtantiam a Deo præcepti. Illis tamen inſervire in Feſtis noſtris, ac Dominicis, vel quando ſuperſtitioſa tractant, inſuper a Conſilio Regio Colmarienſi prohibitum eſt anno 1766.

Quær. 4. *An famulari liceat apud Acatholicos*?

Dico: Quamvis generatim omnibus apud Hæreticos famulantibus ſuadendum ſit, ut quamprimum ſine peculiari incommodo poſſunt, Heros acatholicos deſerant; quia raro omne abeſt in Fide, ac moribus periculum; attamen eos non teneantur deſerere, ſi Præcepta Dei, ac Eccleſiæ apud illos æque, ac apud Catholicos ſervare poſſint, nullumque ſuæ ſalutis, ac Fidei periculum, ex eorum converſatione, ſibi imminere animadvertant. 2. Si ſine notabili damno, (uti eſt tertia pars ſtipendi) eos deſerere nequeant, quamvis non poſſent quædam Feſta colere, aliquando Miſſam non audire: jejunium non obſervare. 3.

Si

ſi non poſſent invenire Catholicos, niſi rixis, aliiſque vitiis deditos; quia Præcepta Eccleſiæ, cum gravi damno non obligant.

Hinc 1. Neganda eſt abſolutio famulantibus apud Acatholicos, ſi Confeſſarius in iiſdem animadvertat periculum Fidei, niſi promittant intra tres menſes ſe diſceſſuros, quo tempore per bonam exhortationem Confeſſarii, in Fide conſervari creduntur. 2. Sine juſta cauſa apud Hæreticos famulantibus, cum tranſgreſſione Præceptorum Eccleſiæ, vel expreſſe talem famulatum quærentibus, niſi promittant tale ſervitium, ſe derelicturos, proximo termino, quo ſine notabili damno poſſunt. 3. Poſſunt famulantibus, vel laborantibus apud Acatholicos, qui laborem apud Catholicos non inveniunt, vel aliam juſtam cauſam apud eos famulandi habent, oſſa, & legumina cum carne coacta in diebus jejunii permitti, non vero carnes, niſi ſine carne non pares eſſent labori, vel diſpenſationem a Parocho impetrent, quam, ut petant, Confeſſarius injungat.

Quær. 5. *Quomodo prohibita ſit librorum hæreticorum lectio?*

Prænot. Libri hæretici, aut prohibiti in indice Concilii Trid. ſunt triplicis claſſis, 1. claſſis ſunt, qui in odium Auctorum, ut Hæreſiarcharum, &c. in Catalogo Romano damnati ſunt, licet hæreſim non contineant, nec de Religione tractent, 2, claſſis ſunt, qui non propter Auctores, ſed propter doctrinam non ſanam, aut ſuſpectam, aut offenſionem in moribus fidelibus afferentem, damnati ſunt, quorum Auctores noti, & ab Eccleſia nunquam deſciverunt. 3. claſſis ſunt. quorum Auctores ignoti, & pariter propter Doctrinam Fidei Catholicæ, aut morum integritati contrariam, damnati ſunt. Hi Auctores triplicis claſſis poſſunt conſiderari, vel ut hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem continentes, vel ut artem magicam, & res obſcœnas tractantes. His notatis.

Dico. Lectio librorum prohibitorum cujuſcunque claſſis, Jure Naturali, ubique omnibus prohibita eſt, qui ex eorum lectione perverſionis in Fide, vel moribus periculum, vel graves tentationes ſibi imminere ſentiunt, etiamſi licentiam illos legendi obtinuerint; quia non licet ſe exponere periculo peccandi: Jure vero Eccleſiaſtico, 1. excommunicationem indicis Concilii Trident. non reſervatam, incurrunt legentes, vel habentes libros 1. claſſis

claſſis in odium Auctorum damnatos, & libros 2. aut 3. claſſis ob hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem prohibitos, *ita index Concilii Trident.* 2. Legentes, aut habentes libros artis magicæ, vel res obſcœnas ex profeſſo tractantes, præter peccati mortalis reatum, judicio Epiſcoporum ſevere puniendi ſunt; nullam tamen excommunicationem incurrunt, *Laym.*; quia horum pœna, Epiſcoporum arbitrio relinquitur. Antiquorum vero Ethnicorum lectio, ob ſermonis elegantiam permittitur; non tamen pueris, niſi correcti ſint. *Ita index Conc. Trid.* 3. Legentes, retinentes, imprimentes, defendentes libros Hæreticorum de Religione tractantes, excommunicationem Bullæ Cœnæ, Papæ reſervatam incurrunt; quæ pœnæ Bullæ Cœnæ, ac indicis, licet in Gallia non vigeant, legentes tamen libros Hæreticorum hæreſim continentes; vel artis magicæ, aut obſcænos graviter peccant, vel etiam excommunicationem incurrunt virtute antiquarum Conſtitutionum in Gallia receptarum, vel Conciliorum in Gallia habitorum, vel ob ſpecialem Epiſcoporum prohibitionem, quorum Statuta conſulenda ſunt; qui etiam in Gallia ſine recurſu ad Papam, facultatem legendi libros prohibitos, ad refutandas hæreſes, concedere poſſunt. *Conf. d' Angers apud Pont.*; quamvis cæteroquin ſolus Papa, & quibus id conceſſit, hanc poteſtatem habeant, *P. Gerv.*

Hinc 1. Legentes, vel habentes libros, 1. 2. vel 3. claſſis graviter peccant, & incurrunt excommunicationem indicis, Concilii Trid. ubi receptum eſt, nemini reſervatam; & ſi de Religione tractent, excommunicationem Bullæ Cœnæ, ubi recepta eſt, Papæ reſervatam, licet non ore, ſed ſolum oculis eos percurrant, vel per famulos eos ſibi legi jubeant, vel eſſent ſolum, ſcholia, Hæretici, Fidei contraria, libro Catholico addita, vel libri prohibiti proœmium, vel Epiſtola dedicatoria. 2. Non tradentes libros prohibitos, quamprimum moraliter poſſunt, inquiſitioni, ubi viget, vel habenti poteſtatem illos legendi; vel non comburentes, poſſunt tamen ob grave damnum Bibliopolis hæreticis vendi, qui alias ſimiles in quantitate habent; *Paul. Gerv.* 3. Graviter peccant, quamvis excommunicationem non incurrant, legentes vel habentes libros artis magicæ, vel obſcœnos, vel animadvertentes, ſe ex lectione aliorum librorum pro-

Digitized by Google

eſt quadruplex, 1. eſt enunciativa, quando ad injuriam Dei, vel Sanctorum aliquid ſe facturum; quis dicit. 2. Imprecatoria, ſeu deteſtativa, ut pereat Deus. 3. Irriſoria, ſeu dehoneſtativa, quando Deo aliquid attribuitur ei conveniens; ſed cum irriſione, vel contemptu, ut *vah, qui templum Dei deſtruis*, 4. Juratoria, quando cum blaſphemia aliquid aſſeritur, ut per mille Sacramenta.

3. Dividitur in formalem, quæ ſit cum indignatione in ipſum Deum, immediate, vel mediantibus Sanctis, vel cum attentione ad Dei vilipenſionem; & in materialem; quæ ſolum ore, ſine attentione ad verborum ſignificationem, vel Dei vilipenſionem, aut ſine indignatione in Deum profertur, ſed ſolum in homines, ſeu beſtias, ut ſigna iræ.

Quær. 8. *Quale peccatum ſit Blaſphemia?*

Dico. Blaſphemia formalis cujuſcunque ſpeciei, quæ in Confeſſione eſt explicanda, graviſſimum eſt peccatum, nullamque materiæ admittit parvitatem. Materialis vero a peccato mortali excuſari poteſt, ſi omnibus conſideratis, nulla ex verbis prolatis honoris Dei, vel Sanctorum; aut Rei Sacræ diminutio appareat: non autem excuſatur, ſi verba ex communi ea intelligendi, vel proferendi modo, aliiſve circumſtantiis, Dei, vel Sanctorum, aut Rei Sacræ dehoneſtationem, aut contemptum continent, quamvis ex joco, vel inadvertentia culpabili, ad Dei contemptum eſſent prolata; quia in Rebus Sanctis nec jocari, nec eas contemnere licet.

Hinc 1. Blaſphemiam formalem committunt, cum indignatione in Deum aſſerentes, Deum injuſtum, non habere rerum omnium providentiam, eſſe nimis durum, crudelem, &c. & quidem hæreticalem, ſi ita eſſe, credant. 2. Blaſphemiam ſolum materialem committunt, cum indignatione in homines, vel beſtias ſine attentione ad verborum ſignificationem, & Dei, ac Rerum Sacrarum contemptum, dicentes, (prout mos eſt apud Germanos.) *ex. gr. proh centum mille Sacramenta, ignis Sacramentis Sacramentum triſte, Sacramentum infidele*. 2. Graviter tamen peccant ob ſcandalum, vel malam conſuetudinem, ſi ſit voluntaria, quam ſub mortali tenentur deponere. 3. Non vero per ſe ſunt Blaſphemiæ: *Sacramentum proh triſte, Sacramentum, triſte Deus! &c.* Nec o Jeſu! bone Deus &c.! ſunt tamen vana vel irreverentialis

divi-

divini nominis uſurpatio, & peccatum veniale; nec gallice, *Sacre Dieu*, ſi Deum Sanctum, vel *Mort Dieu*, ſi Mortem Chriſti intelligant ſine indignatione in Deum, & Chriſtum: bene autem ſunt Blaſphemiæ, ſi maledictum Deum, mortem divinitatis intelligant, vel mortem Deo, vel Chriſto imprecentur. 4. Nec eſt Blaſphemia, ſi quis non ex animo, ſed per hiperbolem, amaſiam ſuam, Deam dicat, SS. Criſpinum, & Criſpinianum ſutores vocet, ſecluſo ſcandalo, & contemptu; bene autem eſſet Blaſphemia formalis dicere, eos furatos eſſe corium, & dediſſe calceos pauperibus, licet ex joco diceretur, niſi inadvertentia inculpabilis excuſaret. 5. Nec ſunt Blaſphemiæ, imprecationes malæ hominibus, vel beſtiis factæ; ſunt tamen mortales, ſi ſerio. vel deſiderio damni notabilis, vel contumelioſe cum gravi irreverentia in faciem Superiorum, vel Parentum fiant.

QUÆSTIO IV.

DE SPE.

Quæritur. 1. Quid & quotuplex ſit Spes?

RESP. SPes definitur Virtus Theologica, per quam certa cum fiducia, Beatitudinem æternam, & media illius conſequendæ, à Deo exſpectamus. Dividitur in habitualem, quæ eſt ipſe habitus Spei a Deo infuſus; & in actualem, quæ eſt actus, quo voluntas cum habitu Spei, & Gratia actuali, certa cum fiducia exſpectat æternam Beatitudinem; & in formatam, quæ juncta eſt cum Charitate, & in informem, quæ reperitur in homine Charitate deſtituto.

Quær. 2. Quodnam ſit objectum materiale, & formale Spei?

Dico. Objectum materiale Spei primarium, eſt beatitudo noſtra tam objectiva, quam formalis; id eſt Deus poſſidendus; & ſecundarium ſunt beatitudinis media, ut Gratia, Virtutes &c. objectum vero formale primarium, eſt bonitas Dei relative ad nos, id eſt Deus, ut ſummum bonum noſtrum amabile, amore concupiſcentiæ superna-

turalis; & ſecundarium omnipotentia Dei auxiliatrix, ob merita Chriſti, nobis promiſſa; quia Spes, primario, nos inclinat in Deum poſſidendum, & ſecundario, ad media adhibenda; & ratio formalis eſt; quia nobis infinite bonus eſt, & media ad ipſum poſſidendum promiſit.

Quær. 3. An Spes ſit diſtincta a Fide, & Charitate; an ſit infallibilis, & in quibus reperiatur?

Dico. Spes eſt realiter diſtincta a Fide, & Charitate, quia diverſum habet objectum formale: & eſt certa ex parte Dei promittentis, qui in ſuis promiſſis eſt infallibilis; incerta vero ex parte noſtri; quia media Salutis ſæpe negligimus, vel indebite adhibemus, & reperitur, 1. in omnibus juſtis viatoribus, quacunque Charitatis perfectione præditis; quia Deum poſſidere deſiderant, & exſpectant, licet eum perfectiſſime ament. 2. In peccatoribus, dummodo non deſperaverint. 3. In animabus Purgatorii; quia Beatitudinem ſperant. 4. In Beatis; quia ſperant corporis gloriam. 5. In Chriſto; quia reſurrectionem omnium, & gloriam inde accidentalem ſperat; non vero in Hæreticis, ac infidelibus; quia Fide, tanquam fundamento Spei, carent; nec in deſperatis, ac damnatis; quia habitum Spei amiſerunt.

Quær. 4. Quomodo Spes ſit neceſſaria, & obliget?

Dico. Actus Spei ad juſtificationem eſt neceſſarius neceſſitate medii, & præcepti per ſe omnes adultos obligantis. 1. Quando uſum rationis attigerint, & de Spei neceſſitate cogitent. 2. In gravi tentatione contra Spem. 3. In gravi vitæ periculo. 4. Quando quis in deſperationem, vel præſumptionem lapſus eſt. 5. Aliquoties, vel, ut alii ſecurius volunt, ſæpius in vita: per accidens vero obligat, cum ex præcepto alii Virtutum actus ſunt eliciendi, qui neceſſario actum Spei præſupponunt, ut oratio, juſtificatio, receptio Sacramentorum, ſanctificatio Dominicæ, ac Feſtorum per Orationem, Miſſam &c. præceptum autem negativum obligat ſemper, & pro ſemper; quia nunquam deſperare licet.

Quær. 5. Quænam ſint vitia, Spei oppoſita?

Dico. Duo ſunt vitia, Spei oppoſita, deſperatio per defectum, quæ eſt voluntaria diffidentia aſſequendi Beatitudinem, & obtinendi media ad illam aſſequendam; & præſumptio, per acceſſum, quæ eſt temeraria Beatitudinis, & mediorum, ad eam aſſequendam exſpectatio, quod fieri ſo-

ri ſolet tripliciter 1. Viribus naturæ, ut Pelagiani. 2. Sine bonis operibus, ut Lutherani. 3. Sub Spe Dei miſericordiæ peccando, vel pœnitentiam uſque in finem vitæ differendo, ut mali Chriſtiani.

Quær. 6. Qualia deſperatio, & præſumptio ſint peccata; & quænam earum cauſa, & media?

Dico. Deſperatio, ac præſumptio, gravia maximeque perniciosa ſunt peccata, & ordinarie parvitatem materiæ non admittunt, niſi in quibuſdam caſibus, de aliquibus rite peragendis deſperando, vel de quibuſdam bonis nimis præſumendo. Cauſa deſperationis eſt luxuria, & acedia; præſumptionis vero ſuperbia, & ſæpe utriuſque debilis fides, vel illius carentia; remedia vero, fervor in divinis, humilitas, firma promiſſorum fides.

Hinc: Graviter contra Spem peccant, 1. bona temporalia æternæ Beatitudini præferentes, finem ſuum ultimum in iis ponendo; perpetuo in hac vita manere, vel nunquam fuiſſe, vel annihilari cupientes; vel de Beatitudine æterna, de Dei auxiliis, peccatorum venia deſperantes, & ſi illa irremiſſibilia credant, hæreſim ſimul committunt. 2. Æternam Beatudinem ſine bonis operibus, vel ſola Fide ſperantes; & ſi ita credant, hæreſim committunt. 3. Spe miſericordiæ peccantes, vel in peccatis perſeverantes. 4. Venialiter ſaltem peccant, in tribulatione, tentatione ex puſillanimitate, vel inordinata triſtitia orationem, vel alia bona opera omittentes, vel venialia ob ſpem veniæ facile obtinendæ committentes.

QUÆSTIO V.

DE CHARITATE DEI, ET PROXIMI.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit Charitas?

Reſp. Charitas in genere, eſt volitio boni alicui. Alia eſt naturalis, quæ provenit ex motivo naturali. Alia ſupernaturalis, qua Deus ex motivo ſupernaturali diligitur. Alia eſt affectiva, ſeu inefficax, quæ conſiſtit in ſolo affectu inefficaci, & complacentia de ſumma Dei bonitate. Alia effectiva, & efficax, quæ ſimul includit,

voluntatem efficacem, adimplendi Dei voluntatem, omniaque ipſius mandata. Alia concupiſcentiæ, qua Deus diligitur propter nos, ut finem, qui eſt infinite bonus, & beatitudo noſtra. Alia amicitiæ, ſeu benevolentiæ, vel perfectæ charitatis, qua Deus ſuper omnia diligitur propter ſe, prout in ſe ſumme bonus eſt. Alia intenſive ſumma, quæ ſummo ardore, & conatu, in Deum tendit. Alia appretiative ſumma, quæ Deum omnibus anteponit. Alia objective ſumma, qua Deus majus bonum, quam creaturæ volumus. Alia eſt habitualis, quæ eſt ipſe habitus Charitatis a Deo infuſus, & eſt a Perſona Spiritus Sancti diſtinctus. Alia actualis, & eſt actus amoris benevolentiæ, ac amicitiæ, qua Deus ſuper omnia diligitur propter ſe, & proximus ſicut nos propter Deum; poteſt etiam elici cum ſola gratia actuali a peccatore eliciente actum Charitatis, vel contritionis, quo juſtificatur, & habitus Charitatis denuo infunditur.

Quær. 2. Quomodo ſtricte definiatur Charitas, & quaſnam debeat habere conditiones?

Dico. Charitas Dei, ſtricte definitur, Virtus Theologica a Deo infuſa, qua Deum ſuper omnia diligimus propter ſeipſum, ut ſummum bonum, & proximum ſicut nos propter Deum, debetque eſſe, 1. efficax. 2. Gratuito propter Deum, ut ſummum in ſe bonum. 3. Super omnia, & ſaltem appretiative, & objective ſumma, ita ut potius quis velit omnia perdere, quam peccare graviter, vel leviter, ſaltem ut ſit perfecta. 4. Cum aliquo intenſionis gradu; quia tenemur Deum diligere ex totius viribus, & ex tota fortitudine, & ſine aliquo intenſionis gradu, non poteſt appretiative, ſuper omnia amari.

Quær. 3. Quodnam ſit objectum materiale, & formale Charitatis?

Dico. Objectum Charitatis Dei, materiale proximum, & primarium, eſt ipſe Deus, ſecundarium vero proximus, ſub quo nomine nos ipſi, & juxta S. Auguſtinum etiam Judæi, Pagani, amici, & inimici comprehenduntur; etiam animæ in Purgatorio, Beati, Angeli, ac ipſe Chriſtus, ut Homo, aliæque creaturæ, etiam irrationales; quia Deus primario, & propter ſe amatur; alia autem omnia propter Deum, quatenus Dei imago, vel bonitas in iis relucet, vel quatenus ſunt res ſui amici, & ad ejus gloriam ordinatæ: non vero animæ damnatæ, nec

dæmo-

dæmones; quia Dei imago in eis, pro ſemper, eſt fœdata, & nonniſi amore naturali, & ratione naturæ diligi poſſunt. Objectum formale Charitatis Dei, eſt bonitas Dei abſoluta; quia Deus, & creaturæ propter Dei bonitatem, quæ in ipſis relucet, amantur, & ideo utriuſque Charitatis Dei, & proximi idem eſt habitus in via, & in patria, & idem ſpecie actus; quia idem eſt utriuſque objectum formale.

Quær. 4. *Quanam ſit neceſſitas, & obligatio Charitatis?*

Dico. Charitas habitualis a Deo infuſa omnibus parvulis, & adultis eſt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem; quia ſine illius infuſione, nec peccatum originale, nec perſonale mortale remittitur: actus vero Charitatis Dei interne, & formaliter eliciendi, grave, ac ſpeciale extat præceptum, ab aliis præceptis diſtinctum, *Matth.* 22. quo Deus diligitur, 1. ſuper omnia, eum omnibus rebus præferendo. 2. Affective, ſibi de ſumma Dei bonitate complacendo, & volendo ipſi omne bonum. 3. Effective, ſervando omnia ejus Mandata. 4. Gratuito propter ſeipſum, ut eſt in ſe ſummum Bonum; non tamen obligat ſemper, & pro ſemper, ut eſt affirmativum, ita ut omnia opera noſtra, quæ non ex Charitate fiunt, peccata ſint, ut patet ex damnatione propoſitionis 48. Bay, & 44. Queſnelli. Obligat autem per ſe, 1. quamprimum, quis, uſum rationis attigerit, & de obligatione ſe ad finem ultimum ſuum convertendi, Deumque diligendi, cogitet. 2. In probabili mortis periculo, etiamſi Sacramenta quis recipiat. 3. Quando ad vincendam gravem tentationem, actus Charitatis Dei, judicatur neceſſarius. 4. Sæpe, imo juxta *P. Thomam ex Charm.* & tutiorem ſæpiſſime in vita; quia præceptum Charitatis, ſolum obligare in articulo mortis, vel ſemel in vita, vel ſingulis quinquenniis, vel quando juſtificari tenemur, ab Alex. VII. & Innoc. XI. damnatum eſt: per accidens vero obligat, 1. quando quis per actum Charitatis, vel Contritionis juſtificari tenetur, nimirum, ſi conſcius ſit gravis peccati, & copiam Confeſſarii non habens, Sacramenta recipere, vel adminiſtrare tenetur. 2. Quoties Deum blaſphemiis, vel gravi ſcelere offendi videmus; quia de eo non ſolum non gaudere licet, ſed de Dei injuria dolere, & juxta exemplum Davidis tabeſcere nos zelus facere debet, quod effectus eſt Charitatis, 3. Quoties per ſe obligat Oratio

tio Dominica, vel auditio Miſſæ; quia Oratio Dominica recte dicta, actus Fidei, Spei, & Charitatis Dei, & proximi perfectiſſime continet, *Paul. Lugd.*; per illam enim volumus bonum Deo, nempe, *ſanctificetur nomen tuum, fiat voluntas tua*; & proximo, *adveniat Regnum tuum, panem quotidianum, remiſſionem peccatorum, liberationem a tentatione, & ab omni malo;* & quod petimus etiam credimus, & ſperamus; nec Miſſa recte auditur, niſi quis Chriſtum, ac illius Myſteria credat, illius effectus ſperet, & bonum Deo, & proximo per illam intentum, ſaltem in actu exercito velit.

Hinc: contra Præceptum Charitatis Dei, graviter peccant, 1. Obligationem præcepti agnoſcentes, raro, vel non quando tenentur, actum Charitatis Dei elicientes, vel ſolum ore, & non corde Deum ſincere amantes. 2. Blaſphemias, aliave grandia ſcelera videntes committi, & ut ſunt offenſio Dei, de eis gaudentes, vel ea, ſi poſſint, non impedientes correctione fraterna, vel aliis mediis ex obligatione adhibendis. 3. Parentes, Parochi, Miniſtri ſuæ curæ ſpirituali commiſſos a tenera ætate, præcipue, cum ad uſum rationis pervenerint, de actibus Charitatis Dei, ſicut & Fidei, & Spei eliciendis, non inſtruentes. Attamen non ſcrupuloſe agendum cum iis, qui ſe hanc obligationem ignoraſſe dicunt; quia ſymbolum Apoſtolorum ſæpe recitando, Feſta Dominicæ Paſſionis, aliorumque Myſteriorum colendo, Orationem Dominicam recte dicendo, ad Confeſſionem, & ad Communionem ſe præparando, potius mori, quam Deum offendere, ſæpe ſibi proponendo, hos actus Fidei, Spei, & Charitatis neceſſarios, elicuiſſe, cenſentur, ſaltem in actu exercito: cum autem hæc, & ipſi actus Fidei, Spei, & Charitatis ſæpe ſolum ore, & diſtracte fiant, ad illos ſtudioſius, ac ſæpius, & præcipue in diebus Dominicis, ac Feſtivis, imo quotidie eliciendos, monendi ſunt; quia paucis verbis elici poſſunt, cum magno merito.

Quær. 5. *Quomodo, & quoties proximus ſit diligendus?*

Dico. Datur etiam aliud ſpeciale, priori ſimile præceptum, diligendi proximum, ſicut ſeipſum, non ſolum actu externo, ſed etiam formali, & interno benevolentiæ, 1. Affective, volendo ei bonum. 2. Effective, ei ſuccurrendo in neceſſitate, eum ſupportando in infirmitate, mala ei avertendo, pro eo orando. 3. Gratuito propter Deum, per

per ſolum enim actum externum, præcepto ſatisfieri, nec nos teneri proximum diligere actu interno, ac formali", damnatum eſt ab Innoc. XI. quoties autem per ſe obliget, non adeo conſtat, cum ſimile ſit præcepto Charitatis Dei, & ſine ſe invicem eſſe nequeant; ut docet S. Auguſtinus, etiam toties per ſe obligare videtur. Per accidens vero obligat, 1. Dum urget gravis odii tentatio, quæ abſque actu dilectionis proximi, ſuperari nequit. 2. Cum poſſumus, ac tenemur proximo in aliqua neceſſitate corporali, vel ſpirituali ſubvenire, ejus onera portare, graves injurias in bonis corporis, vel animi, famæ, aut fortunæ ſine gravi noſtro incommodo avertere; vel quoties obligat Oratio Dominica, in qua bona, quæ nobis petimus, proximo, ſunt petenda, quæ ſine impulſu Charitatis internæ, ſaltem latius ſumptæ, non pie, nec utiliter fiunt.

Hinc: graviter peccant contra præceptum Charitatis proximi, 1. raro, vel non quando tenentur, elicientes actum internum Charitatis, vel ſolum ore, non volendo ei in corde bonum; vel in neceſſitate ei non ſuccurrentes de ſuperfluis, vel etiam de neceſſariis pro qualitate neceſſitatis, de qua infra; vel etiam cum periculo propriæ vitæ in extrema æternæ ſalutis neceſſitate. 2. Non impedientes mala proximi, bona ipſius famæ, vel fortunæ defendendo, ſi ſine gravi incommodo poſſint. 3. Nunquam. vel non quando tenentur, pro proximo orantes: excuſantur tamen ſæpe, & attente recitantes Orationem Dominicam, qua actus dilectionis proximi elicitur volendo etiam ei bona, quæ in eo nobis petimus.

Quær. 6. Quomodo teneamur diligere inimicos?

Dico. Eodem Charitatis proximi præcepto tenemur diligere inimicos, ipſis 1. offenſam ex corde remittendo, omnemque odii, ac vindictæ affectum deponendo, volendo eis bona, avertendo mala, ſuccurrendo in neceſſitate propter Deum. 2. Communia dilectionis ſigna exhibendo, quæ aliis ejuſdem conditionis perſonis exhibere ſolemus; ſpecialia enim regulariter exhibere non tenemur, ut ſunt viſitare, familiariter colloqui, ad menſam invitare, &c. niſi illis omiſſis oriretur ſcandalum, vel ſi inimicus, primus, ſpecialia amicitiæ ſigna, dederit, ſimilibus correſpondere oportet, vel ſi ſpiritualis, vel corporalis inimici neceſſitas, ſpecialia exigeret, vel ſi antea, talia ſolebamus exhibere, modo profutura, & non pejorem redditura proba-

babi-

Digitized by Google

babiliter credantur. 3. Petendo veniam, vel reconciliationem ab eo, qui prius, vel gravius fuit offenſus; ſi æqualiter, uterque tenetur; vel ſi offendens, læſo, ſit valde dignior, alia reconciliationis media adhibere tenetur, familiariter cum eo agendo, ſpecialius eum honorando, &c. 4. Petitam veniam ſtatim ex corde concedendo, & condonationis ſigna exhibendo, niſi eſſet Superior, qui ea, & alia dilectionis, vel amicitiæ ſigna ob correctionem, & aliorum exemplum poteſt differre, modo in corde dimittat; non tamen tenetur quis, actionem injuriarum remittere, ſecluſa vindicta, niſi oblata ſatisfactione, judicio prudentum ſufficiente, quam acceptare tenetur, niſi reus ſit Reipublicæ noxius, vel infamia abſque juridica ſatisfactione, non poſſet deleri.

Hinc: graviter peccat contra Charitatem, inimicis debitam 1. offenſam non ex corde dimittens, ſed gravem odii, vel vindictæ affectum retinens, 2. Eum non, ut alios ejuſdem conditionis, actu interno amans, quando obligat Præceptum, prout obligare videtur poſt grave odium. 3. Gravia ei volens mala, vel a Deo, aut ab hominibus ei exſpectans. 4. De ejus calamitate gaudens, vel de proſperitate ejus dolens; gravia ejus mala non impediens, ſi ſine gravi incommodo poſſit; in neceſſitate ei non ſuccurrens. 5. Inimicum ab oratione communi, vel eleemoſynis, aut venditione mercium excludens. 6. Non ſalutans ex gravi odio, quem antea ſalutare conſuevit, vel alia ſigna communia dilectionis negans; ſecus, ſi ex inadvertentia, levitate, vel ex juſto nimiæ injuriæ dolore fieret, vel alias, talia ſigna non exhibuiſſet. 7. Salutantem non reſalutans; vel alia ſigna etiam particularia dilectionis non exhibens, ut viſitare, familiariter colloqui, invitare ad prandium, &c. ſi ſcandalum ex eorum omiſſione oriatur, ut inter fratres, ſorores, proximoſque cognatos, vel etiam inter Religioſos ejuſdem Ordinis, & Conventus facile oriri poteſt, ſibi ob leves rixas non loquentes, vel ſe non ſalutantes, vel ſpecialia primo exhibenti non correſpondentes; vel ſi inimicus ſine illis, in gravi ira moriturus, vel in gravibus peccatis manſurus eſſet, a quibus, per ſigna particularia liberandus, probabiliter creditur; ſecus, ſi inde pejor fieret. 8. Invitatus ad prandium ob inimicum etiam invitatum comparere nolens, niſi ob rixas, quas timet, vel alias juſta cauſa fiat.

9. Non concedens veniam debite petitam, vel ſigna condonationis negans, niſi eſſet Superior ob correctionem, & aliorum exemplum. 10. Non acceptans ſatisfactionem prudentum judicio ſufficientem, niſi eſſet noxius Reipublicæ, vel fama, ſine juridica ſatisfactione, læſa maneret. 11. Non petens veniam, vel reconciliationem, ſi prius vel gravius, vel æqualiter offenderit, vel aggreſſor fuerit, aliudque poſt gravem offenſionem remedium adhiberi non poſſit, nec debeat; etiamſi eſſet valde dignior, ſi injuria ſit valde gravis. Excuſantur tamen a veniæ petitione 1. ſi æquivalens ſatisfactio per ſe, vel per alium, vel reconciliatio jam ſit facta. 2. Si non profutura, ſed obfutura credatur. 3. Si offendens ſit multo ſuperior, niſi injuria eſſet valde gravis; alia tamen media reconciliationis adhibere tenetur, humaniter eum ſalutando, familiariter cum eo agendo, &c. 4. Si injuriæ ſibi invicem factæ ſit compenſatio; reconciliari tamen tenentur. 5. Quando offenſus, eſt abſens, & nec per ſe, nec per alium poteſt conveniri. 6. Quando prudenter præſumitur læſum, non correſponſurum, ut quando nondum tantum temporis ſpatium interceſſit, ut remiſſio prudentum judicio, ſit ſperanda; nec ſtatim poſt offenſam ad veniam petendam coarctandi ſunt; filii tamen reſpectu parentum, ſubditi reſpectu Superiorum, uxores reſpectu virorum, ſervi reſpectu dominorum, frequentius ad petendam veniam obligandi ſunt, licet ex prædictis alias etiam ſæpe excuſentur; nec motus odii in parte inferiori hominis, ſine conſenſu voluntatis, vel dolor de gravi injuria illata apparente inimico denuo exurgens, impediunt abſolutionem, dummodo vere, & corde condonet.

Quær. 7. Quinam ſit ordo Charitatis Dei, & proximi ſervandus?

Prænot. 1. Duplex eſt in exercitio Charitatis ordo, videlicet, affectionis, qui petitur a dignitate, vel bonitate objecti; & ſubventionis, ſeu Beneficii, qui petitur vel ex indigentia perſonæ, habita tamen ratione conjunctionis per ſanguinem, amicitiam, Religionem.

2. Neceſſitas proximi alia eſt, ſpiritualis, alia corporalis. Neceſſitas ſpiritualis triplex eſt, 1. eſt extrema, in qua abſolute ſine auxilio in æternum eſt periturus, ut infans ſine Baptiſmo moriturus. 2. In qua quidem, abſolute, quis ſalvari poteſt, abſque alterius ope, ſed cum magna

Digitized by Google

ſantis; obſtetrix ſaga extremum ſubire ſupplicium, ut ab æterna damnatione eripiat, in nomine dæmonis, & ſine forma Baptiſmi a ſe baptizatos, ſi non alia tanti ſceleris reperandi via appareat. 4. In neceſſitate extrema, ſub peccato gravi: parentes debent præferri omnibus; in gravi vero, uxor liberis, & parentibus, pater matri, uxor filiis, filii fratribus, fratres cognatis; per accidens tamen poteſt mater bona, præferri patri, vel proli maleficæ, filius utilis domeſticationi matri inutili, & in extrema neceſſitate filius præferri patri, ſaltem ſine peccato mortali; & potius patri, & filiis carnalibus, quam ſpiritualibus ſuccurrendum, *S. Thom.* in communi vero potius ſpiritualibus, *Paul. Lugd.*; Paſtor tenetur potius gregi, & ovibus ſuis, quam parentibus, ac cognatis ſub cura alterius degentibus in extrema neceſſitate ſuccurrere; quia ſimul ex juſtitia tenetur.

Quær. 8. Quot ſint opera miſericordiæ, & quid ſit correctio fraterna?

Reſp. 1. Miſericordia eſt alienæ miſeriæ efficax compaſſio. Opera miſericordiæ ſunt quatuordecim, quorum ſeptem ſunt corporalia, alia ſpiritualia his verſibus contenta:

Viſito, poto, cibo, redimo tego, colligo, condo.

Conſule, carpe, doce, ſolare, remitte, fer, ora.

Inter quæ, correctio fraterna, & eleemoſyna ſpecialiter ſunt obſervandæ.

2. Correctio, eſt triplex, juridica, paterna, & fraterna. Juridica eſt actus juſtitiæ vindicativæ, ordinatus, non ſolum ad emendationem delinquentis, ſed etiam ad ejus caſtigationem, ob bonum commune, & aliorum terrorem. Paterna, eſt actus auctoritatis, quo Superior abſque forma judicii corrigit delinquentem, ut emendetur, & tollatur ſcandalum aliorum. Fraterna, eſt actus miſericordiæ, quo quis proximum, monitione ſalutari, a peccato revocare conatur.

Quær. 9. Qualis ſit correctionis fraternæ obligatio, & quænam ſint cauſæ excuſantes?

Dico. Grave extat præceptum tam naturale, quam divinum, fraternæ correctionis, obligans omnes; maxime vero Superiores, ratione curæ ſubditis debitæ, etiamſi ex ignorantia, etiam inculpabili, peccent; niſi majus inde timeatur malum: obligat etiam ſubditos, reſpectu ſuorum Superiorum, cum debita tamen reverentia; etiam

reſi-

reſiſtendo in faciem juxta exemplum S. Pauli, neceſſitate ita exigente pro ſpirituali aliorum ruina præcavenda, etiam cum periculo vitæ in extrema ſalutis æternæ neceſſitate, & in gravi, ſaltem Paſtores; alios vero cum aliquo, non autem cum gravi famæ, ac bonorum damno, *ita Tourn. & alii*; non tamen obligat 1. ſi non probabiliter conſtet de peccato mortali commiſſo, vel proxime committendo, nec tenetur privatus inquirere, bene autem Superior, ſi dubium, aut ſuſpicio appareat, 2. Si conſtet jam reſipuiſſe, vel ſua ſponte emendatum iri, vel ab alio magis idoneo, v. g. Superiore probabiliter eſſe corrigendum. 3. Si non ſit probabilis emendationis ſpes; quia conſuetudine, vel contemptu peccavit, niſi correctio, eſſet neceſſaria, pro avertenda ſpirituali proximi ruina, vel gravi Dei, ſeu Religionis irreverentia, aut damno tertii; vel ſi eſſet in articulo mortis, ſufficit dubia emendationis ſpes. 4. Si ſperetur tempus oportunius ex parte ſui, vel delinquentis, poteſt differri. 5. Si ſine gravi ſuo incommodo, vel damno fieri nequeat; non tamen poteſt omitti ob delinquentis triſtitiam, vel levem iram. 6. Si materia ſit levis, niſi ſit Superior, qui etiam venialia ſubditorum corrigere tenetur, ſi graviter lædant regularitatem; ut ſi nimis frequenter fiant; imo etiam privati, ſi probabiliter in grave inducant peccatum, vel grave communitati, vel delinquenti damnum, aut dedecus cauſent.

Hinc: graviter peccat, 1. oportunam fratrem emendandi occaſionem, ſponte, ac ſcienter elabi ſinens, vel zelo nimis indiſcreto corripiendo, in graviora peccata ſcienter præcipitans. 2. Linguam detrahentem, impudicam, blaſphemiam, &c. non admonens, vel ſaltem facie triſti diſſipans. 3. Paſtor non docens ex ignorantia culpabili peccantes, etiamſi non prævideret fructum; quia tenetur ex officio; vel alius quivis non monens, volentem contrahere Matrimonium, cum impedimento dirimente, etiam invincibiliter ignoto, vel aliam Legem humanam, aut divinam tranſgredi paratum. 4. Magiſtratus communitati, vel proximo nocivos non corripiens. 5. Superior prævidens ex non emendata etiam legi regularum, ut ſilentii, &c. frequenti tranſgreſſione, notabilem regularitatis diminutionem, vel piarum conſuetudinum abolitionem; vel non inquirens ſubditorum delicta, de quibus merito du-

Digitized by Google

bitat, vel ſuſpicatur, ut ea corrigat. 6. Prævidens proximum ex levi in vino exceſſu, furto, aliove veniali abſque correctione, in gravia probabiliter peccata lapſurum, vel grave ſcandalum eventurum, & non admonens. Excuſant tamen a mortali, materiæ levitas, inadvertentia, timor, vel cupiditas, ut ait S. Thomas; modum aptum corrigendi, verbaque ſale ſapientiæ condita, delinquentique proficua præcludens, ob quam prudentius correctio fraterna differtur, donec ſermone idoneo, animiſque utrinque pacatis utiliter fiat.

Quær. 10. *Quiſnam ordo in correctione fraterna ſit ſervandus, & quando delictum immediate ad Superiorem poſſit deferri?*

Dico. In correctione fraterna, gravi ſub peccato, obſervari debet, ordo a Chriſto Matth. 18. præſcriptus, videlicet, 1. *ſi autem peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te; & ipſum ſolum*. 2. *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos*, nimirum Confeſſarium, & alium prudentem. 3. *Quod ſi non audierit eos; dic Eccleſiæ*, id eſt Superiori: attamen peccatum proximi, immediate deferendum eſt Superiori, 1. ſi ſit publicum, id eſt notum majori parti vicinæ, vel communitatis, vel ſi in via ſit deveniendi publicum; ſi tamen privata correctione delinquens emendari; & ſcandalum reparari poſſet, non deferendum eſſet Superiori; niſi Superior, qui jus habet judicandi de publicis, denunciationem exigat. 2. Quando crimen, etſi occultum, vergit in grave detrimentum corporale, vel ſpirituale proximi, niſi certa ſpe, malum alienum, ſecreta correctione poſſet impediri. 3. Quando correctio privata, merito judicatur non profutura. 4. Si ſatisfactionem debitam, deneget. 5. Si ceſſet juri ſuo; abſque aliorum detrimento: non poteſt tamen Superior, ex notitia per paternam denunciationem accepta, judicialiter procedere, niſi paterne correptus, rebellem ſe exhibeat; & antequam paterne admoneat, de veritate prudenter inquirere oportet.

Hinc: graviter peccat, 1. deferens ad Superiorem grave delictum, quod privata correctione potuiſſet, ac debuiſſet emendari: non vero peccat immediate ad Superiorem deferens peccatum publicum, vel occultum, vergens in detrimentum proximi, ut arte magica, ac maleficio, proximo nocentis, monetas adulterantis, proditionem patriæ

medi-

meditantis, errores contra Fidem diſſeminantis, in confeſſione ſolicitantis; furto, rapina damnum proximo inferentis, vel peccato carnis, ex malitia commiſſo, Religionem ſuam proſtituentis; quia mora denunciationis in ſimilibus criminibus, eſt periculoſa; & correctio fraterna ſolum cautiores, non vero meliores facere ſolet. 2. Nec peccat deferens ad Superiorem peccata ex habitu; vel contemptu; aut pertinacia commiſſa, ut hæreſis; &c. quia ſecreta admonitio iis non eſſet profutura.

Quær. 11. Quænam ſit corporalis Eleemoſynæ obligatio?

Reſp. Prænot. Eleemoſyna juxta S. Thomam eſt opus miſericordiæ, quo datur aliquid indigenti, ex compaſſione propter Deum.

2. Indigentia, ſeu neceſſitas proximi eſt triplex. 1. Eſt extrema, quando eſt in periculo mortis, morbi; ſeu vulneris incurabilis. 2. Gravis, quando ſine Eleemoſyna e ſtatu caderet, vel in aliud malum grave, morte tamen minus, ut notabilis morbi, amentiæ, captivitatis, infamiæ, amiſſionis dignitatis, &c. 3. Communis, in qua ſunt pauperes ordinarii.

3. Bona etiam ſunt triplicis generis. 1. generis ſunt bona vitæ abſolute neceſſaria, ſine quibus homo ſe, & ſuos alere nequit. 2di ſunt neceſſaria ſtatus, ſine quibus decentia ſtatus, non poteſt conſervari. 3tii ſunt ſuperflua, quæ nec vitæ, nec ſtatui ſunt neceſſaria. His notatis.

Dico. Datur grave, tam naturale, quam divinum faciendæ Eleemoſynæ præceptum, 1. quidem in extrema neceſſitate conſtitutis, ex bonis vitæ ſuperfluis, & decentiæ proprii ſtatus neceſſariis; non tamen cum tota ſui ſtatus, aut familiæ ſubverſione; dans autem ſolum mutuo poſtea reſtituendum, non ſatisfacit præcepto; niſi res eſſet uſu non conſumptibilis, ut equus ad fugiendum, vel alibi bona, vel certam eorum ſpem haberet. 2. In gravi neceſſitate exiſtenti, ex bonis proprio ſtatui ſuperfluis, vel ſi non habeat ſufficientia, etiam ex neceſſariis ad aliqualem ſtatus proprii decentiam, niſi forte ex propria malitia, ſeu culpa orta ſit; non tamen cum enormi ejus læſione. 3. In communi neceſſitate ex ſuperfluis vitæ, ac ſtatui; non tamen tenentur ad omnia ipſis diſtribuenda, niſi eſſet Beneficiatus; quia pauperes communes a multis juvari ſolent; Poteſtque ex illis ad altiorem aſcendere ſtatum, ſi illo ſit dignus, nec ambitione fiat, pauperum-

que neceſſitas ſublevetur: nec tenetur, pauperes inquirere, ſed ſufficit occurentibus ſubvenire, niſi eſſet Beneficiatus, Paſtor, vel Præpoſitus, aut tempore peſtis; ſecluſo tamen infectionis periculo: ratio horum omnium eſt: quia quilibet in neceſſitate ita rationabiliter vult amari, & juvari. Ut autem Eleemoſyna debite fiat, debet eſſe 1. juſta, id eſt ex bonis propriis. 2. Diſcreta juxta indigentis exihentiam, propinquitatem, & meritum; non tamen ſeveriori examine diſcutiendum, an vere ſint pauperes, nec impiis neganda. 3. Liberalis juxta cujuſvis ſtatum. 4. Prompta. 5. Hilaris. 6. Humilis. 7. Urbana, ſine aſperitate, & contemptu.

Hinc: mortaliter peccat, dives cognita pauperis extrema neceſſitate, per indicia probabilia, & evidentia, uti eſt teſtimonium Parochi, aut Confeſſarii, vel duorum fide dignorum de viſu, & certa ſcientia teſtantium, ei non ſubveniens, etiam ex bonis ad ſtatus decentiam neceſſariis, diminuendo ſtatus ſplendorem, famulorumque numerum, veſtium, & domorum ornatum; non tenetur, ſolis pauperum dictis, ſæpe de veritate ſuſpectis, credere, nec voluntarie pauperibus, non voluntate virtutis, ſed otii, ſuccurrere. 2. Omnes pauperes repellens vel ita modicum tribuens, ut ſi omnes divites, habita ratione quantitatis ſuperfluorum ſimiliter facerent, communibus pauperibus, neceſſaria ſuſtentatio notabiliter deeſſet. 3. Tempore publicæ neceſſitatis frumentum, &c. recondentes, ut carius vendant, & proximum in gravi relinquentes neceſſitate. 4. Magiſtratus, pauperes peregrinos omnino repellentes, qui ſæpe in patria remanere nequeunt, & alibi repulſi ſine Eleemoſyna fame perire deberent: niſi graves habeant rationes, ut ſi Eleemoſynæ non ſufficerent, niſi pro indigenis, vel morbos, proditiones, hæreſes per extraneos timeant. 5. Servi, ancillæ, adminiſtratores, tutores, filiifamilias, uxores, Religioſi, notabiles facientes Eleemoſynas ex bonis, quorum liberam non habent adminiſtrationem; niſi in extrema neceſſitate, vel niſi modicum, & raro cum conſenſu, vel ratihabitione proprii Domini tribuant. 6. Dans furto, uſura, &c. invalide acquiſita pauperi, cum ſciatur, vel ſciri poſſit proprius Dominus; niſi in extrema neceſſitate, in qua etiam ea ſurripere, & dare extreme indigenti licet ſine reſtitutionis onere; non vero in gravi, minus in

com-

Digitized by Google

communi: illicite tamen acquiſita, ut pro opere meretricis, vel labore in Dominica, recte dantur pauperibus, & quandoque id pro pœnitentia imponi debet. 7. Major etiam pars Capituli dans Eleemoſynam ex bonis partialiter poſſeſſis, & cuique in particulari diſtribuendis, niſi omnes conſentiant; bene autem fit ex collegialiter poſſeſſis, ut ex maſſa, conſentiente majore parte. 8. Se pauperes ſimulantes, cum non ſint, vel extremam neceſſitatem fingentes, tenenturque ad reſtitutionem; non vero ſuam paupertatem ſolum exagerantes. 9. Succurrens hoſtibus Reipublicæ, etiam ad extremam neceſſitatem redactis, niſi vinctos ſe præbeant; quia bellum, propterea cum notabili damno, prolongatur. 10. Cibos præbens juſte damnato, ut fame pereat, ſi propterea contra Judicis voluntatem a morte liberetur; quia Judicis poteſtatem æque violat, ac ſi carceres infringeret, vel eum a patibulo, vi liberaret.

QUÆSTIO IV.

DE PECCATIS CHARITATI DEI, AC PROXIMI OPPOSITIS.

QUamvis omnia peccata, Charitati Dei opponantur, ſpecialiter tamen Charitati Dei opponitur odium Dei, & accedia. Charitati vero proximi, odium proximi, invidia, diſcordiæ, contentio, ſciſma, bellum iniuſtum, rixa, ſeditio, & ſcandalum: hic de odio Dei, & proximi: de bello, ſchiſmate, & ſcandalo agendum; de aliis alibi.

Quær. 1. Quid ſit odium, & quale peccatum?

Reſp. Odium eſt actus voluntatis objectum averſantis, & eſt duplex, nimirum inimicitiæ, quo alteri malum volumus quatenus eſt malum; & abominationis, quo voluntas aliquid, ut ſibi incommodum, averſatur. His notatis.

Dico. Odium Dei, eſt peccatum omnium graviſſimum, nullam materiæ parvitatem admittens; odium vero proximi, 1. eſt grave peccatum, ſi grave malum proximo ſerio velimus, vel etiam leve, vel grave non ſerio, attamen cum gravi ſcandalo, aut gravi irreverentia in fa-

Digitized by Google

eiem imprecamur. 2. Eſt autem veniale, ſi ex levi diſplicentia leve malum, vel grave, ſed non ſerio, vel ſolum creaturis irrationabilibus optemus. 3. Eſt nullum peccatum, ſi non perſonam, ſed ejus vitia averſemur; vel per malum ipſius converſionem, æternamque ſalutem velimus; quia odium primo modo, graviter, ſecundo modo, leviter, & tertio modo, neutiquam, Charitati opponitur, debetque in Confeſſione, malum vitæ, famæ, aut fortunæ proximo volitum, ſpecificari; quia officere proximo in vita, fama, vel fortuna, ſpecie differunt; ergo & deſiderium illorum. Similiter aperienda quantitas mali, duratio, & renovatio odii, & circumſtantia perſonæ, Superioris, Parentis &c. ſpeciem mutans, vel novam ſuperaddens.

Hinc: graviſſime peccat ſe contriſtans de Dei bono, de ejus offenſa gaudens; cupiens, Deum non eſſe, vel non eſſe juſtum, aut omnipotentem, ne peccata punire poſſit. 2. Graviter peccat ſibi, vel proximo, ſerio mortem, ut malum, dœmonem &c. volens, vel creaturis irrationabilibus, beſtiis &c. quatenus proximo damnum notabile inde evenit, etiamſi ex ira fiat, & tranſacta ira doleat, modo in ira ſerio, ac deliberate malum voluerit. 3. Maledicens vento, pluviis &c. ut ſunt a Deo, cum implicita in Deum indignatione, eſtque ſpecies Blaſphemiæ. 4. Imprecans proximo malum grave, quamvis non ſerio, attamen cum ſcandalo, alios, præcipue infantes, ſuo exemplo easdem imprecationes docendo; vel leve, attamen contumelioſe, perſonæ ſingularis venerationis, ut parentibus, & Superioribus in faciem imprecando. 5. Graviter, vel leviter peccat, pro majori, vel minori pravitate affectus, de vita alicujus dolens. de morte gaudens, eam affectu inefficaci deſiderans, licet non ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod emolumentum temporale proprium cupientis, fiat, v. g. ob pinguem hæreditatem ex morte patris; quia contrarium damnatum eſt ab Innoc. XI. poteſt *tamen quis ſalva Charitate*, ait S. Thomas, *optare malum temporale alicui, & gaudere, ſi contingit, non in quantum eſt malum ipſius, ſed in quantum eſt impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel communitatis, vel Eccleſiæ, vel quod per malum pænæ impeditur frequenter malum culpæ ejus.* Sic poteſt deſiderari morbus, vel captivitas inſigni nebuloni, qua a peccato reſipiſcat,

piſcat, mors hæreſiarchæ, vel malefactori, a Deo, vel juſtitia infligenda, non ut ipſorum malum, ſed prout bonum commune inde exurgit privato præferendum; ſic publicis celebramus lætitiis, juſtum hoſtium excidium, gaudemus de Turcarum damnis ob Regni, & Eccleſiæ bonum; ſic de prompta maleficantis executione, de liberatione morbi doloriferi per mortem. 6. Verbum maledictionis, ait S. Thomas, veniale eſt propter parvitatem mali, propter affectum maledictionis ex levi motu, ex ludo, ex ſubreptione, id eſt ex inconſideratione, ex parva conſuetudine, ait Sylvius, dummodo illam deponere conetur, & non ſit voluntaria; vel ſi fiat contra beſtias, &c. ſine relatione in Deum, & homines; vel contra homines, ſed non ſerio, & ſecluſo ſcandalo, gravique irreverentia. 7. Nullum eſt peccatum, ſi maledictio fiat non rei ſecundum ſe, ſed ratione mali, quod in ea, vel per illam accidit, ut David maledixit montibus Gelboe, ob cladem Populi ſancti, Job diei, in qua eſt natus; ſic etiam, cum merito, poſſumus optare mortem, ut a peccatis, & miſeriis hujus vitæ liberemur, æternam Beatitudinem conſequamur; non vero ex ira, & impatientia.

Quær. 2. *Quid ſit bellum, & quotuplex?*

Reſp. Bellum eſt publica armornm contra extraneos aſſumptio, Reipublicæ gratia tuendæ. Aliud eſt offenſivum quo hoſtis oppugnatur, compenſationis obtinendæ, aut injuriæ vindicandæ, gratia. Aliud defenſivum, quo vis vi, & injuria, armis repellitur.

Quær. 3. *An bellum ſit licitum?*

Dico. Bellum eſt licitum, ſi debitis fiat conditionibus, nimirum, 1. Auctoritate ſuprema. 2. Juſta ex cauſa, videlicet ob graviſſimam injuriam Principi, vel ſubditis, aut confœderatis, fidei, aut Religioni illatam, v. g. Impediendo prædicationem Evangelii, vel Fidem contumeliis afficiendo, quam pars adverſa tollere, vel pro ea ſatisfactionem petitam dare recuſat. 3. Bona intentione, zelo nimirum juſtitiæ, & pro bono communi, qua tamen deficiente non peccat contra juſtitiam. 4. Servato modo in bello moderato; poteſtque ex utraque parte eſſe juſtum formaliter; non vero materialiter; quia poteſt ex utraque parte, cauſa belli, prudenter juſta exiſtimari; non vero in re ipſa eſſe juſta; in dubio tenetur miles, Ducem ſequi: poteſt etiam, Princeps Catholicus, turmas auxi-

liares infideli, vel hæretico dare, & ab eo recipere, ſi nullum inde Religioni detrimentum, vel hæreſeos incrementum ſequatur, in quo caſu bonum Religionis, & Eccleſiæ prævalet politico. Repreſſalia ſunt quoque licita, 1. ſi fiant auctoritate Principis; 2. Si conſtet de injuria illata. 3. Si ſint injuriæ proportionata. 4. Si ſatisfactionem petitam recuſarunt. 5. Si non fiant in Eccleſiaſticos, & bona eorum. Res immobiles juſto bello captæ, ſunt, jure belli, Principi, mobiles militibus, ſi ſint hoſtium; ſi vero non ſint hoſtium, detracta æſtimatione laboris, ac induſtriæ, ſuis dominis debent reſtitui, poſſuntque juſto bello occupata emi, etiam vili pretio; non vero injuſte acquiſita, niſi cum ſpe, & intentione ea reſtituendi proprio Domino, præcipue ſi alio modo ad eum non pervenirent; quia Dominus non eſt rationabiliter invitus.

Hinc: graviter peccat, 1. immoderata dominandi, vel injuſte nocendi, aut ulciſcendi cupiditate bellum incipiens, aut bellum Principi vicino indicens, ne fiat potentior, & potentia ejus creſcens, ſtatui fiat periculoſa, vel ne ipſo rupto fœdere bellum indicat; quia timor ille non eſt cauſa ſufficiens. 2. Turmas dans auxiliares hæretico aut infideli, cum præviſione damni Religionis, ac incrementi hæreſis. 3. Abſque jure, vi, aut dolo, invitos militiæ adſcribens, teneturque ad reſtitutionem totius damni illi, vel illius parentibus, uxori, liberis, inde exorti. 4. Repreſſalia exceſſiva ſine cauſa, aliiſve conditionibus exercens. 5. Occidens innocentes, ut infantes, mulieres, Clericos, niſi fiat per accidens, eos tamen ſpoliare licet, ne ſuccurrant hoſtibus; non vero Clericos, aut Eccleſiam; nec licet eam dirripere, niſi per accidens, ſi alio modo victoria non poſſet obtineri; poſſuntque graviſſimis ex cauſis urbes igne conſumi, in prædam militibus dari, injuſte pugnantes, & obſides nocentes occidi, victi, bonis privari, tributa imponi, arces in eorum bonis conſtrui, &c. non vero innocentes, ad hoſtes miſſi, occidi, quamvis mittentes non ſervarent fidem; puſſunt tamen in carcere retineri, vel ad triremes mitti. 6. Clerici in Sacris, propria manu pugnantes, niſi pro ſui, & ſociorum defenſione in neceſſitate; poſſunt tamen pugnantes ad pugnam exhortari, & in Minoribus propria manu pugnare. 7. Non ſervantes fidem hoſtibus datam, niſi injuſte vi fuiſſet extorta in grave Reipublicæ, aut Religionis præjudicium,

vel

vel circumſtantiæ eſſent ita mutatæ, ut fides data non cenſeatur obligare, vel ipſemet hoſtis eam non ſervaſſet. 8. Milites contra expreſſam, vel tacitam Ducis prohibitionem aliquid ſurripientes, & tenentur ad reſtitutionem, niſi ob ſolam diſciplinam militarem prohibitio ſit facta, non vero, ne hoſtibus damnum inferatur.

Quær. 4. *Quid, & quotuplex ſit Duellum?*

Reſp. Duellum eſt certamen periculoſum, duorum, vel paucorum, ex condicto, ad certum locum, & tempus initum, armis ad mortem inferendam, aptis. Aliud eſt ſolemne, quod fit ſervata ſolemnitate, nimirum adhibitis teſtibus, ſeu patrinis, aut fidejuſſoribus, carthellis, ſeu literis provocatoris cum loci, & temporis determinatione, & loci ſecuritate. Aliud particulare, quod fit ſola loci, ac temporis determinatione, armis ad mortem inferendam, aptis. Aliud fit auctoritate publica; aliud privata.

Quær. 5. *An Duellum aliquando ſit licitum?*

Dico. Duellum, etiam particulare, privata initum auctoritate grave eſt peccatum; quia omni Lege Naturali, Divina, & Humana eſt prohibitum; auctoritate autem publica aliquando juſta iniri poteſt cauſa, qualis fuit, 1. inter David, & Goliath ad repellendam ignominiam, & ad hoſtes debilitandos. 2. Ad terminandum bellum minori damno, & periculo. 3. Ne inimicus fiat audacior, & proprii milites cadant animo; quia ita pugnantes, partes ſunt belli.

Hinc: graviter peccat 1. Princeps Duellum indicens ob ſolam virium, aut dexteritatis militum oſtentationem, vel ad vindictam, aut ſpectaculum, licet ambo, juſte, ultimo ſupplicio eſſent addicti; quia periculo proximo iræ, vindictæ, æternæque damnationis uterque exponeretur, & læſus non chriſtiane moreretur. 2. Duellum ineuntes ad probandum; vel purgandum crimen, vel terminandam litem particularem; ad evitandam ignominiæ, aut timiditatis labem, vel dignitatis officii, aut favoris Principis privationem, etiamſi non eſſet uſque ad mortem, ſed ſolum uſque ad ſanguinem, vel certum ictuum numerum, *Clem. VIII.* 3. Pugnans Duello, etiam metu mortis contra innocentem, vel contra actorem, a quo injuſte apud Judicem eſt accuſatus, quamvis alia non ſit via evadendi damnum vitæ, famæ, aut fortunæ; vide infra *Tract.*

6, *Quæſt.*

Digitized by Google

6. *Quaſt.* 7. *Quar.* 2. *Hinc*. 1. nec licet inire Duellum vindicandæ Religionis cauſa, quæ gaudio Verbi divini, non enſe defendi debet. 4. Nec conſultum eſt provocanti reſpondere, ſe Duellum quidem non acceptare, ſed ſeſe defenſurum in omni loco, & tempore; quia eſſet implicita ad pugnam invitatio in omni tempore, & loco, & ſi locus, & tempus, in quo ſolet ordinarie comparere, manifeſtet, æquivalenter Duellum acceptat. 5. Nec a Duello excuſantur in domo Dei, aut Principis rixantes, & ad ſe invicem dicentes, eamus foras ad pugnandum, vel digladiemur in vicino prato, vel in primo ad pugnam aptiori loco, vel hic exſpecta donec afferam arma; quia eſt deſignatio loci, & temporis, licet propinqui; excuſantur tamen a Duello, licet, graviter peccent, in rixa in arma proruentes, & in eodem loco pugnantes, vel inimici in platea ſibi occurrentes, enſes exerentes, & digladiantes, adverſarius adverſarium quærens, vel ejus tranſitum explorans, & cum eo demicans; quia in his deficit loci, ac temporis determinatio.

Quær. 6. Quænam ſint Duellantium pænæ?

Dico. Duellantes etiam in Duello particulari, vel illud permittentes in ſuis terris, impunitatem concedentes, ſuadentes, auxilium, conſilium, favorem præbentes, & quocunque modo cooperantes, ſpectatores ex propoſito, 1. excommunicationem ipſo facto Papæ reſervatam incurrunt, licet non ad mortem, ſed uſque ad ſanguinem, vel certum ictuum numerum pugnaſſent, vel fuiſſet inter unius, & alterius exercitus milites, ob inimicitias particulares, etiam cum Ducis permiſſu, vel etiamſi pugnam non commiſiſſent, ſi ad locum pugnaturi acceſſiſſent, & per eos non ſtetiſſet, quo minus pugnarent, *Clem. VIII.* In Gallia tamen excommunicatio non eſt reſervata, niſi ab Epiſcopis reſervetur, *Tourn.* 2. Duellantes, eorumque patrini, omnium bonorum ſuorum præſcriptione, perpetua infamia, ac pœnis homicidarum, afficiuntur a Clemente VIII. Hæ tamen pœnæ nec in Germania, nec in Gallia habent locum, *Tourn.* ſed in Gallia, duellantes, puniuntur pœna mortis, bonorum, ac corporum confiſcatione, teſtamentorum etiam longe ante conditorum irritatione; ac Eccleſiaſticæ ſepulturæ privatione, *Tourn.*; & in conflictus loco, vel extra paulo poſt, vel in eadem die mortui, ſepultura Eccleſiaſtica, etiam de

de jure communi, privari debent, licet pœnitentes ab excommunicatione fuiſſent abſoluti *cap.* 1. *de Torneamentis & rit. Paul. V.* hoc in caſu tamen, ſi tempus permittat, conſulatur Epiſcopus. Ad qualem autem teneantur reſtitutionem, vide infra *Tract.* 6. *Quæſt.* 7. *Quær.* 2. *Hinc* 3.

Hinc: ſupradictas pœnas non incurrunt, 1. in tranſitu pauliſper ſubſiſtentes, vel e feneſtra, etiam ex curioſitate duellantes intuentes; caveant tamen, ne ſpectando pugnantibus animum addant, ſatiuſque erit, averſis oculis tranſire, ſi malum impedire nequeant, 2. Conſtituto loco, & tempore pugnantes animo, ac pacto, ſe non lædendi, ſed honoris defendendi gratia; quia non eſt Duellum, ſed Duelli ſimulatio, omnique periculo vacans, graviter tamen eſt peccaminoſa, & in Foro externo pro Excommunicatis habentur, *Tourn.* 3. Ad locum pugnæ accedentes, non tamen pugnantes pœnitentia ducti, ſecus, ſi ab aliis fuiſſent impediti; incurrunt tamen excommunicationem, contra ſolum provocantes, latam.

Quær. 7. *Quid, & quotuplex ſit Schiſma?*

Reſp. Schiſma eſt voluntaria ſeparatio baptizati ab unitate Eccleſiæ, Capitiſ ſcilicet, ſeu membrorum ei ſubjectorum. Aliud eſt purum, quo quis totam Fidem conſervans, ſe a Capite ſeparat, vel ab ejus membris. Aliud conjunctum hæreſi, quod importat diſſenſum in Fide: hinc omnis Hæreticus eſt Schiſmaticus; non vero omnis Schiſmaticus eſt Hæreticus.

Quær. 8. *Quale Schiſma ſit peccatum, & quæ illius ſint pœnæ?*

Dico. Schiſma eſt ſpeciale, ac graviſſimum peccatum; quia præclariſſimum Charitatis vinculum rumpit; ejuſque pœnæ ſunt, 1. Excommunicatio Bullæ Cœnæ. 2. Inhabilitas ad Beneficia recipienda, aut conferenda; eſtque Beneficii collatio invalida. 3. Illicita Ordinum collatio, & a Schiſmatico ſcienter ſuſceptorum ſuſpenſio; quæ tamen pœnæ reſpectu puri Schiſmatici non ſunt latæ, ſed ferendæ ſententiæ; nec juriſdictione privantur Schiſmatici.

Hinc: eſt Schiſmaticus, 1. Summum Pontificatum uſurpans, Synodus generales ſine auctoritate convocans, verum Pontificem negans, Antipapam eligens, vel electum ſequens, vel ipſemet Papa a tota Eccleſia ſe ſeparans, ejuſque membra ſine ratione excommunicans, vel omnes

ejus

ejus cæremonias Apoſtolica traditione firmatas evertens. 2. Se expreſſe a Capite Eccleſiæ, vel ejus membris, ut ei unitis ſeparans, vel etiam proprio Epiſcopo, ut ſuo Paſtori Papæ unito, ſubeſſe, vel ejuſdem membris, ac Eccleſiæ etiam particulari communicare nolens in Religionis cultu, Oratione, Sacramentis, & aliis Spiritualibus. 3. Graviter peccat, non tamen eſt Schiſmaticus, Papæ in re gravi & juſta obedire detrectans, eo quod ſit res ſibi gravis, vel incommodo, vel in re Eccleſiam univerſalem non concernente, vel a majori parte Epiſcoporum tacite ſaltem non acceptata, vel non ut Paſtori univerſali Eccleſiæ, ſed tanquam Domino ſuo ſæculari, ſubeſſe recuſans.

Quær. 9. *Quid, & quotuplex ſit Scandalum?*

Reſp. 1. Scandalum, a S. Thoma definitur, *dictum, vel factum (vel dicti omiſſio) prabens alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis*; & eſt duplex, activum, quod eſt mox definitum, ſeu ipſa occaſio ruinæ ſpiritualis data. Aliud paſſivum, quod eſt, ipſa actualis ruina ſpiritualis.

2. Scandalum aliud eſt directum, quo quis expreſſe intendit proximum inducere in peccatum, ut ſolicitans puellam. Aliud indirectum, quo quidem aliquis non expreſſe, attamen ſcienter aliquid facit, vel dicit, quod aliis eſt occaſio peccandi. Paſſivum aliud eſt puſillorum, quod ex ignorantia, vel infirmitate accipientis oritur. Aliud phariſaicum, quod ex malitia accipientis naſcitur, ut Phariſæorum, Chriſti actiones, male interpretantium.

Quær. 10. *Quale peccatum ſit Scandalum?*

Dico. Scandalum paſſivum, eſt quidem, in re gravi grave peccatum, cum ſit actualis in peccatum lapſus, non tamen, ab ipſo lapſu, ſpecie diſtinctum, ac proinde non neceſſario in Confeſſione explicandum: Scandalum vero activum, ſeu occaſio peccati data, licet actu ruina in peccatum non ſit ſecuta, in re gravi eſt grave, ac ſpeciale contra Charitatem peccatum in Confeſſione exprimendum, quoad ſpeciem, & gravitatem mortalem, & numerum perſonarum, quibus ſcandalizans occaſionem peccati dedit; quia ipſi eſt culpabiliter voluntarium; cum illud impedire potuit, & ex Charitate debuit.

Hinc: graviter peccant peccato ſcandali, 1. mulieres, & puellæ ornatum ad laſciviam provocantem gerentes, vel nimium ſe denudantes, 2. Imagines, ſeu ſtatuas nudas

Digitized by Google

das facientes, aut palam exponentes. 3. Colloquia, cantilenas, ſcripta impudica, Fidei contumelioſa, moribus Chriſtianis contraria, ut ſunt libri hæretici, amatorii (gallice *Romans* dicti,) componentes, imprimentes, vel imprimi facientes, vel legendos ſubminiſtrantes. 4. Comœdias obſcœnas, vindictam, alioſve vitioſos affectus, ratione geſtuum, verborum, aut factorum inſinuantes componentes, agentes, ſua præſentia approbantes, ſolutione, aliove modo cooperantes. 5. Graviter peccat peccato ſcandali, per leve etiam peccatum, vergens, in grave proximi damnum ſpirituale, uti eſt correctio rei levis a Superiore ſæpe neglecta, oſculum mulieris, juxta patriæ conſuetudinem, cum probabili prævifione, impuræ delectationis voluntariæ recipientis, convitia levia, ac vexationes, etiam ſolius joci cauſa dictæ, quibus proximus ita fatigatur, ut in blaſphemias, graveſque contumelias prorumpat. 6. Graviter peccat, non tamen peccato ſcandali blaſphemans, vel aliud grave peccatum coram ita religioſo, & firmo committens, ut non ad idem vitium moveri, ſed potius contra illud indignari ſoleat, vel coram ita perverſo, ut iiſdem vitiis jam aſſuetus, vel actu in iis ſit comprehenſus, ut blaſphemans cum blaſphemantibus, turpiter loquens cum turpiter loquentibus, peccans, coram proxime diſpoſito, ad idem peccatum ſine alterius actione, probabiliter committendum.

Quær. 11. *Quomodo ſcandalum phariſaicum, ac puſillorum ſit vitandum?*

Dico. Scandalum phariſaicum nemo per ſe evitare tenetur, dimittendo bonum temporale notabiliter utile, vel omittendo actiones bonas, aut indifferentes, modo rationabilem illas ponendi cauſam habeat, abſque cauſa enim præbere proximo occaſionem peccati, etiam ex malitia peccanti, non licet, ſed ſicut peccatum proximi correctione fraterna, ita etiam omiſſione actus non neceſſarii, vel valde utilis, impedire tenemur: ſcandalum vero puſillorum ſaltem per accidens evitare tenemur 1. illud tollendo admonitione, vel inſtructione, qua facta jam videtur malitia eſſe, *S. Thom.* 2. Si tamen ſcandalum, ut abſolute contingere poteſt, pergat eſſe effectus infirmitatis, tenemur illud evitare, dimittendo bona temporalia propria, ſine magna tamen eorum jactura, *Sylvius*; non vero aliena, Eccleſiæ, ſeu pupillorum, &c. 3. Omittendo, vel diſ-

differendo actus indifferentes, vel etiam bonos, de Conſilio; imo etiam de Præcepto affirmativo Naturali, & poſitivo Divino, vel Humano, ſi prudentum judicio nati ſint, infirmis omnibus ſcandalum parere, vel probabiliter parturi, prævideantur; non vero, quando ſolum generatim loquendo, & indeterminate poſſent eſſe occaſio ruinæ; quia alias intollerabile eſſet onus; innumeriſque ſcrupulis cauſa; nec ad evitandum ſcandalum puſillorum, omittenda ſunt de neceſſitate medii, vel Præcepti naturalis negativi, quorum omiſſio eſt intrinſece mala; quia *non ſunt facienda mala, ut eveniant bona.*

Hinc: graviter peccat, abſque neceſſitate, gravique cauſa, petens mutuum ab uſurario, juramentum a perjuro, Miſſam a malo Sacerdote; non vero licet mulieri abeſſe a Miſſa in Dominica ad evitandas mariti rixas, blaſphemias, &c.; vel ſi ſe ab alio turpiter concupiſcendam prævideat; nec ſilere peccatum, ex cujus declaratione, Confeſſarium lapſurum prævidet; quæ ſunt ſcandala phariſaica potius, quam puſillorum, & non evitanda: attamen ſi vere eſſet ſcandalum puſillorum probabiliter futurum, Miſſa in Dominica ſaltem aliquando eſſet omittenda, & peccatum ſuppoſita neceſſitate Confeſſionis, & tali Confeſſario faciendæ, pro alia Confeſſione differendum, *Thom. ex Charm.* ſimiliter omittenda, vel differenda eſt correctio peccatorum ob graviora peccata, rixas, diſſentiones, &c.; etiam ex malitia inde ſecutura; quia magis obeſſet, quam prodeſſet; item ingreſſus filiifamilias in Religionem, ſaltem ad breve tempus ob patris blaſphemias, differendus; honeſtæ mulieri ad breve ſaltem tempus, ab ornatu honeſto, abſtinendum, quo probabiliter alteri occaſionem lapſus; eſt præſtitura; non tamen ſcrupuloſe dubitare, ſed quemlibet bonum æſtimare debet; alias vix publice comparere poſſet; ſic etiam bona Eccleſiæ, poſſunt relinqui tyranno, ne plebem a fide retrahat, ſchiſma excitet, &c. non poteſt tamen peccatum leve ſuaderi, ut evitetur grave, bene autem omiſſio majoris, non vero amplexio minoris: ſic non poteſt ſuaderi fornicatio, ut evitetur adulterium, nec furtum vituli, ne accipiat vaccam, excuſatur tamen a reſtitutione, ſi alias vaccam accepiſſet.

Quær. 12. An liceat peccato proximi cooperari?

Dico. Non licet alterius peccato cooperari vendendo, commodando, &c. vel dando aliquam rem etiam bonam, vel

vel indifferentem; vel operam ei, qui illa probabiliter eſt abuſurus ad peccatum, ſi ſine gravi damno negari poteſt: attamen ſi ſpectatis circumſtantiis proxime ad peccatum non concurrat; non peccat, 1. ſi deſit prava intentio peccato cooperandi. 2. Si non ſit abuſurus contra Reipublicæ, vel Eccleſiæ bonum, vel in præjudicium tertii; niſi ipſemet ex ejus negatione timeat damnum, ante tertii damnum præcavendum. 3. Si non ex officio teneatur impedire malum; ut Superior, vel Magiſtratus, &c. 4. Si peccatum æque eſſet futurum, ſi fuiſſet negata. 5. Si fiat rationabili cauſa, quæ gravior, aut levior eſſe debet, quo gravius peccatum, & quo certius eſt, te non cooperante, alterum non eſſe peccaturum.

Hinc: graviter peccat; vendens res, quæ ordinarie ad malos uſus ſolent adhiberi, niſi de bono uſu conſtet, ut venenum, vel idolum pagano. 2 Vendens gladium, in damnum tertii, probabiliter uſuro; vel arma Turcis, contra Eccleſiam pugnaturis. 3. Caupo in die jejunii, cœnam apponens, bene pranſis, nec diſpenſatis; vel carnes contra Præceptum Eccleſiæ, probabiliter manducaturis, vel vinum ſe inebriaturis. 4. Famulus, hero, alterum occiſuro, gladium afferens; meretricem in domum introducens; literas amatorias ſcienter deferens; ſubmiſſis humeris, herum per feneſtram aſcendentem, ad ſtuprandum adjuvans, vel ſcalam ei deferens ad furandum, etiamſi id faciat metu notabilis detrimenti; puta, ne a Domino male tractetur, torvis oculis aſpiciatur, e domo expellatur, *Innoc. XI. in damnat. Prop.* 51. 5. Peccat, pro gravitate rei, paterfamilias, ex induſtria, præbens filio, vel ſervo, occaſionem furandi, pecunias deponendo in certum locum; ut eorum probet fidelitatem, vel domum locans meretricibus, etiamſi alii adeſſent iis locantes, niſi domus in ea parte eſſet civitatis, in qua a Magiſtratu tolerarentur. Vide infra de locatore. Excuſantur tamen a peccato 1. opifices, mercatores, &c. Vendentes aleas, fucos, chartas, gladios, licet generatim plurimi iis abutantur, modo non certo moraliter ſciant, eum, cui vendunt, velle iis abuti. 2. Caupo militi furioſo, vinum ad ebrietatem, eo abuſuro ſuppeditans, vel mulier marito furioſo, ſi ſine damno vitæ, incendii, blaſphemiarum, execrationum, negare nequeant; quia ſunt peccata ebrietate graviora. 3. Famulus exhibens Domino obſequia, ratione famula-

mulatus debita, ut eunti ad lupanar, ſternens equum, aperiens januam, &c. quæ tamen alteri, qui non eſt ipſius famulus, non eſſent licita. 4. Paterfamilias non ex induſtria, occaſionem furandi filio præbens, ſed illam non auferens, ut deprehenſus corrigatur, & plura furta exitentur, ſi non ſit alia corrigendi aptior via. 5. Deprehendens ſervum in furto occulto, vel uxorem in adulterio, utriuſque permittens conſummationem, ut teſtes habere, rem ſuam recuperare, divortium obtinere poſſit, ſi aliter id fieri nequeat. 6. Sponſa contrahens cum ſponſo, quem ſcit in mortali Sacramentum accepturum, Sacerdos adminiſtrans Euchariſtiam peccatori occulto, publice petenti; quia in his caſibus non cenſentur proxime cooperari peccato; ſed contra ſuam intentionem, juſta, & gravi ex cauſa, illud fieri permittunt, ut communiter docent Theologi, quamvis hæc non omni careant difficultate.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS V.

De virtute religionis.

Hic Tractatus dividitur in duas Quæſtiones, 1. eſt de Actibus internis, ac externis Religionis, 2. de vitiis Religioni oppoſitis.

QUÆSTIO I.

DE ACTIBUS INTERNIS, ET EXTERNIS RELIGIONIS.

Quæritur. 1. Quid ſit Religio, & quodnam ſit illius objectum, & quinam ejus actus?

Dico. Religio eſt virtus moralis, per quam Deo, tanquam primo rerum omnium principio, cultus debitus exhibetur. Objectum ejus materiale, eſt cultus Deo conveniens, & formale prout eſt debitus ob ſupremam ejus excellentiam; Actus vero ejus interni ſunt Devotio, & Oratio; & externi ſunt Adoratio, Sacrificium, Oblationes, & Decimæ, Votum, Juramentum, & Adjuratio.

Quær. 2. Quid ſit Devotio, ac Oratio; & quotuplex ſit Oratio?

Reſp. 1. Devotio eſt volitio efficax tradendi ſe prompte ad ea, quæ pertinent ad Cultum Dei; cujus effectus ſunt, lætitia ſpiritualis, ex conſiderationis infinitæ Dei Bonitatis proveniens, & triſtitia ex meditatione noſtræ infirmitatis, & exilli a cœleſti patria procedens.

2. Oratio eſt actus Religionis, quo res decentes a Deo poſtulamus, vel abſolute, ſi per ſe ad ſalutem conducant,

Digitized by Google

ut Gratia, Virtutes, &c. vel conditionate, ſi nobis ſint ſalutaria, ut bona temporalia. Oratio alia eſt mentalis, quæ fit ſola mente, ut Meditatio, quæ eſt veritatis inveſtigatio, ad concipiendum devotionis ſervorem; & contemplatio, quæ eſt mentis in Deum ſuſpenſæ elevatio. Alia vocalis, quæ ſimul ore exprimitur; & hæc, vel eſt publica, quæ fit a communitate, ſeu a perſona publica, nomine communitatis; vel privata, quæ fit a perſona privata, eſtque prior præſtantior.

Quær. 3. *Quænam requiratur ad Orationem præparatio, & quænam conditiones, ut ſit efficax?*

Dico. Ut Oratio pie fiat, requiritur, 1. præparatio remota, conſiſtens in accurata Legis obſervantia, & proxima, conſiſtens in auxilii Dei imploratione, aliarumque curarum, ac cogitationum depoſitione. 2. Requiritur attentio ad ſenſum, vel ad Deum, ſaltem virtualis; ut autem ſit efficax, debet fieri, 1. pro ſe. 2. Pro rebus neceſſariis, vel ad ſalutem conducentibus. 3. Pie. 4. Perſeveranter.

Quær. 4. *Quomodo Oratio ſit neceſſaria?*

Dico. Oratio adultis eſt neceſſaria, neceſſitate medii; quia Gratia, quæ medium eſt, ad ſervanda Dei Mandata, neceſſarium, ordinarie ſine Oratione non datur; & neceſſitate Præcepti, prout indicat Chriſtus, Matthæi 26. dicendo: *Vigilate, & orate*. Non tamen obligat vi Præcepti ſemper, & pro ſemper, ſed ſæpius in vita, ut docent communiter Theologi. Per accidens vero obligat 1. dum aliud Præceptum implendum exigit Orationem, ut Horarum Canonicarum recitatio, pœnitentia a Confeſſario impoſita, obligatio audiendi Miſſam, ſuſcipiendi Sacramenta, redeundi per contritionem ad juſtificationis Gratiam. 2. Dum grave imminet mortis periculum, præcipue ſi quis eſſet in peccato mortali; vel ſi aliud magnum inſtet communitati periculum, vel alia ad ſalutem neceſſaria, eſſent petenda. 3. Tempore gravis tentationis, quæ ſine Oratione non poteſt vinci. 4. Quando etiam juxta Apoſtolum 1. *Tim.* 2. 1. fieri debet pro omnibus hominibus, exceptis damnatis; non ſolum autem vocalis, ſed etiam Oratio mentalis, ſeu meditatio, prout eſt ſtudioſa mediorum Salutis, inveſtigatio, omnibus eſt neceſſaria; præcipue vero Clericis, ac Religioſis; *Tourn.*

Hinc: graviter peccant 1. Orationem notabiliter, & cum periculo in gravia labendi peccata, negligentes, & per

per totam hebdomadem non orantes vix a mortali excuſari poſſunt, *P. Paulus Lugd.* 2. Petentes orando rem malam, vel indifferentem abſque ulla ad debitum finem relatione, ut lucrum, ludendo ſolius lucri intuitu; quia res non bona, eſt mala in individuo; Deum autem mali, etiam levis auctorem, vel adjutorem conſtituere, Deo graviter eſt injurioſum, niſi inadvertentia ad gravem Dei injuriam eos excuſet.

Quær. 5. Quid, & quotuplicis generis ſint Decimæ?

Reſp. 1. Decimæ ſunt pars decima fructuum, ac proventuum, quæ quotannis Eccleſiæ Miniſtris ſolvitur; quarum aliæ ſunt prædiales, quæ etiam reales dicuntur, quæ ſolvuntur ex omnibus terræ fructibus, non deductis impenſis; aliæ perſonales, quæ ex induſtria perſonæ ſolvuntur, deductis impenſis. Aliæ mixtæ, quæ proveniunt, partim ex induſtria, partim ex prædiorum fructibus, ut animalium fœtus, eorumque fructus, ut lac, caſeus, butyrum, lana.

2. Prædiales aliæ ſunt majoribus, quæ ex majoribus percipiuntur fructibus, ut frumento, ſiligine, hordeo, avena, vino, & oleo, *Tourn.* Aliæ minores, quæ ex rebus minoribus percipiuntur, ut fabis, piſis, lentibus, milio, ciceribus, lino, cannabe, rapis, lepis, lana, caſeo, butyro, &c. ad minores etiam revocantur, quæ prodeunt ex animalium partu, agnellis videlicet, vitulis, ſuculis, pullis &c. quæ etiam carnatica dicitur (*gallice de charnage*,) ibid.

3. Aliæ ſunt antiquæ, quæ ſunt ex terris jam antiquitus cultis. Aliæ novales, quæ ſunt ex terris nunquam, vel ultra hominum memoriam cultis, quæ proprie novalia ſunt, vel quæ ex terris olim cultis, ſed longo tempore ſine cultura relictis, quæ proprie renovata dicuntur, vel minus proprie, quæ ſunt ex terris, quæ olim fructus, ſed a decimis immunes ferebant, nunc vero mutata ſpecie, decimales pariunt. Aliæ ſunt ſtricte Eccleſiaſticæ, quæ juxta primævam ſuam inſtitutionem, Clericis hodiedum intuitu ſpiritualis ipſorum Miniſterii ſolvuntur. Aliæ temporales, ſeu laicæ, aut feudales, quæ a Laicis uſurpatæ, vel in eos juſtis de cauſis translatæ ſunt. His notatis.

Quær. 6. Quo jure, & quibuſnam Decimæ ſint debitæ?

Dico, Decimæ in Nova Lege quoad ſubſtantiam, quatenus

tenus ſunt ſtipendia Miniſtrorum Eccleſiæ, omni Jure debentur, Naturali videlicet, Divino, Eccleſiaſtico, ac Civili; quia ab omni Jure ipſis adſcribuntur, & dignus eſt operarius mercede ſua; quoad determinationem vero decimæ partis, vel minoris, vel majoris debentur Jure Eccleſiaſtico, vel conſuetudine; quia pars quotæ ab Eccleſia, vel uſu fuit determinata: & ſunt actus Religionis, quatenus in teſtimonium univerſalis Dei dominii offeruntur; & actus juſtitiæ, quatenus Eccleſiæ Miniſtris, propter eorum munia, ſolvuntur, ipſiſque ſolis, & quidem jure moderno Parochis debentur, *Innoc. III.*; niſi obſtet contraria conſuetudo, vel ab Eccleſia in Feudum propter obſequia Eccleſiæ exhibita, vel exhibenda, vel ob munus, ut pro cantu &c. Laicis ſint conceſſæ, & ab iis nomine Eccleſiæ percipiantur. Decimæ ex Jure communi ab omnibus ſolvi debent, & ex omnibus bonis, etiam novalibus, ac renovatis, agris, prædiis, vineis, arboribus &c. animalibus, molendinis &c. negotiatione, opificio, militia &c. *ita in Jure*. Jure vero municipali, diverſæ introductæ ſunt, decimandi conſuetudines, quoad bona, fructus, tempus, locum, & quotam, quibus ſe conformare licet, *Tourn. Bill. & alii*; quia quamvis materialiter ſumptæ pro legitimo Miniſtrorum ſtipendio præſcribi nequeant; poſſunt tamen præſcribi formaliter, & ſumptæ pro certa certorum fructuum portione, & quoad alias circumſtantias, niſi ubi Decimæ, Lege poſitiva præſcribi prohibentur, ut in Regnum Galliæ, excepta in quibuſdam locis quota, & in quibuſdam etiam præſcribuntur quoad ſubſtantiam, ſuppoſita aliunde ſufficiente Miniſtrorum ſuſtentatione, *Tourn.*; quia Jure Naturali, ac Lege nova tantum Miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentatio præcipitur; ac debent ſolvi ante campi partum (*Gallice Champart*) Dynaſtæ, vel domino fundi debitum, *Conc. Latr. Heric. Pont. & alii*; quia antiquiores ſunt cenſuali quocunque Jure, *Heric. Forget*; & prædiales debentur non deductis impenſis laboris, ſeminis, &c. *ita communis*.

Hinc: 1. Decimas ſolvere tenentur 1. omnes laici, ſive Chriſtiani, ſive Hæretici, Pagani, Judæi, *Innoc. III.* ſi bona poſſideant in territorio, juriſdictioni ſpirituali alicujus Eccleſiæ ſubjecto; quia eſt onus annexum rei, pro ſtipendio Miniſtrorum, talis Eccleſiæ: nec ipſi pauperes, exempti ſunt, quia debentur ex juſtitia commutativa, ut ſtipen-

ſtipendium Miniſtrorum Eccleſiæ, niſi ex charitate ob extremam, vel urgentem inopiam eſſent remittendæ; ſed tunc ab iis in ſcriptis petatur, eos nullum inde jus emptionis velle acquirere, *Tourn.*; vel poſt earum perceptionem iis per modum Eleemoſynæ reſtituantur; & debent ſolvi jure moderno Parocho, in cujus limitibus prædia exiſtunt; quia Decimæ ſunt onus rebus inhærens; niſi aliter ſit conſtitutum, vel uſu introductum, ut ſi una parochia in plures ſubdividatur, poteſt matrix in parochia noviter erecta, vel filiali, Decimas percipere, niſi Epiſcopus noviter erectæ, eas pro portione congrua, aſſignaverit, *S. Congr. Concil. Trid.* 1617. *Fagnan. Reiffenſtuel*, *& alii*. 2. Epiſcopi, Parochi, ac alii Clerici ex bonis proprio jure, ac titulo temporali poſſeſſis, ut hæreditate, emptione &c. quia quoad hæc, ratione Decimarum, ejuſdem ſunt conditionis, ac laici; non vero tenetur Epiſcopus de bonis menſæ Epiſcopalis (*gallice menſe*) *Tourn.*; nec Parochus ex fundis ſuæ parochiæ annexis, etiam in alia Parochia ſitis, nec alii Clerici quoad bona ſui Beneficii, *Paſch. II.*; quia levitas a levitis decimas accepiſſe non legitur, *Tourn.* niſi Beneficia dotata eſſent ex prædiis, Decimis jam antea, cuidam Eccleſiæ, obnoxiis, *Fagnan. Barboſa & alii*; quia res tranſit cum onere ſuo, & Eccleſia prior non debet ſpoliari jure ſuo jam acquiſito, ut conſulatur alteri, niſi illarum compenſatio fiat, vel privilegium a Papa fuiſſet conceſſum. 3. Regulares etiam exempti, *Alex. IV. Concil. Later. ann.* 1215. ſi non privilegio, & in Gallia Regis diplomate confirmato, exempti ſint, quale Ordo Melitenſis, & alii habere prætendunt, *Tourn. Bill.*; niſi fecerint conventionem cum decimatore, vel fundus earum præſcriptione 40. annorum non privilegiatis eſſet alienatus, *Tourn.*; quia privilegia perſonis, non rebus inhærent, & tunc ſolvendæ ſunt ei, qui ante privilegium eas perceperat, *Heric.*

Hinc 2. duplex committunt peccatum, irreligionis videlicet, & injuſtitiæ, Decimas defraudantes, deteriores portiones aſſignantes, vel non quando, & ubi eas juxta loci conſuetudinem debent, ſolventes, ac decimatori impenſas inutiles cauſantes; quia Deo ex Religione, & Miniſtris ejus ex juſtitia ſunt debitæ, & tenentur ad reſtitutionem, *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *de Reform. cap.* 12.

quia ſunt injuſti damnificantes, & quamvis in Gallia Decimarum reliquationes (*gallice arrerages*) locum non habeant, ac elapſo ſemel fructuum perceptorum anno, Decimæ in judicio exigi nequeant, in conſcientia tamen ad illarum reſtitutionem obligantur, *Tourn.* 2. Vendens gregem ex odio Parochi, paulo ante tempus tonſionis, vel fœtuum extra parochiam; vel ſordidi quæſtus gratia, in loco, ubi non vigent pecudum Decimæ, videtur obligari ad reſtitutionem Parocho; quia in fraudem egiſſe cenſetur, cujus ſignum eſt, ſi ſolum partui proximas vendiderit, vel clanculum id fecerit; ſecus ſi palam in foro, vel ex aliqua neceſſitate eas vendiderit, quamvis incola loci, ubi non vigent Decimæ, vel alienæ Parochiæ eas emerit, *Tourn.* 3. Pecudes ad paſtum ducentes, nondum ſublatis Decimis, cum notabili Decimatoris damno, modo Decimæ non ultra triduum in agris fuerint relictæ, *Hericourt.*; quia non cum nimio debitorum onere decimatori ſavendum. Nec licet meſſes de nocte transferre, relictis Decimis in agro. *Hericourt.*

Hinc 3. Graviter peccat Parochus, non exigens Decimas ſibi debitas, prout etiam ſunt novalium cum notabili ſui juris, ac ſucceſſoris præjudicio; quia ad earum præſcriptionem, ac varias impenſas occaſionem præbet, niſi novalium Decimæ a Rege, vel a Papa aliis fuerint conceſſæ, prout Ludov. XIV. variis conceſſit, vel niſi pro animandis agricolis, vel extraordinariis impenſis reſarciendis ex conſuetudine fuiſſent remittendæ primis quibuſdam annis, quibus terræ ſteriles de novo coluntur, vel aquis perviæ aggeribus cinguntur; non poteſt tamen Parochus exigere Decimas, ubi conſuetudo eſt generalis, ac legitima. in toto, vel in certis ſpeciebus non decimandi; quamvis ipſius prædeceſſores aliquando, eas exigere tentaverint, *Tourn. Pont.* quia Decimæ ſaltem formaliter, & quoad certam certorum fructuum portionem, præſcribi poſſunt, etiam a laicis, poſſeſſione ſaltem immemoriali, *Dunod.* non tamen in Gallia, niſi in quibuſdam locis, quoad ſubſtantiam quidem, & in quibuſdam aliis, quoad quotam duntaxat, a laicis præſcribuntur, ut in comitatu Burgundiæ, *Tourn.* nec ſi neceſſaria propterea deficeret Miniſtrornm Eccleſiæ ſuſtentatio. Nec poteſt exigere Decimas, ſi fuerint legitima auctoritate in feudum alteri datæ, vel ſuæ Eccleſiæ in feudum iterum

tra-

Digitized by Google

traditæ, vel non per ſe, & ſimpliciter, ſed ut cum prætio temporali connexæ, quia manent feudales, ac laicæ, quæ præſcribi poſſunt ut bona patrimonialia, *Alex. III.* quia illorum conditionem habent; & poſſunt emi, vendi &c. *Heric.* niſi loci conſuetudo obſtet, *ibid.* Secus ſi reverſæ fuerint ad ſuam Eccleſiam pure, & ſimpliciter; quia tunc ad primigeniam ſuam inſtitutionem, ac naturam redeunt, & ſicut aliæ decimæ, pure Eccleſiaſticæ, in Gallia, nulla etiam immemoriali poſſeſſione, præſcribi poſſunt a laicis; *Tourn. Dunod.*; quia ſæpe ita in Gallia judicatum eſt, quando conſtat, fuiſſe pure Eccleſiaſticas poſt Concilium Lateranenſe; & ſi vendantur Eccleſiæ, non ſubjacent retractui gentilitio, gallice (*droit de retrait*) & non poſſunt a propinquiori conſanguineo retrahi, nec pro illarum poſſeſſione licentia Regis requiritur, *Tourn.*; vel ſi fuiſſent præſcriptæ ab alia Eccleſia, & quidem non parochiali poſſeſſione 40. annorum cum titulo, vel ſine illo poſſeſſione immemoriali; *Tourn.* ex Bonifac. VIII. & a parochiali contra parochialem, juxta probabiliorem, etiam poſſeſſione 40. annorum cum bona fide, etiam deficiente titulo; quia hæc ordinarie requiritur contra Eccleſias, Monaſteria &c. Alex. III. 2. Nec poteſt illas exigere a privilegiatis a Papa, prout ſunt multi Regulares, ac Beneficiarii ſimplices ut ſupradictum eſt. Nec facta tranſactione, compromiſſo, permutatione cum licentia Superioris, & formalitatibus, pro alienatione bonorum Eccleſiaſticorum requiſitis, quibus deficientibus, nullius ſunt in Gallia momenti quoad ſucceſſores, non obſtante quacunque poſſeſſione, hominum etiam memoriam excedente, quamvis tales tranſactiones de certa granorum, vel pecuniæ quantitate, ligare poſſint privatim tranſigentes ad dies vitæ. 3. Nec poteſt exigere Decimas ex hortis communibus, nec ex arboribus fructiferis, in terra frumentaria, exiſtentibus, etiamſi ex aliis arboribus Decimas accipiat, niſi ubi alia conſuetudo invaluit, *Tourn.* bene autem, ſi fundus arabilis, vel vinea, muro ſit circumcluſa, vel ex fundo ſepto leguminum duntaxat feraci; ſi magna terrarum pars prius Decimis obnoxia in eo ſit concluſa, *Tourn.* poteſtque Decimas accipere, quamvis bona ex uſuis eſſent empta, *S. Thom.*; quia fructus non ſunt ex uſura. 4. Nec ex agris incultis, quia Decimæ non debentur ratione fundi, ſed ratione fructuum,

 niſi

Digitized by Google

niſi facta fuiſſet conventio cum Decimatore, de certa ſumma ſingulis annis ſolvenda; ſi tamen ager chaſmate, vel aquis periiſſet, ad nihil tenetur; poteſt tamen ſecluſa conventione, a Magiſtratu obtinere licentiam, colendi aliquos incultorum, pro ratione portionis ſibi, pro Decimis debitæ, & pro impenſis culturæ, non tamen ſimul ex iis Decimas exigere, ſi eos alteri locet, *Pont.*; quia portionem fructuum pro illis accipit. Nec poteſt Decimas exigere, facta fructuum fundi converſione, in alios non decimabile ſecluſa fraude, notabili damno, vel conſuetudine, *Tourn.* quia, cum facta mutatione ſpeciei non decimabilis, in decimabilem, Decimæ debeant ſolvi, etiam vice verſa liberatur eas, permutans in ſpeciem non decimabilem. Nec poteſt injuſte neganti Decimas vim inferre, *Nav. ac alii communiter*; quia nullam fori externi habet juriſdictionem; nec propterea poteſt negare Sacramenta; *Tourn.* quia forte ſe non obligatos credunt, nec poteſt eſſe judex in propria cauſa: ſi tamen manipuli omnes, ante Decimarum ſolutionem eſſent ſublati, poteſt ad Judicem habere recurſum, quia licet in petitorio ſit Eccleſiaſticus, in poſſeſſorio tamen eſt ſæcularis, *Tourn.* & ab eo manipulorum confiſcationem cum carris, & equis in ſuum commodum obtinere. *Edict. Meldun.* 1759. *art.* 29. 5. Si plures jus Decimarum habent in eodem fundo, Parochus, v. g. & alius Decimator, penes Parochum erit electio, *Tourn.* quia jure antiquiore gaudet: ſi pluries in eodem anno ex eodem fundo, prodeant fructus, pluries debentur decimæ, *Tourn.*; niſi alia ſit conſuetudo. Nec tenetur Decimator, pullos adhuc lactantes, antequam ad uſus ordinarios ſervire poſſint, & lacte matris adhuc indigentes, recipere, *Forgetus*. Nec poteſt meliores, aut pinguiores exigere, nec macilentiores colonus offerre; quia *Maledictus, qui immolat debile domino*, *Malach.* 1. 3. Si Decimator, agnos vel alia animalia decimalia elegerit, pereunt Decimatori, præſtito juramento a Colono, non ſua culpa periiſſe, ita cenſuit Curia Pariſienſis. 6. Si greges agnorum intra limites unius parochiæ paſcuntur, & in alterius pernoctant, ei Decimæ ſolvi debent, in cujus territorio pernoctant, præcipue hyemali tempore; ſi in duobus locis habitent, Decimæ dividantur, ſi plus in uno, quam in alio, diviſio fiat, ſervata proportione temporis, *Forget.* niſi in prædictis alia

ſit

ſit conſuetudo, quia etiam quoad tempus, & numerum ſervari debet; & ſi numerus animalium illius anni non ſit ſufficiens, fiat illorum æſtimatio, vel jungatur partus anni præcedentis, cum partu anni ſubſequentis, *Duperrai*; idem dicendum de faſcibus, ſi poſtremi ad numerum a lege, vel conſuetudine conſtitutum non aſſurgant, jungendi ſunt cum faſcibus alterius campi, ad eundem dominum pertinentis, ſin autem etiam ex his remaneat numerus inſufficiens, fiat illorum æſtimatio, *ibid*.

Quær. 7. Quid, & quotuplex ſit votum?

Reſp. 1. Votum definitur promiſſio deliberata, & ſpontanea, Deo facta, de meliori bono, ac poſſibili.

2. Votum aliud eſt reale, quo Deo res temporalis, vel actio per alium exercenda promittitur, ut calix, vel peregrinatio. Aliud eſt perſonale, quo proprius voventis actus, Deo promittitur, ut ingreſſus Relgiouis, & bonorum in pauperes diſtributio. Aliud eſt ſolemne, quod ab Eccleſia approbatum; & in perpetuum acceptatum eſt; ut profeſſio religioſa. Aliud ſimplex, quod non eſt in perpetuum, nec ab Eccleſia acceptatum, ut Vota ſcholarium Societatis Jeſu, quod ab Eccleſia non in perpetuum eſt acceptatum, & quæcunque alia Vota. Aliud eſt abſolutum, quod fit ſine ulla conditione. Aliud conditionatum, quod fit ſub aliqua conditione. Aliud pœnale, quod fit ſub conditione pœnæ, ut, ſi luſero, dabo Eleemoſynam. Aliud temporale, quod durat ad tempus. Aliud perpetuum, quod durat ad vitam voventis. Aliud expreſſum, quod expreſſis fit verbis. Aliud implicitum, quod officio, vel dignitati eſt annexum, ut caſtitas Ordinibus ſacris.

Quær. 8. Quænam ſint conditiones ad Votum requiſita?

Dico. Ad Votum ſex requiruntur conditiones, nempe 1. ut ſit promiſſio, & non propoſitum. 2. Animo ſe obligandi ſub peccato facta. 3. Cum advertentia, libertate, ac voluntario directo pro peccato mortali alias ſufficiente; voluntarium enim indirectum, ſeu in cauſa, licet ſufficiat pro peccato mortali non tamen placet Deo ad bonum. 4. Abſque errore circa ſubſtantiam rei promiſſæ, vel cauſam finalem motivam, ſine qua non voviſſet, & abſque metu injuſte in hunc finem incuſſo. 5. Deo, & non ſolum Sanctis facta. 6. De bono, omnibus ſpectatis, meliori, Deoque acceptiori, quam ejus oppoſitum, & poſſibili moraliter.

Hinc:

Hinc: non obligatur Voto 1. promittens Deo in Confeſſione emendationem, vel dicendi quotidie certas preces, niſi intentionem ſub peccato ſe obligandi, vel Deo vovendi habuerit, cum cognitione obligationis Voti; quia cenſetur pium tantum eſſe propoſitum. 2. Vovens ſemiplena ſolum advertentia, pro veniali duntaxat peccato ſufficiente, ut in ſemiſopito, ſemiebrio, vel ex ſubito motu, rationem præveniente, aut in pueris plenum rationis uſum, ut ante ſeptennium, nondum habentibus. 3. Vovens in ebrietate, quamvis Votum præviderit, vel vovens metu perpetuæ incarcerationis, privationis bonorum, aliove gravi metu in hunc finem incuſſo; obligatur tamen Voto cum intentione virtuali diſtracte vovens, vel metu naufragii, aliave cauſa naturali; nec excuſatur ab ejus obligatione, licet ſtatim eo emiſſo doleat, vel illud retractet. 4. Nec tenetur voto, qui vovit calicem, quem putavit argenteum, qui tamen eſt aureus, vel Religionem, in qua plurima ſunt jejunia; cum tamen bona, vel mala fide ei dictum fuerit, in ea non eſſe crebra; vel ſi voverit ſolum Sanctis, & non ſimul Deo. Poteſt tamen obligari vi promiſſionis; quia promiſſio Sanctis facta, videtur æquæ obligare, ac hominibus facta. 5. Vovens rem vanam, ac inutilem, aut indifferentem ex objecto, ut ambulandi quotidie in horto, habendi domeſticum Italum, vel rem bonam, ſed fine malo, ut Eleemoſynam pro felici ſucceſſu in furto, peregrinationem piam, ut vincat, & occidat alterum in duello, vel ex fine indifferente, ut jejunium, ut lucretur ludendo, vel rem venialiter, vel mortaliter malam, & hoc utrumque eſt mortale, ſicut ſi fiat fine malo, ſi attendat ad gravem Dei injuriam; quia facit Deum auctorem peccati. 6. Non tenetur Voto nubendi, niſi ob circumſtantias, vel ob finem eſſet melius cœlibatu, ut ad evitandam incontinentiam, vel ex miſericordia docendi pauperem, vel data fide de matrimonio, eaque cognita, ut ab infamia eam liberet. Valet tamen Votum de re bona, licet emiſſum affectum malo, ut vovens ex ira Eleemoſynam pauperi, vel peregrinationem, ut furto deprehendatur, vel ne duello pereat, vel ut ex concubina filium acquirat, vel ob finem ſolum indifferentem ex parte voventis, v. g. vovens Religionem, ut latius vivat, a labore liberetur. 7. Non valet Votum tota vita non peccandi venialiter, quia ſine ſpecali Dei pri-

privilegio moraliter eſt impoſſibile; bene autem evitandi unum, aut alterum veniale. 8. Qui non poteſt præſtare totum, quod vovit, tenetur ad partem, ſi totum, & partes diviſim voverit, ſic qui non poteſt centum aureos ſolvere, quos vovit, tenetur ſolvere decem, quibus poteſt carere; qui vovit jejunium per menſem, ſi non poteſt jejunare per aliquos dies, tenetur ad reliquos; qui vovit ædificare Eccleſiam, ſi non poteſt totam ædificare, non tenetur ſolum ad fundamenta ponenda; quia non diviſim, ſed collective vovit, niſi forte alius reliquum vellet perficere. 9. Qui non poteſt acceſſorium Voti præſtare, tenetur ad ſubſtantiam, niſi deficiente acceſſorio, principale fieret ita difficile, ut ſolitarie non voviſſet; ſic qui non poteſt ire Romam nudis pedibus, tenetur ire calceatis; qui vero vovit per rhedam, non tenetur ire pedeſter Romam: qui non poteſt principale, nec tenetur ad acceſſorium; ſic qui non poteſt ire Romam, non tenetur impenſas in via faciendas dare pauperibus. 10. Qui vovit virginitatem ſumptam pro primo actu, quo amittitur, ea amiſſa ad nihil amplius tenetur vi Voti, bene autem, ſi voviſſet abſtinentiam ab actibus venereis; qui poſt Votum caſtitatis conſummavit matrimonium, vel conſummato matrimonio vovit caſtitatem, tenetur ſervare id, quod poteſt, videlicet nec exigere debitum, nec reddere, ſi compars jus petendi amiſerit, & a ſecundis abſtinere nuptiis. 11. Qui vovit dare equum, vel bovem, mortuo uno nondum facta electione, tenetur dare alterum, vel pretium illius, qui periit, *Bonac.*; quia illum potuiſſet eligere. Si autem unus perierit ante Votum emiſſum, ad nihil tenetur, *Tourn.*; quia, cum non potuerit eligere tempore Voti, fuit de impoſſibili reſpectu voventis, ac proinde invalidum ab initio, vel ſi petierit facta electione illius, qui periit, etiam ad nihil tenetur, niſi propria culpa periiſſet; quia tunc videtur obligari ad illius pretium. 12 Vovens prioris Voti immemor aliud cum eo incompatibile, tenetur ad melius, & ſi ſint æqualia, ad prius.

Quær. 9. *Quænam ſit obligatio Voti?*

Dico. Gravis, eſt in materia gravi, Voti obligatio, & levis in materia levi; ea autem materia Voti eſt gravis, quæ in materia præcepti Eccleſiæ cenſetur gravis; poteſtque vovens ſe leviter tantum, obligare in materia gravi, exceptis Votis in profeſſione ſolemni emiſſis, quæ ex ordina-

dinatione Eccleſiæ, gravem utrinque ex parte Religionis, ac voventis obligationem pariunt: non poteſt autem in materia levi ſe obligare ſub peccato gravi; niſi, per accidens ratione finis, vel circumſtantiarum fieret gravis; poteſtque voveri, quod jam eſt de præcepto. Obligatio Voti negativi eſt ſemper, & pro ſemper; affirmativi vero pro tempore a vovente præfixo, & ſi nullum eſt præfixum, quamprimum moraliter fieri poteſt, graviterque peccat illud differens pro ratione gravis negligentiæ, & conditione Votorum, ac voventium intentione: ratio prædictorum eſt, quia Votum, eſt lex privata, legiſque rationem induit.

Hinc 1. Qui vovit ſingulis diebus dare aſſem pauperibus, vel dicere unum Pater, & Ave, non peccat graviter, niſi per plures omiſſiones, ad notabilem quantitatem, cum attentione illius pervenerit, vel intentionem ad illam perveniendi habuerit; ut ſi omiſſio recitationis, æquivaleat parvæ horæ divini Officii, vel omiſſio Eleemoſynæ aſſis, adæquet materiam gravem Eleemoſynæ; nec peccat graviter differens Votum tres, vel quatuor dies ſine ratione, ſi certo tempori non ſit affixum, differens vero jejunium, quod vovit pro vigilia Nativitatis B. V. in ſequentem diem, graviter peccat; non tenetur tamen prævisſo impedimento prævenire, nec eo elapſo ſupplere; quia affixum eſt diei: vovens vero peregrinationem ſingulis menſibus, præviſo impedimento circa finem menſis, tenetur prævenire; eo autem elapſo, ad nihil tenetur; quia annexum eſt menſi. Vovens autem peregrinationem, & ut eam urgeat, ultra menſem non differendam, præviſo impedimento tenetur prævenire, & elapſo menſe illam peragere; quia ad utrumque ſeorſim ſe obligavit, & facto uno impoſſibili, tenetur ad aliud; vovens vero peregrinationem poſt menſem peragendam, non tenetur prævenire; quia nondum obligat, ſed poſtea tantum eam implere. 2. Qui emiſit Vota ſolemnia, animo ſe non obligandi, tenetur ea obſervare; quia cum ab Eccleſia ſint acceptata, non dependet a vovente obligatio Votorum, animo vere vovendi, emiſſorum; qui vovit regulam eo modo, quo alii obſervant, tenetur obſervare Vota ſolemnia, ac præcepta fundamentalia, & quæ obligant ſub mortali, non vero regulam quoad primigenios rigores.

Quær. 10. *Quomodo obligent Vota conditionata, vel dubia?*

Dico,

Dico. Votum ſub conditione, 1. de præſenti, vel præterito ſtatim obligat. 2. Sub conditione contingenti, impleta integra conditione. 3. Sub conditione turpi de futuro non valet, niſi in ſenſu pœnali. 4. Si conditio dependeat ab alio, ejus eventus eſt exſpectandus; non vero impediendus, ſed potius procurandus, ſi conditio ſit honeſta, & non impeditiva majoris boni. 5. Si dependeat ab ipſo vovente, aliquando impediri poteſt, ſi nimirum libero ſuo arbitrio relinquatur. 6. Si voveat ſub pluribus conditionibus, cum dependentia unius ab altera, eveniente una tantum, ad nihil tenetur; ſi ſub pluribus diviſim, vel disjunctive, eveniente una, Voto obligatur. 7. In dubio vero rationabili, an voverit, teneri Votum implere, multi docent Auctores, uti dictum eſt *in Tract. de Act. human.*; quia in dubiis tutior pars eſt eligenda; poſſet tamen ſe determinare, non voviſſe, ſi diuturna experientia didicerit, ſe non oblivisci rerum, quas mature propoſuit, *Tourn.*; quia præſumptio ſimul ipſi favet.

Hinc 1. Vovens Religionem, ſi habeat annos pubertatis, vel ſi pater ſit mortuus, impletis actu annis pubertatis, vel mortuo patre, ſtatim valet. 2. Vovens centum aureos, ſi Pater ex peregrinatione ſanus redeat, ad nihil tenetur ſi redeat, ſed non ſanus, vel ſi jam ante Votum emiſſum redierit; quia in priori caſu, conditio, non eſt integre impleta, & in ſecundo, eſt error circa finem: econtra valet Votum ingrediendi Religionem ſub conditione, ſi ſoror indigens decenter nubat, ſi non nubat, ſed moriatur; quia conditio æquivalenter impleta eſt. 3. Vovens Eleemoſynam ſub conditione, ſi poſſit fornicari, ad nihil tenetur, etiamſi fornicetur, ſed dando propterea Eleemoſynam, Deum auctorem mali ſupponeret. 4. Vovens Religionem, ſi pater conſentiat, non poteſt eum rogare, ut non conſentiat, poteſt tamen ei exponere rationes, ob quas ſatius eſſet, non conſentire; & ſi pater diſſentiat, ad nihil tenetur; quia ſublata eſt obligatio, licet poſtea conſentiat, niſi vovens omni modo obligare ſe voluiſſet. 5. Vovens dare Eleemoſynam, ſi ſoror nubat, poteſt ei ſuadere Religionem; vovens ingredi Religionem, ſi filius diſſipet bona, poteſt, & debet eum retrahere a prodigalitate; quia propterea non impeditur, ut obligationi paternæ ſatisfaciat: vovens vero Religionem, ſi recuperet ſanitatem, non poteſt eam impedire, utendo noxiis alimen-

mentis ex induſtria, vel ex negligentia gravi; quia æquivalet dolo, & qui tenetur ad finem, non poteſt negligere media. 6. Vovens, ſi ingrediatur Religionem, ſe velle ingredi Carthuſienſem, poteſt nullam ingredi. 7. Certus de Voto Religionis, & dubitans, an voverit ſtrictiorem, tenetur ad ſtrictiorem, ut multi docent; quia ſecurius eſt; certus de Voto dandi Eleemoſynam, & dubius, an illam dederit, tenetur eam adhuc dare; quia a debito certo, non liberatur, ſolutione incerta. Dubitans an ſufficiente deliberatione voverit, tenetur Voto, ſi adeptus ſit ætatem; ſecus, ſi nondum habuiſſet ſeptennium; quia in priori eſt præſumptio pro deliberatione, non vero in ſecundo.

Quær. 11. *Quinam vovere poſſint, & an quis Voto alieno obligetur?*

Dico. Omnes ratione utentes vovere poſſunt, ſed ſolum ea, quæ ſui juris ſunt; Voto autem alieno, nemo, vi Voti obligatur; perſonale enim per ſeipſum debet impleri, niſi intentionem habuiſſet, illud per ſe, vel per alium implendi, vel talis eſſet conditionis, ut per alios impleri ſoleret; Votum reale per alium quidem impleri poſſet, ad illud autem nec hæredes tenentur, ſaltem vi Voti, bene autem ex juſtitia, ut ad alia debita ſolvenda; non tamen tenentur ultra vires hæreditatis; ſed ex eo, quod deductis debitis, & impenſis funerum, ſupereſt, nec ex legitima ſibi debita; aliquando etiam tenentur ad perſonalia, videlicet, 1. ſi eis conſenſerit. 2. Si ſit hæres non neceſſarius, & ea conditione hæres inſtituatur. 3. Ex uſu & conſuetudine, ut peregrinatio votata a communitate, præcipue cum conſenſu Epiſcopi; debent autem Vota interpretari, 1. ſtricte. 2. Juxta intentionem voventis, quam habuit, vel habere debuit. 3. Secundum communem verborum intelligentiam, ſi non conſtet clare de alia intentione. 4. Quoad obligationem, ratione materiæ ad inſtar aliarum legum.

Hinc 1. Invalida ſunt Vota realia, quæ faciunt filiifamilias impuberes, & minores, abſque Parentum, vel Tutorum licentia, exceptis votis de bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus; valent tamen perſonalia, etiam Religionis, Caſtitatis, Orationum, Peregrinationum, ſi doli ſint capaces; poſſunt tamen irritari a Parentibus, & Tutoribus, niſi poſt annos pubertatis ſcientes, fuiſſe infirma,

ea

ea confirmaverint. 2. Invalida, ſunt Vota, ſervorum ſtricte dictorum, realia, & mixta, Religionis, Peregrinationis, &c. abſtrahentia a labore domino debito; valent tamen pure perſonalia, ut orare, ſervare caſtitatem, &c. quæ domino nihil derogant. 3. Invalida ſunt Vota mariti, ac uxoris eorum, quæ ſunt in præjudicium juris alterius, ut Votum non reddendi debitum, vel non petendi, ſaltem in marito; quia nimis eſſet oneroſum uxori, ſi maritus nunquam peteret ob verecundiam, quam ipſa haberet ſemper petendi, quæ ratio valet etiam in uxore, ſi ipſa eſſet valde auctoritativa, maritus vero valde verecundus; nec valent de bonis, quorum nullam habent diſpoſitionem: valent tamen Perſonalia, quæ poſſunt a ſe invicem irritari, ſi uſui Matrimonii, vel proli educandæ præjudicent. 4. Invalida ſunt, omnia Vota Religioſorum, excepto Voto ſolemni profeſſionis, & aliis ei annexis, & excepto Voto ſtrictioris Religionis; valent tamen, eorum Vota, de re præcepta, vel de conſilio, nullumque Superiori, vel aliis incommodum, vel moleſtiam afferente cum tacito, vel negativo Superioris conſenſu, nimirum non contradicendo; & ſi ea ſine Superioris licentia exequi nequeant, illam petere tenentur, ſi talis licentia in illa Religione concedi ſoleat, præcipue, ſi vovendo, voluntatem illam petendi, habuerint. 5. Invalida ſunt Vota Clericorum, & Epiſcoporum, reſidentiam ultra tempus a jure, & Concilio Trid. conceſſum impedientia. 6. Non tenetur filius ingredi Religionem, quam pater pro ipſo vovit, niſi Votum poſt annos pubertatis ratificaverit; nec hæres ſolvere, quod pater vovit, ſaltem vi Voti, bene autem ex juſtitia, ut ſupra dictum eſt; nec communitas implere vota anteceſſorum, niſi vi ſtatuti, vel longæ conſuetudinis; nec qui vovit peregrinationem, tenetur alium mittere, ſi ipſe fiat impotens, niſi id intenderit, vel ordinarie, per alios fieri ſoleret, ut peregrinatio ad limina Apoſtolorum ab Epiſcopis in eorum conſecratione promiſſa. 7. Vovens jejunare aliquibus diebus, ſatisfacit jejunando bina vice; vovens Eleemoſynam, ſatisfacit dando modicam, modo non ſit infra ordinariam, quam perſonæ ejuſdem conditionis dare ſolent; qui vovit dicere Miſſam, non poteſt pro illa recipere ſtipendium; qui vovit Miſſas per ſtipendium procurandas, tenetur dare ordinarium; qui vovit Calicem, tenetur dare ſaltem argenteum, divino cultui

Digitized by Google

tui aptum; qui vovit jejunare, qualibet feria ſexta, tenetur etiam jejunare in die Nativitatis Domini, incidentis in feriam ſextam. 8. Qui vovit primario Religionem, & ſecundario in tali Ordine, & Conventu, vel indeterminate, ſi in uno non recipiatur, tenetur moralem diligentiam adhibere, ut in altero recipiatur; ſi vero principaliter talem voverit Religionem, ſi non recipiatur, liber erit a Voto; ſi dubitet, eligat ſecuriorem; non tamen tenetur recuſatus pro Clerico, fieri Laicus, ſi ut Laicus poſſet recipi, ſi ex ejus vitæ curſu appareat, hunc ſtatum Laici non intendiſſe; nec ire extra ſuam nationem, nec puella extra ſuam provinciam, ut recipiatur: ſi propria culpa dimittatur, vel ſine juſta cauſa egrediatur, tenetur aliam ingredi; qui vovit Religionem indeterminatam, non poteſt ingredi relaxatam, niſi ſperetur in brevi reformatio, & ſi hanc expreſſe voviſſet, non tenetur illam ingredi, utpote ſuæ ſaluti pernicioſam; nec aliam, quia hanc vovit; qui vovit ſtrictam, peccat ingrediendo laxiorem; valet tamen Profeſſio. 9. Vovens caſtitatem, & Religionem, liber a Religione, tenetur ſervare caſtitatem, quæ ſolet in ea ſervari: vovens vero Religionem, liber a Religione, non tenetur ſervare caſtitatem, quæ ſolet in ea ſervari: qui vovit non fornicari, poteſt nubere; qui cum Voto non nubendi contraxit matrimonium, poteſt petere, & reddere debitum; quia non eſt Votum caſtitatis; qui vovit non cognoſcere fœminam; per tactus, & pollutiones peccat quidem, ſed non contra Votum; non poteſt tamen nubere, ſi affectu caſtitatis ita voverit, bene autem ſi ſolo odio fornicationis; qui vovit Religionem, vel ſacros Ordines, peccando contra caſtitatem ante ingreſſum, non peccat contra Votum.

Quær. 12. *Quomodo ceſſet Voti obligatio?*

Dico. Ceſſat Voti obligatio. 1. *Per ſeipſam*, ceſſante cauſa finali, vel non eveniente conditione, vel elapſu temporis Voto præfixo, vel mutatione, materiam in ſtatu moraliter diverſo, conſtituente, ut ſi fiat impoſſibilis moraliter, vel inhoneſta, vel impeditiva majoris boni, vel tanta, ut ſi ab initio fuiſſet, Votum non fuiſſet emiſſum, quod ultimum de ſimplici, non vero ſolemni valet, & in Voto Religionis, ac perpetuæ caſtitatis difficile admittitur per Eccleſiæ praxim. 2. *Irritatione*, vel directa, quæ eſt annullatio Voti in perpetuum ab habente poteſtatem domi-

dominativam in perſonam voventis, ut Superior in ſubditos, patet in liberos impuberes, vel ejus viceſgerentes, nec reviviſcit ſublata ſubjectione; quia penitus extinguitur; vel irritatione indirecta, quæ non eſt annullatio, ſed potius Voti ſuſpenſio, in quantum præjudicat juri alterius, ratione materiæ ei ſubjectæ, & ſublata ſubjectione reviviſcit, & fit ab habente poteſtatem dominativam ſpiritualem, vel temporalem in materiam, ut Parentes, Tutores &c. in Vota puberum, patriæ poteſtati, vel gubernationi familiæ præjudicantia, herus, in Vota famulorum, obſequia debita impedientia, vel minuentia, Maritus, in Vota uxoris, uſui matrimonii, vel proprii educandæ, vel gubernationi familiæ contraria, etiam ante matrimonium emiſſa, & Uxor, in vota mariti, thorum concernentia. 3. *Diſpenſatione*, quæ eſt relaxatio Voti, nomine Dei facta, ab eo, qui legitimam habet poteſtatem, ex juſta cauſa, ſecus non eſt valida, *P. Gerv. & alii*; quia diſpenſans, eſt diſpenſator, & non Dominus. Hanc poteſtatem, jure ordinario, ſoli habent Prælati, juriſdictionem ſpiritualem, in foro externo habentes; quia non eſt Ordinis, ſed juriſdictionis, pertinens ad externum Eccleſiæ regimen, talem habet 1. Papa in omnia Vota omnium fidelium, etiam caſtitatis, in Ordinibus Sacris, & in Religione ſolemniter profeſſa. 2. Superiores, Generales, Provinciales, & probabiliter etiam Conventuales, eorumque vices plene gerentes, in omnia ſuorum ſubditorum Vota, etiam reſervata, *Bill.*; etiam ingrediendi Religionem ſtrictiorem, ſolis votis eſſentialibus exemptis, *Lexena.*, *P. Gerv. P. Bonagr.* & quoad Novitios, ſaltem indirecte, quatenus regimini, & probationi obſunt, *P. Gerv.* quia in favorabilibus, gaudent privilegio ſui Ordinis; non vero diſpenſare poſſunt Abbatiſſæ; quia non habent juriſdictionem ſpiritualem. 3. Epiſcopi, in Vota ſuorum Diœceſanorum, Capitulum, Sede vacante, Nuntius Apoſtolicus in ſua Provincia, Archiepiſcopus cum ſuis Suffraganeis, & eorum ſubditis, duntaxat, per viam appellationis, exceptis quinque Votis, ſoli Papæ reſervatis, videlicet, Caſtitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, triplicis peregrinationis Jeroſolymitanæ, Compoſtellanæ ad S. Jacobum, & Romanæ ad limina Apoſtolorum; ut autem iſta ſint reſervata, debent eſſe perpetua, abſoluta, perfecta, non dubia; poſſunt tamen etiam in his diſ-

diſpenſare Epiſcopi, tanquam SS. Pontificis delegati, ſi ſit neceſſitas, & recurſus ad Papam difficilis; cauſæ vero diſpenſationis pro validitate requiſitæ ſunt, neceſſitas ſpiritualis, vel majorutilitas voventis, vel Eccleſiæ, aut Reipublicæ. 4. Regulares, pro confeſſione ſæcularium, ab Ordinario approbatos, eandem habere poteſtatem diſpenſandi in omnibus Votis, exceptis quinque Papæ reſervatis, multi probant auctores, ut *Leſſius, Nav. Henno, P. Gerv. Baſſ.* &c. citantes privilegium, Julii II. Eug. IV. Mart. V. Innoc. VIII. & Greg. XIII. ſed in praxi, non obſtante eorum probabilitate tutius eſt, petentes diſpenſationem mittere ad Epiſcopum, vel ad alios ab eo, vel aliunde, magis fundatam habentes, poteſtatem. 4. *Commutatione*, quæ eſt ſubſtitutio operis honeſti loco alterius, poteſtque fieri ab ipſo vovente in certo, & evidenter melius ſaluti voventis; *Sylvius, Cajet. Nav. & alii communiter*; in æquale vero, vel minus bonum, ſolum ab habente poteſtatem diſpenſandi, vel commutandi; & pro reſervatis requiritur ſpecialis poteſtas; etiam ad commutanda in melius, *Sanch. & alii apud P. Gerv.*; excepto voto ſolemni Religionis, in quod omnia alia commutari poſſunt; & licet minus videatur dubium apud auctores prædictos, Regulares poſſe Vota ſæcularium permutare; tutius tamen eſt, eos mittere ad Epiſcopum, vel ad alios, certiorem habentes poteſtatem, præcipue cum nulla urgeat neceſſitas tali utendi privilegio. Cauſæ autem commutandi Vota, ſunt 1. notabilis moleſtia, & difficultas ea exequendi. 2. Levitas animi, vel perturbatio, qua ſunt emiſſa. 3. Fragilitas voventis, & violationis periculum, & omne, quod viro prudenti videbitur ratio ſufficiens, & ſi poſtea non talis inveniatur, valet tamen permutatio. 4. Denique major devotio ad permutanda in æquale, quod nimirum Deo æque eſt acceptum, & voventi æque ſalutare. Facta mutatione Voti reſervati in non reſervatum, a quolibet habente poteſtatem diſpenſandi, diſpenſari, vel commutari poteſt.

Hinc 1. *Per ſe ipſum* ceſſat Votum, v. g. jejunii pro ſanitate ægroti, ipſo mortuo; Votum ingrediendi Religionem, ſi frater e bello ſoſpes redeat, ipſo in bello occiſo; quia conditio non eſt impleta; vel Votum, dicendi ſingulis menſibus, Pſalmos pœnitentiales per annum, anno elapſo, licet pluries non dixerit; quia affixum eſt,

tem-

tempori elapſo; vel Votum dandi cuidam pauperi Eleemoſynam, ipſo divite effecto, vel vovente facto paupere; quia materia voti eſt in ſtatu moraliter diverſo; qui vero vovit dare Eleemoſynam pauperi ſibi addicto, tenetur dare, licet non amplius ſit addictus; vel cui varia eveniunt, emiſſa profeſſione, ad tria Vota tenetur, licet ea non emiſiſſet, ſi illa prævidiſſet; quia major requiritur ratio, & ordinarie potuit, ac debuit ea prævidere.

Hinc 2. Ceſſat Votum *irritatione*, ſic Papa reſpectu Religioſorum, omnia Vota irritare poteſt; quia eſt Prælatorum, & ratione obedientiæ ipſi ſubditi ſunt, *Billuart.* & reſpectu Eccleſiaſticorum, in rebus Eccleſiaſticis, ac Beneficialibus; quia Vota ratione iſtius materiæ ei ſubjecta ſunt; non vero cæterorum fidelium; quia nec ratione materiæ rerum temporalium, nec ratione dominii in eorum voluntates, ei ſubjiciuntur, niſi in iis, quæ Eccleſiam univerſam concernunt; diſpenſare tamen poteſt. 2. Epiſcopi in quantum habent poteſtatem dominativam in voventis voluntatem, vel Voti materiam. 3. Superiores Regulares, Generales, Provinciales, Abbates, Priores, Guardiani, & iis diu abſentibus, vel mortuis, Vicarii, Abbatiſſæ &c. poſſunt, omnia ſuorum ſubditorum Vota, directe irritare, etiam de eorum conſenſu facta; quia conſentiendo non cenſentur abdicaſſe jus ſuum non ab ipſis, ſed ex natura officii dependens, etiam valide ſine cauſa, quia non niſi ſub conditione, ſi Superior conſentiat, valent: non vero licite, ſed ſine cauſa Vota irritantes venialiter ſaltem peccant; quia carerent fine honeſto, & mortaliter, ſi fuerint approbata, vel de conſenſu eorum facta; quia res notabilis Deo obſtricta non ſine gravi illius injuria revocatur. Exceptis Votis tranſeundi ad ſtrictiorem Religionem, *cap. licet* 18. *de Regul.*; & ſolemnibus cum annexis, *Bill.*; & votis Novitiorum, quæ irritare nequeunt, quia nondum, per Votum obedientiæ, poteſtati dominativæ ipſorum, ſubjecti ſunt, ſed duntaxat illa diſpenſare ad tempus, & per profeſſionem ſolemnem permutare poſſunt. 4. Pater, Tutor, & in eorum defectu Mater, quæ tunc eſt, ut Tutrix, omnia poſſunt directe irritare Vota filiorum impuberum realia, perſonalia, ac mixta, etiam de Religione amplectenda, vel de peculio caſtrenſi; adepta autem pubertate; non poſſunt amplius irritare Vota antea facta, juxta tutiorem, ſed

Digitized by Google

diſpenſatio petenda, nec Vota poſt pubertatem emiſſa, vel confirmata dandi, v. g. Eleemoſynam de bonis caſtrenſibus, ſervandi caſtitatem, ingrediendi Religionem, moderati jejunii uſui familiæ non inconveniens, ut in Sabbato; indirecte autem irritare poſſunt, 1. Pater, Tutor, &c. Vota dandi Eleemoſynam ex bonis non caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus, peregrinationis longæ, jejunii uſui familiæ, vel labori præſtando inconveniens; quia hæc patriæ poteſtati, ac gubernationi familiæ obſunt. 2. Dominus indirecte irritare poteſt, famulorum Vota, peregrinationis, audiendi ſingulis diebus Miſſam, ſi famulatum debitum impediant, vel minuant; non vero caſtitatis, moderati jejunii, precum parvarum. 3. Conjuges irritare poſſunt ſibi invicem Votum de gerendo habitu religioſo, de multiplici humi cubatione, de ſervanda omnimoda caſtitate, in ordine ad reddendum debitum, & petendum, ſaltem in marito, & aliquando etiam in uxore, ſi maritus timidus, ipſa autem valde auctoritativa ſit; de jejunio immoderato, de longa peregrinatione, educationi prolis, ac familiæ regimini præjudiciali, etiamſi eſſent ante Matrimonium emiſſa; quia ceſſant eſſe de meliori bono; reviviſcunt tamen prædicta Vota, indirecte irritata, ſublata ſubjectione; quia fuerunt duntaxat ſuſpenſa non poſſunt vero irritare Votum de Eleemoſynis ex bonis paraphernalibus, vel de orationibus, ac jejuniis moderatis, nec Votum caſtitatis, poſt mortem compartis ſervandum; nec Votum non petendi, vel reddendi debitum, ſi in illud ambo conſenſerint, nec revocare conſenſum, nec reddere, nec petere: quia unus alterius peccato cooperaretur, licet Superior Vota, in quæ conſenſit, irritare poſſit; quia quoad thorum ſunt ſibi pares, non vero Superiores, *Tourn.*

Hinc 3. Ceſſat Votum *diſpenſatione*; ſic Epiſcopus, & alii eandem poteſtatem habentes, diſpenſare poſſunt in Voto Caſtitatis non perpetuo, vel dubio, aut conjugali, vel non petendi debitum, vel non nubendi, mulierem non tangendi, ſuſcipiendi ſacros Ordines, ingrediendi Religionem ſtrictiorem, ut poſſit manere in laxiori, vel laxiorem ingredi; item in Voto virginitatis ſumptæ pro primo actu, quo amittitur, vel ingrediendi Religionem ſub conditione, v. g. ſi frater redierit, conditione nondum impleta; non vero ſi impleta ſit, tunc enim eſ-

ſet

ſet Votum abſolutum. Item in Voto disjunctivo ſervandi caſtitatem, vel jejunandi ſingulis feriis ſextis; in voto caſtitatis contracto Matrimonio ante, vel poſtea emiſſo, ut poſſit petere, & reddere, vel ſi ſit emiſſum dolo, vel metu etiam levi, injuſte, in hunc finem incuſſo, vel ex fervore paſſionis, vel cum intentione ſe non obligandi, niſi ſub veniali, vel cum deliberatione imperfecta, vel quando eſt dubium, an cum advertentia requiſita, animo ſe obligandi graviter, caſtitatem perpetuam, vel ſolum conjugalem voverit; uno verbo, ſi dubium ſit, an Papæ ſit reſervatum, eo ipſo non eſt, valetque diſpenſatio, licet poſtea agnoſcat, fuiſſe reſervatum; item diſpenſare poteſt in neceſſitate, ſi non poſſint recurrere ad Papam ob paupertatem, bella, locorum diſtantiam, incontinentiæ periculum, ſcandalum, damnum tertii, vel famæ propriæ, vel ad ſedandas lites inter familias, pro conſervanda illuſtri familia Reipublicæ plurimum profutura, ob periculum incontinentiæ intrinſecum, proveniens ex naturæ fragilitate, vel extrinſecum, puta, quia vovens eſt pauper, decora, orbata parentibus, pro alenda matre ætate profecta neceſſaria; pro Voto Religionis notabilis difficultas, ob morbum, quo languit, debilitatem virium, vel ſi ſit dubium, an non ſit melius manere in ſæculo, & nubere, quam uri, vel pro educatione conſanguineorum parentibus deſtitutorum.

Hinc. 4. Ceſſat Votum *commutatione*, 1. in evidenter melius, ſic qui vovit calicem argenteum, poteſt dare aureum, qui vovit, recitare Pſalmos pœnitentiales, poteſt celebrare Sacrum; qui vovit peregrinationem, ex hac regione, ad B. Virginem Einſidlenſem, poteſt peregrinari ad Lauretanam; & omnia realia, ac perſonalia poteſt mutare in profeſſionem Religioſam. 2. Votum emiſſum in favorem tertii, & acceptatum, v. g. ſingulis annis ſolvendi Fabricæ Parochiæ decem taleros, vel alicui Monaſterio ſex ſaccos frumenti, vel dotem puellæ pauperi, non poteſt permutari in peregrinationem, vel aliud, etiam melius opus, niſi conſentiente eo, in cujus favorem factum eſt, quia fieret in ipſius præjudicium; nec liberaretur ab obligatione, per ſolam Voti remiſſionem; quia manet obligatus reſpectu Dei, in cujus honorem vovit, bene autem per Beneficii recuſationem ab eo, in cujus favorem vovit, *Bill.*; quia vovens non intendebat bene-

 face-

facere, & ſe obligare invito. 3. Qui propria auctoritate mutavit Votum in melius, non poteſt propria auctoritate redire ad prius; quia majorem ſibi impoſuit obligationem, a qua non poteſt ſine diſpenſatione liberari, niſi jus ad prius redeundi ſibi reſervaſſet; bene autem, ſi commutatio ſit facta ab habente poteſtatem in æquale, vel minus, *Bill.*; quia quilibet renuntiare valet ei, quod pro ſe noſcitur introductum. *cap.* 23. *de Regular.* nec tenetur redire ad prius, ſi opus, in quod facta eſt mutatio, fiat impoſſibile, vel indifferens; quia obligatio prioris ablata eſt. 4. Commutatio Votorum tempore Jubilæi fieri poteſt, etiam Votorum eo tempore factorum; imo etiam elapſo tempore Jubilæi, ſi eorum commutatio tempore Jubilæi fuerit inchoata, vel translata; non vero, ſi non fuerit inchoata, vel translata; quia poteſtas, pro tempore Jubilæi tantum, videtur conceſſa, niſi Bulla aliter continet, quamvis peccata reſervata tempore Jubilæi non confeſſa poſt Jubilæum abſolvi poſſint; quia indirecte fuerunt remiſſa. 5. Commutatio, ſeu diſpenſatio cum intentione lucrandi Jubilæum obtenta, & abſolute conceſſa, valet, licet omiſſis aliis operibus, Jubilæum non lucretur; quia diſpenſatio abſolute conceſſa, ſtatim operatur, *Bill.*; peccat tamen ſaltem leviter illa omittens, *ibid.* Non vero valet, ſi conditionate, ſi opera præſtet, fuiſſet conceſſa; quia ſuſpenditur, donec opera impleantur, *ibid.*; vel intentionem illa præſtandi non habuiſſet; quia poteſtas non fuit, niſi pro volentibus lucrari Jubilæum conceſſa. 6. Si commutatio fiat in æquale, prout ordinarie fieri debet, fiat compenſatio impenſarum, & laborum dando peregrinationis impenſas pauperibus, & imponendo pro labore, orationem, jejunia, frequentes communiones, &c.

Quær. 13. *Quid ſit Juramentum, & Adjuratio, & quotuplex?*

Reſp. 1. Juramentum eſt atteſtatio Divini Numinis ad fidem faciendam, aut promiſſionem firmandam. Adjuratio vero eſt actus Religionis, quo quis alterum rogat, vel ei præcipit aliquid per Deum ut Apoſtolus ad Theſſ. 5. dicens: *adjuro vos per Dominum*; eſt licita, vel prohibita ut Juramentum, nec ſine licentia Epiſcopi debet fieri contra dæmones. Dignoſcitur quis a dæmone poſſideri, præcipue, ſi loquatur idiomate antea ipſi ignoto, ſi diſtantia, & vere occulta manifeſtet, legat, ſcribat, inſtrumentis ludat, quæ antea ignorabat.

2. Ju-

2. Juramentum aliud eſt aſſertorium, quod eſt atteſtatio Divini Numinis, ad faciendam fidem dicti. Aliud promiſſorum, quod eſt atteſtatio Divini Numinis, ad firmandam promiſſionem. Aliud eſt execratorium, quod eſt atteſtatio Divini Numinis, ut vindicis; ut diabolus me rapiat, Deus me perdat, ſi non ita ſit. Aliud eſt explicitum, quo divinum teſtimonium explicite invocatur, jurando per Deum, Aliud implicitum, quo divinum teſtimonium implicite invocatur, jurando per creaturas quatenus Deus in iis relucet. Aliud eſt ſolemne, quod fit cum ſolemnitate, tangendo Crucifixum, vel S. Evangelium. Aliud ſimplex, quod fit ſine ſolemnitate. Aliud judiciale, quod fit coram Judice. Aliud extrajudiciale, quod fit extra judicium.

Quær. 14. *Quænam ſint formulæ jurandi?*

Dico. Formulæ vere *per ſe juratoriæ ſunt*: per Deum; teſtor Deum; Deum in teſtem invoco; teſtis ſit mihi Deus! o Deus eſto mihi teſtis! juro Deo; per vitam Dei; per vulnera Chriſti; per matrem Dei; per Dei Sacramenta; in fide Dei; vel Chriſti; in Fide chriſtiana; in veritate Dei, vel Chriſti; Deus me puniat, dæmon me rapiat, vivus non abeam, ſi non ita ſit; per animam; ſuper animam meam; ſub periculo animæ; vel ſalutis meæ, ita eſt. Per cœlum; per terram; per thronum Dei; per infernum; per Fidem ſacerdotalem, ſi fiat a Sacerdote coram Judice. *Formulæ dubiæ ſunt*: juro Deum; ſcit Deus; vel ſcit meam conſcientiam; vivit Dominus, & vivit anima tua; hoc tam verum eſt, quam vere Deus eſt; quæ enuntiative dicta, non ſunt Juramenta, bene autem invocative, & ultima formula eſſet blaſphemia, ſi omnimodam veritatis æqualitatem intelligeret. Formulæ per *ſe non juratoriæ ſunt*: per meum juramentum; in fide viri probi; in fide regia, Chriſtiani, Clerici, Sacerdotis, profecto, certiſſime, ſine dubio, vere, in veritate rei, in fide, per fidem meam, ſuper meam conſcientiam, tam verum eſt, quam verum, me eſſe Sacerdotem; amputetur mihi naſus, ſi non ita ſit. Prædictæ formulæ, ordinarie non ſunt juramenta; quia ordinarie ſumuntur pro fide humana, vel notitia, aut certitudine veritatis; ſi vero quis per illas intendat jurare, vere jurat; ideoque intentio loquentis precipue conſulenda eſt, ſuntque omnia Juramenta ejusdem ſpeciei, *Cajet. Sylvius*; attamen pro me-

meliori eorum cognitione in confeſſione ſunt explicanda: quis non raro ſpeciem blaſphemiæ, & injuſtitiæ, &c. continent.

Quær. 15. *Quotuplex ſit reſtrictio mentalis?*

Reſp. Amphibologia, ſeu reſtrictio alia eſt pure mentalis, cujus verus ſenſus in ſola mente latet. Alia eſt ſenſibilis, & late dicta, cujus verus ſenſus etiam externe exprimitur, qui ex modo loquendi, vel circumſtantiis, vel uſu percipi poteſt, licet per accidens audiens non advertat. Prima eſt mendacium, altera eſt licita, ex juſta cauſa.

Quær. 16. *An Juramentum licitum ſit?*

Dico. Juramentum licitum, ac laudabile eſt, ſi fiat in veritate, in juſtitia, & in Judicio, *Jerem.* 4.; id eſt 1. de re, quæ prudentet creditur vera. 2. De re licita. 3. Cum neceſſitate, vel utilitate, & reverentia; grave autem peccatum eſt, ſi fiat ſine veritate, vel cum reſtrictione pure mentali, etiam in materia levi, vel ſine juſtitia in materia gravi, vel in materia levi ſine voluntate implendi; quia Deum falſi, vel gravis injuſtitiæ teſtem facit; veniale vero in re leviter mala cum voluntate implendi; vel deficiente ſolo Judicio; quia levem tantum erga Deum continet irreverentiam.

Hinc: Graviter peccat, 1. jurans ſcienter falſo, vel cum dubio de veritate, vel levibus ſolum nixus conjecturis, vel cum periculo falſo jurandi, ut conſuetudinarii, vel credendo certo verum, ſed temere; quia etiam ſe exponit periculo perjurandi; eſt tamen grave, vel leve pro ratione negligentiæ. 2. Jurans cum reſtrictione pure mentali; vel particularis, exigens Juramentum ab eo, quem probabiliter perjuraturum credit; ſecus, ſi eſſet Judex ad inſtantiam partis; quia forma judicii ita requirit: non poteſt tamen Judex ab utraque parte Juramentum admittere, nec ab eo, quem per falſos Deos juraturum prævidetur, niſi ex gravi neceſſitate, non vero peccat Confeſſarius de crimine in Confeſſione audito interrogatus, illud audiſſe, negans, ſubintelligendo, eo modo, ut revelare poſſit; nec reus de crimine injuſte interrogatus, illud feciſſe, negans, ſub intelligendo, eo modo, ut illud fateri teneatur; quia in utroque caſu reſtrictio mentalis eſt ex circumſtantiis ſigilli, & injuſtæ interrogationis ſenſibilis. 3. Graviter peccat, jurando, ſe occiſurum inimicum; grave

ve malum affirmando de proximo, ei detrahendo graviter, vel cum Juramento perſuadendo grave, vel leve malum, vel affirmando ex jactantia, ſua peccata, vanæ gloriæ certius conſequendæ gratia; quia in utroque caſu, Deum adjutorem ſui peccati facit; eſſet tamen veniale, ſi ex levitate, vel garulitate fieret; quia abuteretur divino nomine. 4. Jurans in judicio, ficte, cum intentione non jurandi, vel extra in re gravi; quia eſt gravis deceptio; vel vere jurando, ſed animo non implendi, etiam in re levi, vel ſe non obligandi, teneturque illud implere, ne Deum falſi teſtem faciat, & ſcandalum evitet; venialiter vero peccat, cum Juramento leve, malum affirmans de proximo, vel ſe peccaturum leviter, animo implendi, vel ſolum ſine utilitate, vel ſine neceſſitate jurans, ſecluſo ſcandalo, contemptu, & periculo falſo jurandi, quod cenſetur adeſſe, ſi ad falſum, ſicut ad verum, quis jurare ſoleat.

Quær. 17. Quomodo obliget Juramentum?

Dico. Grave Juramentum promiſſorium, etiam ex metu gravi, injuſte incuſſo, factum, inducit obligationem, etiam in re levi; quia etiam in re levi illud non implendo, Deum teſtem falſi facit; niſi Deum ſolum in teſtem voluntatis præſentis, & non rei implendæ invocaſſet: nec tamen obligat. 1. ſi ſit nullum ex defectu conſenſus, & libertatis, vel quia factum eſt cum errore, vel dolo circa ſubſtantiam rei promiſſæ, vel circa qualitatem primario intentam, vel circa cauſam finalem, & motivam, vel ex juris diſpoſitione. 2. Si ſit de re illicita, aut indifferenti ad Dei obſequium, vel hominis utilitatem, vel moraliter impoſſibili. 3. Si ſit contra legem ob bonum commune, & non privati latam; vel ſi oppoſitum ejus ſit melius, niſi ei, in cujus favorem eſt factum, ſit acceptius. 4. Si promiſſio non ſit acceptata. 5. Si ſit ſub conditione non impleta. 6. Si juraverit ficte; graviter tamen peccat, contra obbedientiam, ita jurando in judicio; & in foro externo illud implere obligatur, pro evitando ſcandalo, ne falſo juraſſe credatur, vel ut Dei honor tueatur: etiam tenetur ad Juramentum ſincere factum, quamvis abfuerit voluntas ſe obligandi, vel illud implendi; quia obligatio Juramenti non dependet a voluntate jurantis, ſed a Dei honore ſervando; non tamen Juramentum antecedens, invalidat actum ſubſequentem, niſi ratione prioris

ris actus ſit invalidus, nec tenentur hæredes, ad Juramenta defuncti ſaltem vi Juramenti.

Hinc. 1. Qui juravit dare latroni centum aureos, tenetur ei dare; niſi Juramentum relaxetur ab habente poteſtatem. 2. Qui juravit redire ad carcerem, tenetur redire; etiamſi mortem timeat. 3. Filius, vel hæres tenetur, promiſſa jurata realia patris defuncti, implere; non tamen vi Juramenti, ſed ex juſtitia; & poſteri anteceſſorum, ſaltem vi ſtatuti. 4. Qui juravit Cajo centum taleros, tenetur eo mortuo, ſolvere hæredibus. 5. Qui juravit dare calicem, quem credidit argenteum, non tenetur dare, ſi ſit aureus. 6. Qui juravit inire Matrimonium cum aliqua, quam credidit virginem, vel divitem, tenetur illud inire, licet non ſit virgo, nec dives; quia error non eſt circa ſubſtantiam, niſi ſub hac conditione principaliter, & non aliter conſenſerit. 7. Qui juravit dare paramenta Eccleſiaſtica Eccleſiæ, tenetur dare, licet Parochus factus ſit inimicus. 8. Qui juravit non accuſare furem, tenetur eum accuſare, ſi bonum publicum exigat. 9. Fidejuſſio mulieris, a lege favente particulari prohibita, valet Juramento firmata 10. Qui juravit Cajo centum aureos, non poteſt dare pauperibus, licet melius ſit, & caſtitas jnrata inter conjuges, debet ſervari ab uno, licet ab altero transgrediatur. 11. Juramentum contra aliud præcedens valet, ſi ſit de re magis accepta ei, in cujus favorem eſt factum, 12. Qui jurat ſponſalia uni, valide contrahit Matrimonium cum altera, & valide emittit profeſſionem in Religione approbata. 13. Qui jurat dare Beneficium uni, valide confert alteri, & qui jurat non retractare teſtamentum, valide retractat; qui cum Juramento, uni vendit ſine traditione, valide alteri vendit ſecuta traditione; quia jus ita diſpoſuit quoad valerem iſtorum contractuum, ſed non licite; quia Juramento obligabatur ad aliud: qui vero uni promiſit ſponſalia, non valide ea promittit alteri, etiamſi Juramento ea confirmet.

Quær. 18. Quomodo Juramenti interpretatio fieri debeat?

Dico. Juramenti interpretatio debet fieri, 1. in foro conſcientiæ, juxta intentionem jurantis; ſi autem de intentione jurantis non conſtet, ſtandum eſt communi verborum ſenſui, & explicandum juxta naturam actibus, cui jungitur, quoad ejus exceptiones, & conditiones ex communi

muni prudentum judicio, tacite ei affixas, videlicet, ſi ſit licitum; ſi moraliter poſſibile; ſi non relaxetur ab eo, in cujus favorem factum eſt; ſalvo Superiorum jure, illud irritandi; ſi acceptetur; ſi ita ſit, & res ita maneat ſine notabili immutatione; ſi fides reciproca ſervetur, vel etiam, ſi non ſit reciproca, ut vult *Sanchez*. 2. Quoad ejus obligationem ſtricte eſt explicandum. 3. Juramentum eſt ſervandum, quoties ſine peccato, & diſpendio ſalutis, ſervari poteſt, niſi alia ratione ceſſet ejus obligatio.

Hinc 1. Jurans, ſe non amplius luſurum ex motivo majoris boni, tenetur abſtinere; poteſt tamen ludere per alium: ſed non pro alio; nec per alium ſi intenderit evitare dilapidationem bonorum, bene autem pro alio. 2. Jurans, ſe non luſurum ad evitandum grave damnum, tenetur abſtinere ab immoderato; ſi ad rixas, & blaſphemias evitandas, tenetur a tali abſtinere, qui earum eſt cauſa; eritque grave, vel leve peccatum, prout magis, vel minus fini intento opponitur; ſi ex ſola indignatione, ira, &c. juraverit, peccat; non tamen tenetur ad juramentum, ſi nullum alium finem honeſtum habuerit. 3. Qui ſub pœna jurat, ſolum ad pœnam tenetur, ſi ludat; ſi juret a ludo abſtinere, & ſolvere pœnam, ſi ludat, tenetur ad utrumque; jurans vero ſe non amplius luſurum cum tali ſocio, in tali domo, vel tali ludo, vel ex vindicta contra ſocium; vel quia ſe infelicem credit cum tali ſocio, in tali domo, vel ludo, non tenetur Juramento; quia eſt de re mala, vel indifferenti, bene autem, ſi ita juraverit; quia locus ipſi pernicioſus, perſona, vel ludus rixis obnoxius; quia tunc finis eſt honeſtus, ad vitandum malum. 4. Qui juravit ſolvere debitum, poteſt uti compenſatione, ut antea, non ſolvendo debitum; & qui promiſit ſponſalia ſub Juramento, non iis tenetur, ſi ſponſa poſtea fornicetur. 5. Juramentum parendi alteri in omnibus, intelligitur, in re licita, & moraliter poſſibili; Juramentum Epiſcopi de non abalienandis bonis Eccleſiæ, intelligitur ſine utilitate, vel neceſſitate, aut juris ſolemnitate; Juramentum reſidentiæ, intelligitur juxta Eccleſiæ ſtatuta; Juramentum de ſecreto Capituli, intelligitur ſub gravi peccato, in re gravi, & ſub levi, in re levi, & in quantum ſine alterius detrimento ſervari poteſt; vel juxta tenorem ſtatutorum; Juramentum jeju-

nan-

nandi, intelligitur, niſi infirmetur, & ſecundum morem patriæ; Juramentum nubendi certæ perſonæ, intelligitur, niſi fiat notabiliter deformis, vel alia ratio, pro diſſolutione ſponſalium ſufficiens, eveniat: Juramentum ſolvendi decem aureos pauperi, intelligitur, ſi non patiatur notabilem ſtatus diminutionem. 6. Jurans ſe contentum fore ſtipendio pro labore, intelligitur, ſi non ſit manifeſte iniquum, vel inſufficiens juſte prætentioni; mercatores, piſtores, &c. jurantes ſe ſervaturos taxationem pretii, ponderis, Juramentum eorum intelligitur, ſi taxatiō ſit juſta, modo tempore Juramenti non evidenter conſtiterit eſſe injuſtam; quia tunc debuiſſent declarare, ſe non poſſe taxationem ſervare. 7. Qui juravit ſocietatem, non tenetur, ſi alter incipit fieri graviter rixoſus; qui juravit, ſe ſtaturum ſententiæ ferendæ, non tenetur, interveniente juſta cauſa appellanti. 8. Iuramentum parentum de filiis graviter excipiendis, intelligitur, ſi ſe non emendent, vel veniam non petant; domini de ancilla ejicienda, ſi emendationem non promittat; mercatorum de non diminuendo pretio, ſi poſſint vendere carius; vel de pretio, quo emerunt, intelligitur conſiderato labore, periculo, lucro, impenſis, &c. 9. Juramentum Aulici de non acceptanda præcedentia, intelligitur, niſi urbanitate alterius vincatur; & illud de accuſatione alterius, niſi ſe emendet, vel ſibi inde præjudicium fiat: unde raro graviter in his peccant, Juramentum non implendo. 10. Juramentum de ſtatutis ſervandis, intelligitur de præſentibus, non de futuris, & ſecundum intentionem Legislatoris, ac loci conſuetudinem, & obligationem receptam; Juramentum Medicorum de monendo ægroto ad Confeſſionem, & de ejus derelictione, ſi non pareat, intelligitur juxta conſuetudinem receptam, nempe in morbo periculoſo, vel niſi alius eum moneat; non tamen eos excuſat timor affligendi ægrotos. 11. Jurans, ſe non communicaturum artem, vel ſpeciale remedium alteri, non tenetur Juramento, ſi illius occultatio ſit contra charitatem, vel bonum commune, bene autem ad illud tenetur, ſi ægroti aliud habeant remedium, & Reſpublica illa arte carere poſſit; quia tunc, illius manifeſtatio, eſſet contra jus, ſecretum imponentis, & reportantis lucrum ex ſua arte, vel remedio.

Quær. 19. Quomodo ceſſet Juramenti obligatio?

Dico.

Dico. Juramenti obligatio ceſſat, 1. ſi moraliter fiat impoſſibile, vel illicitum. 2. Remiſſione ab eo, in cujus favorem eſt factum. 3. Fidei reciprocæ fractione. 4. Mutatione notabili, vel ceſſatione finis. 5. Irritatione, ab habente poteſtatem dominativam in jurantem, vel materiam juratam, ut Superior reſpectu inferiorum, Pater reſpectu liberorum &c. ut dictum eſt de ceſſatione voti. 6. Beneficii jurati recuſatione. 7. Diſpenſatione a Papa, vel Epiſcopo, niſi cedat in præjudicium tertii; qui habet poteſtatem ordinariam vel delegatam in vota, habet etiam in juramenta, *Cajet. Laym. & alii apud Billuart*; nec juramenta ſine voto ſunt reſervata, *Baſſ. & alii*; cauſæ autem diſpenſationis ſunt 1. iniquitas, vel metus, quo fuit extortum. 2. Turpitudo in recipiente. 3. Gravis neceſſitas, vel utilitas Reipublicæ; ſi tamen diſpenſatio fiat in præjudicium tertii, requiritur ſuprema auctoritas Papæ, vel Principis.

Quær. 20. *Quanam ſint perjurii pœna?*

Dico. Perjurii pœnæ ſunt 1. pœnitere 50. dies in pane, & aqua, & ſeptem ſequentes annos nunqnam eſſe ſine pœnitentia, ita *Jus Can. XIII. Q.* 5. *c.* 4. 2. Perjurus privandus Beneficiis, & declarandus inhabilis ad alia, *ibid. c.* 11. *&* 12. 3. A ferendo teſtimonio excludendus, etiam peracta pœnitentia, *ibid. c.* 54. *de Teſt.* 4. Infamia, ſi ſit notorium, notorietate juris, vel facti, inde irregularitas. 5. Pœna talionis, ſi ſit laicus, & de crimine capitali, & ſi non ſit capitale, pœna deportationis. 6. Pæna exilii ad tempus; quæ omnes pœnæ videntur eſſe ferendæ ſententiæ.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS, SUPERSTITIONE, ET IRRELIGIOSITATE.

Quæritur. 1. Quid ſit Superſtitio, & quænam ſint ejus ſpecies?

Reſp. SUperſtitio eſt cultus vitioſus falſi Numinis; vel veri, ſed cultu indebito: hujus duæ ſunt ſpecies, 1. cultus falſus, veri Numinis; ut falſorum Miraculorum inventio, falſarum Reliquiarum expoſitio, cæremoniarum veteris Legis, Meſſiam venturum ſignificantium, uſurpatio. 2. Eſt cultus ſuperfluus veri Dei ab uſu Eccleſiæ alienus, quoad tempus, locum, ſitum, numerum, ut adhibendo plures cruces, vel orationes in Miſſa, quam ſunt præſcriptæ: ſpecies vero cultus falſi Numinis, ſunt quinque, nempe 1. Idolatria. 2. Divinatio. 3. Vana Obſervantia. 4. Magia. 5. Maleficium.

1. Idolatria, eſt cultus divinus, creaturæ exhibitus. Alia eſt formalis, & interna, qua quis divinum cultum, creaturæ exhibet, putans eam eſſe Deum. Alia materialis, qua quis divinum cultum, creaturæ exhibet, ſine æſtimatione Divinitatis, & interiori ſubmiſſione.

2. Divinatio eſt notitiæ, divinæ uſurpatio, ope dæmonis ad hoc invitati expreſſe, ut per magos; vel tacite, utendo mediis nullam vim naturalem, nec ex inſtitutione Dei, aut Eccleſiæ pro occultorum notitia, habentibus. Divinationis tres ſunt ſpecies, ſcilicet, 1. Necromantia. 2. Aſtrologia judiciaria. 3. Sortilegium.

Necromantia eſt reſponſio dæmonis immediate invocati; ſi fiat per Idolum vocatur Oraculum: ſi per Vates, Vaticinium; ſi per ſigna apparentia, in viſceribus animalium, dæmoni immolatorum, Aruſpicium; ſi per vocem ex umbilico, aut pudendis vatum, pythoniſmus; ſi per ſomnum, dicitur ſomnium; quod ſi excitet ad malum, eſt a dæmone, vel pravis naturæ diſpoſitionibus, ſi moveat ad bonum, cenſetur eſſe a Deo, aut Angelis, vel a natura ad illud bonum diſpoſita; ſi fiat dæmonis reſponſio

ſio per Manes, id eſt per mortuos ad ſpeciem reſuſcitatos, dicitur Necromantia; ſi ex manuum lineamentis, Chiromantia; ſi ex corporis conſtitutione, Phiſiognomia; ſi per obſervationem garritus avium, augurium; ſi per ſignum effectum in terra, Geomantia; ſi in aqua, Hydromantia; ſi in igne, Pyromantia; ſi in aere, Æromantia.

Aſtrologia judiciaria eſt aſtrorum conſideratio, indeque ſumpta prædictio, futurorum contingentium, a cauſa libera dependentium, ut Matrimonium, dignitates, morbi, mors &c.

Sortilegium eſt divinatio per ſortes, quæ ſunt diviſoriæ, conſulatoriæ, & divinatoriæ. Diviſoriæ ſunt, quibus decernitur, cui aliquid tribuendum ſit, ſive in pœnis, vel officiis, aut bonis. Conſultoriæ, quibus inquiritur quid in aliqua re obſcura agendum ſit. Divinatoriæ, quibus inquiritur rei occultæ, vel futuræ cognitio, ut fur ex cribri verſione.

3. Vana obſervantia eſt ſuperſtitio, qua ad effectum aliquem obtinendum, adhibentur media vana, inutilia, & improportionata, & eſt quadruplex. 1. Eſt ars notoria, qua quis ſcientiam ſine ſtudio, & mediis improportionatis, ut certis precibus, potione, &c. inquirit. 2. Obſervantia eventuum, qua quis ex eventu fortuito adverſitatem, vel proſperitatem conjicit, ut cujuſdam mortem ex 12. vel 13. convivis in eadem menſa: 3. Obſervantia ſacrorum, qua ad obtinendos effectus extraordinarios abhibentur, res ſacræ, quæ ad illos producendos nec vim naturalem, nec divinam habent, ut certæ preces ad non moriendum infalibiliter, morte ſubitanea. 4. Obſervantia ſanitatum, qua ad ſanandos morbos, adhibentur media vana, & inutilia, ut certa nomina ignota, certæ figuræ, vel ſigna.

4. Magia ſuperſtitioſa eſt ratio operandi mira, ope dæmonis expreſſe vel tacite invocati per ſigna ab eo inſtituta, ut verba ignota, &c.

5. Maleficium eſt ratio nocendi aliis, ope dæmonis; eſt contra Religionem, Charitatem, & Juſtitiam. Maleficium aliud dicitur Veneficium, quo alicui in propria perſona, vel in animalibus damnum infertur, ut mors, morbi, &c. vel etiam copula carnalis impeditur. Aliud eſt amatorium, vel philtrum, quo homines ad odium, vel amorem carnalem flectuntur, quod tamen libertatem non adimit, nec a peccato excuſat.

Quær.

QUÆSTIO II.

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS, SUPERSTITIONE, ET IRRELIGIOSITATE.

Quæritur. 1. Quid ſit Superſtitio, & quænam ſint ejus ſpecies?

Reſp. Superſtitio eſt cultus vitioſus falſi Numinis; vel veri, ſed cultu indebito: hujus duæ ſunt ſpecies, 1. cultus falſus, veri Numinis; ut falſorum Miraculorum inventio, falſarum Reliquiarum expoſitio, cæremoniarum veteris Legis, Meſſiam venturum ſignificantium, uſurpatio. 2. Eſt cultus ſuperfluus veri Dei ab uſu Eccleſiæ alienus, quoad tempus, locum, ſitum, numerum, ut adhibendo plures cruces, vel orationes in Miſſa, quam ſunt præſcriptæ: ſpecies vero cultus falſi Numinis, ſunt quinque, nempe 1. Idolatria. 2. Divinatio. 3. Vana Obſervantia. 4. Magia. 5. Maleficium.

1. Idolatria, eſt cultus divinus, creaturæ exhibitus. Alia eſt formalis, & interna, qua quis divinum cultum, creaturæ exhibet, putans eam eſſe Deum. Alia materialis, qua quis divinum cultum, creaturæ exhibet, ſine æſtimatione Divinitatis, & interiori ſubmiſſione.

2. Divinatio eſt notitiæ, divinæ uſurpatio, ope dæmonis ad hoc invitati expreſſe, ut per magos; vel tacite, utendo mediis nullam vim naturalem, nec ex inſtitutione Dei, aut Eccleſiæ pro occultorum notitia, habentibus. Divinationis tres ſunt ſpecies, ſcilicet, 1. Necromantia. 2. Aſtrologia judiciaria. 3. Sortilegium.

Necromantia eſt reſponſio dæmonis immediate invocati; ſi fiat per Idolum vocatur Oraculum: ſi per Vates, Vaticinium; ſi per ſigna apparentia, in viſceribus animalium, dæmoni immolatorum, Aruſpicium; ſi per vocem ex umbilico, aut pudendis vatum, pythoniſmus; ſi per ſomnum, dicitur ſomnium; quod ſi excitet ad malum, eſt a dæmone, vel pravis naturæ diſpoſitionibus, ſi moveat ad bonum, cenſetur eſſe a Deo, aut Angelis, vel a natura ad illud bonum diſpoſita; ſi fiat dæmonis reſponſio

ſio per Manes, id eſt per mortuos ad ſpeciem reſuſcitatos, dicitur Necromantia; ſi ex manuum lineamentis, Chiromantia; ſi ex corporis conſtitutione, Phiſiognomia; ſi per obſervationem garritus avium, augurium; ſi per ſignum effectum in terra, Geomantia; ſi in aqua, Hydromantia; ſi in igne, Pyromantia; ſi in aere, Æromantia.

Aſtrologia judiciaria eſt aſtrorum conſideratio, indeque ſumpta prædictio, futurorum contingentium, a cauſa libera dependentium, ut Matrimonium, dignitates, morbi, mors &c.

Sortilegium eſt divinatio per ſortes, quæ ſunt diviſoriæ, conſulatoriæ, & divinatoriæ. Diviſoriæ ſunt, quibus decernitur, cui aliquid tribuendum ſit, ſive in pœnis, vel officiis, aut bonis. Conſultoriæ, quibus inquiritur quid in aliqua re obſcura agendum ſit. Divinatoriæ, quibus inquiritur rei occultæ, vel futuræ cognitio, ut fur ex cribri verſione.

3. Vana obſervantia eſt ſuperſtitio, qua ad effectum aliquem obtinendum, adhibentur media vana, inutilia, & improportionata, & eſt quadruplex. 1. Eſt ars notoria, qua quis ſcientiam ſine ſtudio, & mediis improportionatis, ut certis precibus, potione, &c. inquirit. 2. Obſervantia eventuum, qua quis ex eventu fortuito adverſitatem, vel proſperitatem conjicit, ut cujuſdam mortem ex 12. vel 13. convivis in eadem menſa: 3. Obſervantia ſacrorum, qua ad obtinendos effectus extraordinarios abhibentur, res ſacræ, quæ ad illos producendos nec vim naturalem, nec divinam habent, ut certæ preces ad non moriendum infalibiliter, morte ſubitanea. 4. Obſervantia ſanitatum, qua ad ſanandos morbos, adhibentur media vana, & inutilia, ut certa nomina ignota, certæ figuræ, vel ſigna.

4. Magia ſuperſtitioſa eſt ratio operandi mira, ope dæmonis expreſſe vel tacite invocati per ſigna ab eo inſtituta, ut verba ignota, &c.

5. Maleficium eſt ratio nocendi aliis, ope dæmonis; eſt contra Religionem, Charitatem, & Juſtitiam. Maleficium aliud dicitur Veneficium, quo alicui in propria perſona, vel in animalibus damnum infertur, ut mors, morbi, &c. vel etiam copula carnalis impeditur. Aliud eſt amatorium, vel philtrum, quo homines ad odium, vel amorem carnalem flectuntur, quod tamen libertatem non adimit, nec a peccato excuſat.

Quær.

Quær. 2. *Quale Superſtitio ſit peccatum?*

Dico. Superſtitio falſi Numinis, & veri quoad cultum falſum, graviſſimum eſt peccatum; quia Deo maxime eſt injurioſa; ſuperſtitio autem veri Numinis, quoad cultum tantum ſuperfluum, ſolum veniale eſt, niſi cultus gravi præcepto eſſet prohibitus; ſortes etiam diviſoriæ honorum, numerum, & in electionibus licitæ ſunt, exceptis Eccleſiaſticis, ad quas paria vota habentibus recurrere non licet, niſi ex ſpeciali Dei ordinatione, ut in electione Mathiæ, urgente neceſſitate, exſpectato eventu a Deo, & debita cum reverentia; etiam divinatoriæ, cum his conditionibus licitæ ſunt, uti fecit Joſue ad explorandum ſacrilegium *Achan cap.* 7. Si autem effectus occultus, nec miraculo, nec naturæ, nec arti adſcribi poteſt, adſcribendus eſt dæmoni; in dubio tamen, ſi nulla occurrant ſigna ſuperſtitioſa, ut certa verba, certus numerus, præſumendum eſt pro natura, quæ ſæpe occulta, & mirabilis eſt in ſuis effectibus, & cum proteſtatione, contra occultum dæmonis pactum, ea uti licet. Quamvis, variæ divinationes, non differant ſpecie, pactum tamen explicitum cum dæmone, ſemper in Confeſſione exponendum, nec abſolvendi ſunt, niſi pactum cum dœmone abjurent, artis inſtrumenta, libros, &c. comburant, damna illata reparent, chirographum dœmoni datum, pœnitentiæ lacrymis ſaltem, deleant; non tamen neceſſario a dœmone petendum eſt; maleficium quoque deſtruere licet mediis licitis; non vero ſuperſtitioſis, nec per ſe, nec per alium, ſi ſine alio maleficio illud tolli nequeat; bene autem ex gravi neceſſitate, ſi licite illud tolli poſſit, quamvis illicito modo potius, quam licito deſtructum iri, probabiliter credatur; quia ex gravi neceſſitate res, quæ licite fieri poteſt, licite peritur, quamvis ex malitia agentis, male fieri ſoleat. *Tourn.*; ſic etiam petitur debitum conjugale ab eo, qui ex propria malitia ſemen fruſtratur.

Hinc: graviter peccat, 1. idolum, etiam ſimulate, ſine divinitatis exiſtimatione colens; non tamen peccato formali idololatriæ. 2. Ex cribri verſione, furem divinans, ex nativitate in certa die, vel ſub certa planeta, v. g. Veneris, natos infallibiliter lubricos fore; ſecus ſi ſolum inclinationem ad talia indicent. 3. Divinans ex ſyderum inſpectione mortem certi Principis; ex certarum avium cantu, cujuſdam, mortem, e domo; ex lineamentis ma-

nuum

nuum, certum matrimonium; ex die Mercurii, matrimonium in eo celebratum infauſtum; ex certo numero convitorum, cujusdam mortem, ideoque numerum augens, vel minuens, vel a menſa abſtinens; ex offenſione pedis, mane ante egreſſum facta, aliquid mali per diem obventuri; per certas preces, vel res benedictas, ſubitaneam ignis extinctionem. 4. Sanationem hominum, vel animalium certis verbis, ſignis, diei certi Sancti, certo numero precum infallibiliter adſcribens; non vero peccatum eſt, effectus ſolum naturales conjicere, ut ex planetis ad certa vitia proclivitatem; ex certo ſyderum concurſu pluvias; ex apparitione delphinarum tempeſtatem; ex precibus, & rebus benedictis, auxilium a Dei diſpoſitione, ac miſericordia, per interceſſionem certi Sancti, uti in Feſto S. Joannis Baptiſtæ morbi caduci ſanationem, equorum circa ejus Eccleſiam ductorum conſervationem, morſus canis rapidi, interceſſione S. Huberti, interveniente cujusdam tactu, rabiei dilationem, vel a certis cibis, vel ſpeculis inſpiciendis, &c. abſtinendo, ſanationem; quia prædicta partim naturalem, partim a Deo, effectum habere poſſunt, Eccleſia approbante. Nec peccant, ſortes adhibentes pro diviſione hæreditatis, nec pro determinando eo, qui ex pluribus reis morte damnatis mortem ſubire debeat; nec deſtruentes maleficium, comburendo ligaturas, & alia media adhibendo, ut medicinas, orationes, vel exorciſmos ab Eccleſia approbato; ponendo ſigna, quibus poſitis maleficium exſpirat, ut repercutiendo ſagam, ei dando ſalem, & panem, modo per ſe non ſint mala, vel maleficia contraria, *P. Gerv.*; nec peccant utentes notitia, ſuperſtitione acquiſita, ut fodientes theſaurum a dæmone revelatum, quamvis talem notitiam inquirentes graviter peccaverint; nec ſaltem graviter peccant, conſulentes ægyptios de fortuna, nullam fidem adhibentes, ſola curioſitate, ſed tantum venialiter, ſecluſo ſcandalo, præbendo occaſionem divinationis, quod raro deeſt. 5. Graviter peccant virga bifurcata; ſeu divinatoria cum circumſtantiis ſuperſtitioſis, utentes, quæ etiam raro deſunt, vel ſæcularis munus Diaconi, &c. exercens, Miracula falſa, revelationes, vel hiſtorias falſas, ut ſacras proferentes, reliquias falſas, cultui exponentes, in die Paſchæ, vel Nativitatis Domini jejunantes pro fine, ad quem non magis, quam alia die jejunium contribuere

 pó-

poteſt; niſi ſpeciali devotione, vel mortificatione fiat. 6. Venialiter peccant plures cruces, vel orationes quam præſcriptæ ſunt, dicentes, niſi animo novum ritum introducendi, vel cum notabili deformitate fiat; tunc enim grave eſſet peccatum.

Quær. 3. *Quid ſit Irreligioſitas, & quænam ſint ejus ſpecies?*

Reſp. Irreligioſitas, eſt peccatum, quo Deus in ſe, vel in rebus, aut perſonis ſacris inhonoratur. Quinque ſunt ejus ſpecies, 1. Tentatio Dei. 2. Sacrilegium. 3. Blaſphemia. 4. Perjurium. 5. Simonia.

Quær. 4. *Quid ſit Tentatio?*

Tentatio eſt dictum, vel factum ad capiendum a Deo experimentum per extraordinarium effectum ab eo, temere exſpectatum, explicite per miraculum, vel implicite, ſpretis mediis ordinariis a Deo ſolo eum exſpectando; niſi quis habeat donum miraculorum, vel juſtam cauſam, uti eſt ordinatio divina, urgens neceſſitas, deficiente omni alio remedio.

Quær. 5. *Quale Tentatio ſit peccatum?*

Dico. Tentatio Dei ſive expreſſe, ſive implicite fiat, grave eſt ex genere ſuo peccatum; quia gravem erga Deum irreverentiam, & audaciam importat; a mortali tamen excuſant inadvertentia, vel parvitas periculi, cui ſe exponit, vel rei parum extraordinariæ levitas.

Hinc: grave peccatum eſt, 1. probatio virginitatis ferro candente, vel aqua ferventi. 2. Purificatio a crimine per duellum. 3. Concionari ſine ullo ſtudio, exſpectando magna cum temeritate, ſpeciale a Deo auxilium. 4. Sanitatem exſpectare a ſclo Deo, ſpretis omnibus aliis remediis, cum vitæ ſuæ periculo.

Quær. 6. *Quid, & quotuplex ſit Sacrilegium?*

Reſp. Sacrilegium eſt violatio rei ſacræ, & eſt triplex, perſonale, locale, & reale. Perſonale eſt, quo perſona ſacra Clerici, vel Monachi violatur. Locale, quo locus ſacer, ut Eccleſia, vel Cœmeterium violatur: non vero campanile, Monaſteria, dormitoria, &c. Reale, quo alia res ſacra a perſona, & loco diſtincta violatur, poſitive, eam indigne tractando, vel negative, ejus puritatem negligendo. Addunt aliqui temporale, quo tempus ſacrum violatur.

Quær. 7. *Quale peccatum ſit Sacrilegium?*

Dico.

Dico. Sacrilegium grave eſt ex genere ſuo peccatum, & ſi fit cum intentione formali inhonorandi res ſacras, ſemper mortale; quia contemptus formalis rei ſacræ, cadit in ipſum Deum; ſi vero fiat alio fine, poteſt eſſe veniale ob levitatem materiæ, ut furtum rei levis; debetque in Confeſſione exprimi, in qua ſpecie Sacrilegium ſit commiſſum.

Hinc: graviter peccat; 1. *Sacrilegio perſonali* percutiens perſonam ſacram, vel eam ſubjiciens injuſte foro ſæculari, vel irrationabiliter gravans oneribus, ut tributis ſine Eccleſiæ Romanæ indulto, &c. vel perſona ſacra committens peccatum luxuriæ, vel non ſacra cum perſona ſacra.

Hinc 2. Graviter peccat *Sacrilegio locali*, 1. violans locum ſacrum actibus, quibus polluitur, ut occiſione peccaminoſa, & notoria notorietate juris, vel facti, ita, ut reconciliari debeat, *Billuart*; etiam maleficantis; non vero joco, caſu, vel pro juſta defenſione facta; item effuſione ſanguinis notabilis illicita, & eodem modo notoria, aut ſeminis humani, etiam conjugum; niſi forte longa cohabitatio tempore belli eos excuſet; item ſepultura excommunicati vitandi, vel non baptizati, excepto catechumeno, *Billuart*; & infante in utero matris; quia eſt pars matris, niſi extractus ex utero matris, reponeretur; quia tunc non amplius eſſet pars matris, *Sylvius*; polluta autem Eccleſia, polluitur Cœmeterium, ſed non viciſſim. 2. Actibus ſanctitati, ac reverentiæ loci ſpecialiter adverſantibus, ut gravi percuſſione, occiſione, & effuſione ſanguinis, vel ſeminis occulta, tactibus, aſpectibus, verbis impudicis, & comœdiis laſcivis; furto non ſolum rei ſacræ, vel profanæ Eccleſiæ cuſtodiæ traditæ, ſed etiam cujuſque alterius rei notabilis; item profanatione per mercatum profanum, nundinaſve, vel per erectionem in ſtabulum, per judicium, ſpecialiter criminale, eſtque invalidum. *Greg. X. in Conc. Lugd.*; per ſacrificium idolorum, per confabulationes, & convivia ſine neceſſitate, *Tourn.*; confabulationes tamen communiter non excedunt veniale; niſi fieret gravi cum exceſſu, ac notabili officii divini perturbatione, aut ſcandalo, *Bill.*; nec committitur ſacrilegium, per omne peccatum externum, vel internum in Eccleſia commiſſum, *S. Thom.*, & *communior recentiorum*; quia non omne peccatum in ſacro, eſt violatio

tio rei ſacræ, in quo eſt ſacra, ſicut non omne peccatum perſonæ ſacræ, eſt ſacrilegium, ſed ſolum illud, quod contrarium eſt ei, ad quod ſacrata eſt. 3. Committitur ſacrilegium; actibus, quibus Eccleſiæ vis infertur, ut infractione, incendia, everſione altaris.

Hinc 3. Graviter peccat *Sacrilegio reali*, res ſacras violans, vel poſitive, ut Sacramenta indigne adminiſtrans, vel ſuſcipiens, veſtes ſacerdotales, Oleum S. Sacrum Criſma, &c. ad uſus profanos, aut ad ludicrum adhibens, ut Balthaſar ex ſacris vaſis bibens; Sacram Scripturam ad facetias, amatoria, hæreſes ſtabiliendas applicans; imagines, cruces, ac alia ſacra ornamenta prophanans; jura bonorum temporalium Eccleſiæ graviter defraudans; pia legata ſupprimens: vel negative, ut munditiam veſtimentorum, ac vaſorum ſacrorum notabiliter negligens, ſacras ſpecies corruptioni, vel gravi irreverentiæ negligenti cuſtodia exponens.

De Blaſphemia agitur *in Tractatu de Charitate*. De Perjurio *in Tractatu de Religione*. De Simonia *in Tractatu de variorum ſtatuum Obligationibus*.

TRA-

TRACTATUS VI.

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS, PRUDENTIA, FORTITUDINE, TEMPERANTIA, ET JUSTITIA.

Dividitur hic Tractatus in 7. Quæſtiones; 1. de Prudentia, Fortitudine, & Temperantia, 2. de Juſtitia, 3. de Dominio, 4. de Contractibus in communi, 5. de Contractibus in particulari, 6. de Injuſtitia, & Reſtitutione in communi, 7. de Reſtitutione in particulari.

QUÆSTIO I.

DE PRUDENTIA, FORTITUDINE, ET TEMPERANTIA.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit Prudentia, & quænam ad Prudentiam referantur?

Reſp. 1. PRudentia eſt rerum appetendarum, & fugiendarum ſcientia, *S. Aug.* qua dignoſcitur in quolibet negotio, quid agendum, vel fugiendum ſit, & eſt duplex, perſonalis, quæ ſolum bonum operantis attendit; & gubernatrix, quæ attendit bonum communitatis, vel perfecte, & dicitur politica; vel imperfecte, & dicitur œconomia, qua Pater, vel Superior ſuam familiam regit.

 2. Ad

2. Ad Prudentiam referuntur, 1. Memoria præteritorum. 2. Intelligentia præſentium. 3. Providentia futurorum. 4. Solertia in inveniendis mediis convenientibus. 5. Docilitas in ſuſcipiendis conſiliis. 6. Ratio unum ex alio inferendi. 7. Circumſpectio circumſtantiarum. 8. Cautio evitandi impedimenta, fini propoſito, adverſantia. 9. Diligentia in executione.

Quær. 2. Quodnam ſit Prudentiæ objectum, & quinam actus?

Reſp. 1. Objectum materiale Prudentiæ, ſunt actiones humanæ particulares, & formale eſt conformitas actionum humanarum cum veritate hic & nunc practica; quia elicitive, prout elicit actus practicos, pertinet ad intellectum, cujus objectum formale eſt veritas; & directive ad voluntatem, quatenus eam dirigit in honeſtatem.

2. Actus, ſeu officia Prudentiæ ſunt 1. bene conſultare de honeſtate agendorum. 2. Recte judicare de mediis, loco & tempore. 3. Efficaciter imperare executionem.

Quær. 3. Quodnam ſit vitium Prudentiæ oppoſitum?

Reſp. Vitium prudentiæ oppoſitum, eſt imprudentia, ad quam ſpectant per defectum. 1. Præcipitatio in aggreſſione operis. 2. Inconſideratio mediorum. 3. Inconſtantia bene inceptorum. 4. Negligentia executionis. Per exceſſum 1. Prudentia carnis ex inſtinctu naturæ corruptæ. 2. Aſtutia, alios decipiendo, vel verbis, & dicitur dolus, vel factis, & vocatur fraus. 3. Inordinata ſolicitudo temporalium, & futurorum.

Quær. 4. An Prudentia ſit neceſſaria?

Dico. Prudentia ita eſt neceſſaria, ut ſine illa nulla vera ſit virtus; quia cæteræ virtutes, niſi ea, quæ appetunt, prudenter agant, virtutes eſſe nequaquam poſſunt, *S. Greg. lib. mor. c.* 25.

Quær. 5. Quid ſit Fortitudo, & quænam ſint ejus ſpecies?

Reſp. 1. Fortitudo, eſt Virtus Cardinalis, verſans circa paſſiones, appetitus iraſcibilis, ſuperandas, vel tolerandas, firmans voluntatem ad pericula mortis, tempore, & loco debito aggredienda, & ad labores perferendos pro conſecutione boni neceſſarios.

2. Species Fortitudinis ſunt 1. Magnanimitas, quæ magna, & ardua fortiter aggreditur. 2. Magnificentia, quæ magna, & ardua efficit, nullis parcens ſumptibus neceſſariis. 3. Patientia, quæ firmat animum in tolerantia af-

flictio-

flictionum. 4. Perſeverantia, quæ corroborat animum, ut, non obſtantibus quibuſcunque malis, in opere bene incepto, uſque ad finem perſiſtat. 5. Manſuetudo, quæ iram moderatur. 6. Clementia, quæ vindictam coercet, & mediocritatem in puniendo, & præmiando præſcribit. 7. Humilitas, quæ ſpem, & audaciam ita moderatur, ut non nimis de ſe præſumat, nec animum dejiciat, & ſibi ipſi vileſcit. 8. Obedientia, quæ debitam erga Superiores ſervat ſubjectionem.

Quær. 6. *Quodnam ſit Fortitudinis objectum?*

Reſp. Objectum materiale Fortitudinis, ſunt pericula, & labores; formale vero honeſtas, in eorum tolerantia, ſine nimio timore, vel audacia.

Quær. 7. *Quænam ſint vitia Fortitudini oppoſita?*

Reſp. Vitium Fortitudini oppoſitum per exceſſum, eſt temeritas; qua quis ſe periculis contra rectæ rationis dictamen committit; & per defectum, ignavia, qua quis ab iis deterretur periculis, quibus ſeſe pro tempore, & loco exponere poteſt, & debet; ad hæc referuntur 1. præſumptio, quæ eſt nimia propriarum virium æſtimatio. 2. Ambitio, quæ eſt inordinatus honoris appetitus. 3. Vana gloria, quæ eſt inordinatus famæ, laudis, ac gloriæ appetitus. 4. Puſillanimitas, quæ eſt nimia animi dejectio. 5. Profuſio, quæ eſt exceſſiva divitiarum erogatio. 6. Parvificentia, quæ non ſufficienter pro operis dignitate impendit. 7. Inſenſibilitas, qua quis nec ſuis, nec alienis malis ob animi ſtuporem movetur. 8. Impatientia, qua quis plus juſto de malis dolet. 9. Inconſtantia, qua quis ſine juſta cauſa a bono propoſito deſiſtit. 10. Pertinacia, quæ dat inordinatam animo firmitatem, & plus quam oportet.

Quær. 8. *Quid ſit Temperantia, & quænam ejus ſpecies?*

Reſp. 1. Temperantia eſt Virtus Cardinalis, circa paſſiones, appetitus concupiſcibilis, moderandas, verſans, & juxta rectæ rationis dictamen moderans affectum, uſumque voluptatum, præcipue guſtus, & tactus.

2. Species ejus ſunt præcipue quatuor, nempe 1. abſtinentia, quæ moderatur affectum, uſumque cibi. 2. Sobrietas, quæ moderatur affectum, uſumque potus inebriantis. 3. Caſtitas, quæ moderatur, & cohibet appetitum, & uſum venereum. 4. Pudicitia, quæ cohibet, & moderatur oſcula, tactus, amplexus, eorumque delecta-

Digitized by Google

tionem; his additur ſtudioſitas, quæ curioſitatem ſciendi indecentia, & pigritiam repellit. Modeſtia, quæ actuum exteriorum, ſenſuum, totiuſque corporis rectam compoſitionem præſcribit. Eutropelia, quæ in recreationibus modum ſervat honeſtum. Paupertas, quæ uſum omnium temporalium moderatur.

Quær. 9. Quodnam ſit Temperantiæ objectum, & quæ vitia oppoſita?

Reſp. 1. Objectum materiale Temperantiæ, ſunt delectationes omnes corporeæ, præſertim guſtus, & tactus: Formale vero eſt earum moderatio, & in fines legitimos, ordinatio.

2. Vitia Temperantiæ oppoſita, ſunt præcipue duo, nempe, 1. inſenſibilitas, qua quis omnes corporis delectationes, etiam neceſſarias refugit; eſt ordinarie veniale; mortale vero ſi ea, evitaret, ad quas ſub gravi peccato obligatur, ut ad debitum conjugale. 2. Intemperantia, quæ quis voluptates guſtus, & venereorum immoderate appetit, rationiſque, ac legis æternæ regulam, in earum uſu, excedit; eſt ex genere ſuo mortale.

Quær. 10. An ornatus mulierum ſit licitus?

Dico. Ornatus mulierum honeſtus per ſe, eſt licitus 1. pro decore ſtatus ſui. 2. Ut virum nanciſcantur. 3. Ut propriis viris placeant; eſt autem veniale, ſi ſit ſupra ſuam conditionem; & mortale, 1. ratione finis pravi, ſi fiat ad luxuriam excitandam. 2. Ratione ſcandali, præbendo aliis cauſam ruinæ ſpiritualis. *Vide de ſcand. & de volunt.* 3. Ratione cauſæ ſuapte natura delectationem veneream excitantis, ut nimia nuditas. 4. Ratione injuriæ propriæ familiæ ob exceſſivas impenſas factæ, vel alienæ, propterea non ſolvendo debita, vel reſtitutionem omittendo.

Hinc: graviter peccant mulieres, 1. ſe vane ornantes cum intentione, vel prævifione aliquem inde ad libidinem fore commovendum. 2. Pectora, vel ſcapulas inhoneſte denudantes. 3. Familiam exceſſivo corporis ornatu, ad gravem penuriam, reducentes. 4. Utentes fucis propter laſciviam, vel in Dei contemptum, ejus opus adulterando; eſt veniale, ſi fiat ex vanitate, vel fingendo pulchritudinem, & nullum, ſi fiat ex juſta cauſa, turpitudinem ſolum occultandi ex ægritudine provenientem. 5. Utentes capillis alienis in finem luxuriæ, peccant tamen

tan.

tantum venialiter, ſi fingant eſſe proprios, ſine alia prava circumſtantia, vel fine; & nullatenus, ſi ſimpliciter ad ornatum moderatum, ut lana, lino, pellibus animalium, illis utantur, *Sylvius*; calathis mulieribus (gallice *Paniers*;) non ita quidem inventis, fortiter quoque a Confeſſariis reſiſtendum, ut totaliter tollantur, vel ſaltem ad limites adeo anguſtos revocentur, ut nihil inde pudori timendum, *Tourn*. & de eorum uſu ſicut de fuco judicandum. 5. Utentes larvis, delectationis venereæ cauſa in ſe, vel in aliis excitandæ; venialiter vero peccant, ſi ſint indifferentes, ſine honeſta cauſa utentes. 6. Veſtimentis alieni ſexus ex fine libidinis utentes, vel illis libidini, vel gravi ſcandalo occaſionem præbentes; ſi ex levitate fiat, eſt veniale, & nullum, ſi fiat ex neceſſitate, vel juſta cauſa. 7. Graviter peccant fucos, & larvas vendentes iis, quos ad graviter peccandum uſuros ſciunt, & venialiter, vendentes probabiliter, nonniſi ad finem venialiter malum uſuris, *ibid.* nullatenus vero peccant, vendentes, uſuris, ad tegendam turpitudinem, ut placeant viris ſuis, eoſque ab adulterio retrahant, *Sylv. & S. Thom. apud Tourn.*

Quær. 11. *An choreæ ſint licitæ?*

Dico. Choreæ per ſe impuræ ob geſtus obſcænos, &c. ſunt mortales; de ſe vero indifferentes, etiam inter perſonas diverſi ſexus, ſunt licitæ, 1. ſi ſaltans non ſit Religioſus, vel Clericus. 2. Si fiant tempore lætitiæ, ut nuptiarum &c. 3. In loco non ſacro, nec tempore officiorum ſacrorum. 4. Nec in die Feſto, ubi viget prohibitio civilis, vel Eccleſiaſtica. 5. Secluſo periculo delectationis venereæ, & ſecluſo animo, geſtuque libidinoſo. Vix tamen unquam a Confeſſariis permitti poſſunt; quia vix unquam habent conditiones requiſitas, *Tourn. Pont.*

Hinc 1 graviter peccant 1. Religioſi, & Clerici cum gravi dedecore ſui ſtatus ſaſtantes, ut in loco publico, &c. non vero ſi fiat inter ſe, honeſtæ recreationis cauſa. 2. Saltantes tempore Sacro, & divinorum Officiorum, cum notabili eorum irreverentia, & deſpectu, vel contra gravem prohibitionem. 3. Choreas ducentes geſtibus, tactibus &c. inhoneſtis, & laſcivis, & harum ſpectatores eodem modo peccant. 4. Funambulatores, mortis periculo, ſe exponentes.

Quær. 12. *An ſpectaculis intereſſe liceat?*

Dico.

Dico. Spectacula; ſi ſint rerum turpium, & ad peccatum provocantium, ſtudioſa eorum inſpectio peccatum eſt, & quandoque in eis tanta poteſt libido adhiberi, ut ſit mortale: alia vero de rebus utilibus, & ad vitam neceſſariis, ut venationes &c. animum diſtrahunt; unde quamvis poſſit ſine peccato eis intendi, chriſtiano tamen pœnitenti, ſunt vitanda, *ita S. Thom.* iiſque vix chriſtianus intereſſe poteſt abſque peccato gravi, vel levi prout majus, vel minus, inde periculum, ſibi imminere advertit, *Tourn.*

Hinc: graviter peccant, Comœdias obſcænas, vel ad paſſiones graviter malas provocare, vel eas fovere ſolitas, exhibentes, vel iis aſſiſtentes; hiſtriones ſuſtentantes, iis laborantes proxime ad Theatrum ſpectantia, & talibus Comœdiis publice notis, Communio Paſchalis publice petita, eſt neganda, niſi veræ converſionis ſigna exhibeant, ſe confeſſos, ſuamque artem, ac modum turpia exhibendi deſeruiſſe, teſtentur; & pro Viatico videtur idem ſervandum, ac pro Communione Paſchali; & in articulo mortis artem ſuam ac modum, turpia exhibendi, pro tempore futuro abdicare nolentibus, Sacramenta, ac ſepultura chriſtiana eſt neganda, *Pontas*; quia cenſentur excommunicati, ac peccatores publici: in Gallia tamen pro negatione ſepulturæ chriſtianæ, accedere debet ſententia Judicis, *Pont. V. Commun. caſ.* 26.; non vero ſunt prohibitæ Comœdiæ, quæ fiunt de rebus honeſtis, de correctione morum pro exercitio ſtudioſorum, vel in aulis Principum, vel ad decorem civitatis, populi recreationem, publicamque lætitiam, dummodo omnia obſcæna removeantur.

QUÆSTIO II.

DE JUSTITIA.

Quæritur. Quid, & quotuplex ſit Juſtitia?

Reſp. JUſtitia prout hic ſumitur, eſt conſtans, & perpetua voluntas, jus ſuum, cuique tribuendi ad æqualitatem. Alia eſt legalis, ſeu generalis, & eſt virtus,

tus, firmans voluntatem privati, ad tribuendum Reipublicæ debitum, ratione dominii alti, quod habet in perſonas privatas, & earum bona; hæc dicitur imperans, quatenus reſidet in Principe, & Magiſtratu, & dirigit actus ſubditorum ad bonum commune, & exequens, quatenus reſidet in ſubditis exequentibus, quæ ad bonum commune pertinent. Alia eſt particularis, quæ ordinatur ad perſonam ſingularem, v. g. civis ad civem, & dividitur in commutativam, quæ eſt virtus moralis, inclinans privatum, ad reddendum alteri privato, debitum rigoroſum, ſecundum proportionem arithmeticam, quæ eſt æqualitas rei ad rem, v. g. pretii cum merce, ſolutionis cum debito; & diſtributivam, quæ eſt virtus moralis, inclinans eum, qui communitati præeſt, ad diſtribuenda officia, & bona communitatis, ſecundum proportionem geometricam, id eſt juxta cujuſque merita, ſi ſit remunerativa, vel ad irrogandas pœnas juxta modum culpæ, ſi ſit vindicativa, unde improprie in vindicativam dividitur, quæ eſt virtus, quæ intendit æqualitatem pœnæ cum delicto.

Quær. 2. Quænam ſit Juſtitia ſtricte dicta, & cujuslibet objectum?

Dico. Sola juſtitia commutativa, eſt Juſtitia ſtricte dicta; quia ſola eſt adæquate, & ſufficienter ad alterum, cui reddit, quod ſtricto jure ei eſt debitum: non vero Juſtitia diſtributiva, & legalis, quæ reperiuntur inter Rempublicam, & civem, quatenus eſt ejus pars: hinc ex ſolius juſtitiæ commutativæ violatione oritur obligatio reſtitutionis, non vero ex diſtributivæ, vel legalis, niſi commutativæ ſocientur. Objectum materiale Juſtitiæ commutativæ, eſt res, vel actio prout ſtricte debita, & ad æqualitatem ſecundum proportionem arithmeticam reddenda. Objectum Juſtitiæ diſtributivæ materiale, ſunt officia, munera, & onera communitatis diſtribuenda; & formale prout ſunt diſtribuenda, ſecundum proportionem geometricam, Vindicativæ vero objectum materiale, ſunt pœnæ & formale, æqualitas cum delicto; quia a qualibet primario, & ſub his rationibus conſiderantur.

Hinc: contra juſtitiam diſtributivam, commutativæ ſimul ſociatam, peccant cum onere reſtitutionis 1. Magiſtratus ex odio, vel amicitia conſanguineorum, aut ex negligentia, aliquos contra Regis mandatum plus, quam alios

juta

juxta proportionem geometricam annuis tributis, aliſve impoſitionibus onerantes, vel donum gratuitum ſecundum dignitatem diſtribuendum, vel Eleemoſynas legatas pauperibus, certi loci, vel ligna communia ex ſtatuto, vel conſuetudine ſecundum quantitatem tributorum, quæ quilibet Regi ſolvit, dividenda, non ſecundum eandem proportionem, vel non iiſdem diſtribuentes; quia quilibet habet jus ſtrictum ad ſuam partem, ſuppoſito mandato, ſtatuto, vel conſuetudine; vel non punientes eos, qui civium vitæ, & bonis inſidiantur, ut ſua retinere, vel recuperare non valeant; quia ex officio, & ſtipendio ea impedire tenentur, vel ad officia non ſaltem dignos eligentes, ad damna inde ſecuta, tenentur Reipublicæ, vel iis, quæ ob eorum imperitiam damnum paſſi ſunt; quia ſtricto jure bonum commune promovere, & damna ſubditorum impedire, tenentur. 2. Intimato concurſu pro beneficiis, dignum digniori præferentes quia ob pactum implicitum, dignior, jus ad illud acquirit. 3. Tributa, Vectigalia, vel gabellas. &c. defraudantes, clam carnes, merces, &c. introducentes, & tenentur ad reſtitutionem, *Sylveſter, Cajet. Leſſ. Cabaſſ. & alii communiter apud Bill.*; quia peccant non ſolum contra Juſtitiam legalem, ſed etiam contra commutativam, cum ſint jure ſtricto Principi, vel communitati debita, tanquam ſtipendia functionis regiæ, & rectæ adminiſtrationis ſubſidia. Vide quæ dicta ſunt de Tributis, *in Tract. de Leg.* 4. Civis privatus non impediens incendium ſylvæ communitatis, vel ne alii ligna in ea cædant, peccat contra Juſtitiam legalem; non tamen tenetur ad reſtitutionem; quia non ſtricto jure ad id tenetur].

Quær. 3. Inter quos non poſſit dari Juſtitia perfecta commutativa?

Dico. Nulla datur Juſtitia perfecta commutativa, nec diſtributiva, nec vindicativa, Dei erga creaturas; quia nulli creaturæ poteſt obligari; nec creaturæ erga Deum, niſi ſecundum quid; quia non poteſt reddere Deo ad æqualitatem, & non aliis titulis debitum; nec inter patrem, & filium; dominum, & mancipium; virum, & uxorem, qua tales; quia inter eos non reperitur perfecta æqualitas, & altereitas; filius enim eſt pars patris, mancipium inſtrumentum, & poſſeſſio domini, vir, & uxor ſunt duo in carne una; poteſt autem inter illos dari, ut ſunt perſonæ privatæ, & quoad bona ſibi propria.

Quær.

Quær. 4. *Quid, & quotuplex ſit Jus, & quot ſint ſpecies Juris?*

Reſp. 1. Jus prout hic ſumitur, eſt legitima poteſtas ad rem aliquam, vel functionem, vel quaſi functionem, cujus violatio, injuriam parit; vel clarius, eſt legitima poteſtas ad aliquid, vel faciendum, vel prohibendum, vel obtinendum, vel retinendum, vel eo utendum, vel de eo diſponendum, cujus violatio injuriam conſtituit; & dividitur in Jus in re, quod quis habet in re jam ſua, & obtenta, & in Jus ad rem, quod quis habet, ut res fiat ſua.

2. Sex ſunt ſpecies Juris, nimirum uſus, uſusfructus, ſervitus, habitatio, ſuperficies, dominium.

1. Uſus, alius eſt Juris, qui eſt Jus utendi re aliena ſalva ejus ſubſtantia. Alius uſus facti, qui eſt actualis uſus rei alienæ, ad nutum concedentis, revocabilis; hinc nec Jus ſtrictum, nec dominium importat, & in rebus etiam unico actu conſumptibilibus poteſt ſeparari a dominio; quia poteſt concedi actualis uſus rei, etiam conſumptibilis, ſine dominio, ut cibi in convivio.

2. Uſusfructus, eſt Jus utendi, & fruendi rebus alienis, ſalva earum ſubſtantia.

3. Servitus, active eſt Jus, quod quis habet in re aliena, ut ſibi ſerviat, id eſt ut in ea aliquid fiat, vel non fiat in ſuum commodum; paſſive vero eſt ſubjectio rei alienæ, ut aliquid in ea fiat, vel non fiat in commodum alterius, ſalva ejus ſubſtantia. Alia eſt perſonalis, qua res perſonæ, vel perſona rei obligatur. Alia eſt realis, per quam res rei ſervit; hæc dividitur in urbanam, quæ prædio urbano; id eſt ædificio habitandi cauſa ædificato, vel horto ei annexo debetur, v. g. ut feneſtra in muro non aperiatur, vel murus non altius attollatur &c. & ruſticam, quæ prædio ruſtico (ut eſt ager, vinea, pratum, pecorum habitaculum a domo ſeparatum) debetur, ut via, actus, aquæductus, &c. in iis fiat. Aliæ ſunt ſervitutes innominatæ, ut Jus aquam hauriendi, pecora adaquandi, paſcendi &c. 4. Habitatio eſt Jus habitandi in alienis ædibus, ſalva earum ſubſtautia, poſſunt etiam aliis locari.

5. Superficies eſt Jus, quo quis alieni fundi ſuperficiem poſſidet, & in eo ædificare poteſt; ſuperficiarius habet dominium utile, & dominus fundi proprietatem.

6. Do-

6. Dominium eſt principalior Juris ſpecies de quo infra.

Quær. 5. Quomodo acquiratur Jus in re, & Jus ad rem?

Dico. Ut quis habeat Jus in re, requiritur, 1. rei exiſtentia. 2. Titulus, ut emptio, donatio, aliusve contractus. 3. Rei traditio; ad Jus vero ad rem ſufficit titulus. Jus in re tribuit actionem realem in ipſam rem, ita, ut poſſit repeti, ad quemcunque tranſierit; Jus ad rem vero, tribuit tantum actionem perſonalem in ipſam perſonam, quæ obligata eſt ad rem, quam debet, ut ex emptione, traditione non ſecuta, vel alteri facta, vel ex alio contractu.

Hinc: equus actu poſſeſſus, & furto ablatus, poteſt repeti, ubicunque inveniatur; quia poſſidens habet Jus in re, non vero emptus ſine traditione, & poſtea alteri traditus, ſed emptor ſolum poteſt venditorem in judicio inſequi, ut facta cum ſecundo emptore conventione eum reſtituat, vel pro injuria ſatisfaciat.

Quær. 6. Ad quid teneatur Uſuarius, & Uſufructuarius, & quomodo Uſusfructus acquiratur, & amittatur?

Dico. Uſuarius tenetur, 1. rem integram ſervare. 2. Non uti re conceſſa, niſi ad ſuum uſum quotidianum pro ſe, & ſua familia. 3. Prohibetur concedere uſum, vel partem alteri, vel fructus ejus donare, vendere, &c. ſecus tenetur ad damna. Uſufructuarius vero tenetur, 1. rem integram ſervare, & ad modicas ejus reparationes, & de damno ſua culpa proprietario illato. 2. Non vendere, locare, donare, &c. Uſumfructum alteri ſine conſenſu proprietarii, bene autem omnes fructus, & jus utendi, ſervato ſibi uſufructu. 3. Solvere onera rei fructiferæ, ut tributa, &c. Uſusfructus acquiritur. 1. Legis diſpoſitione; talem habet Pater in peculio Filii adventitio. 2. Privatorum voluntate, ut teſtamento, contractu, &c. & amittitur, 1. morte Fructuarii. 2. Deſtructione rei. 3. Præſcriptione a domino directo. 4. Elapſo tempore pro Uſufructu fixo. In Gallia etiam morte civili, ut damnatione peremptorie ad mortem, vel ad carceres, triremes, vel exilium in perpetuum, vel ultra novem annos, & profeſſione religioſa.

Hinc 1. Uſuarius equi, ſylvæ, agri, domus, &c. non poteſt percipere pullum ex equo, nec vendere fructus agri ſibi non neceſſarios, nec ligna ex ſylva, nec locare do-

domum; & ſi locata comburatur quacunque locatarii culpa, tenetur ad damnum.

Hinc 2. Uſufructuarius poteſt percipere, vendere, &c. in grege lanam, lac, fœdus, &c. in fundo fœnum, ſegetes, lapides, &c. arbores cæduas, (*gallice bois taillis*) non vero arbores grandiores, niſi valde vetuſtæ, vel inutiles eſſent, nec fructiferas, bene autem earum fructus; idem ædes inhabitare, vel locare, &c. tenetur tamen; ſi gregis collective ſumpti Uſumfructum habeat, 1. in locum capitum demortuorum alia ex ſœtu, quem percipit; ſubmittere; non vero ſi ſingulorum capitum diviſim ſit Uſufructuarius. 2. In locum demortuarum arborum, aut vitum alias plantare in ſylva, vel vineis; non vero, ſi arbores vi tempeſtatis ſint everſæ; nec ſunt Fructuarii, ſed proprietarii. 3. In ædibus parvas facere reparationes, ne pereat rei ſubſtantia, tributa, & alia onera eis annexa ſolvere.

QUÆSTIO III.

DE DOMINIO.

Quæritur. 1. *Quid, & quotuplex ſit Dominium, Titulus, & Poſſeſſio?*

Reſp. 1. Dominium eſt duplex, juriſdictionis, quod eſt legitima poteſtas gubernandi ſuos ſubditos liberos; & Dominium proprietatis, quod eſt jus diſponendi de re tanquam ſua, niſi lege, aut pacto prohibeatur; ſic debitor pacto, & pupilli, ac minores lege prohibentur alienare bona ſua. Dominium proprietatis aliud eſt plenum, ac perfectum, quod eſt jus diſponendi de re ſua, & fructibus ejus tanquam ſuis. Aliud non plenum, ſeu imperfectum, quod eſt jus diſponendi, vel de ſola re, & vocatur directum, vel de ſolis rei fructibus, & dicitur utile. Aliud eſt Dominium altum, quod habet Princeps, vel Reſpublica in bona privatorum pro bono communi. Aliud humile, quod quilibet habet in rem ſuam.

2. Titulus eſt radix, unde jus, vel Dominium oritur, ut emptio, vel alii contractus, & eſt triplex, 1. verus, qui

qui eſt a parte rei. 2. Coloratus, qui bona fide creditur verus, licet ob defectum latentem ſit invalidus. 3. Præſumptus, qui ob temporis diuturnitatem a jure præſumitur interveniſſe.

3. Poſſeſſio alia eſt facti, quæ eſt apprehenſio rei corporis, animi, & juris adminiculo, 1. dicitur corporis, id eſt per pedes, vel manus, & hæc dicitur apprehenſio vera; vel oculis, ſcriptura, aut inſtrumento, accipiendo claves &c. & hæc dicitur ficta. 2. Dicitur animi, & juris, id eſt animo poſſidendi, vel retinendi, jure non prohibente. Poſſeſſio alia eſt juris, quæ eſt jus inſiſtendi rei tanquam ſuæ non prohibitæ poſſideri, & hæc eſt triplex, nimirum, 1. civilis, qua res corpore, & animo apprehenſa ſolo animo retinetur, ut ab abſente a re ſua. 2. Naturalis, qua res corpore, & animo retinetur per ſe, vel per alium, & hæc firmiſſima eſt, 3. Naturalis pure, qua res ab alio civiliter, ſeu animo poſſeſſa, naturaliter, ſeu corpore occupatur, ſic fur occupat rem ab alio animo poſſeſſam, & hæc infirmior eſt civili; & licet injuſta ſit, ſufficit tamen, ne ab alio, & ſæpe nec a Domino deturbetur ſine auctoritate Judicis. His additur civiliſſima, quæ ſola legis diſpoſitione, etiam ab inſcio, abſque corporis, & animi adminiculo acquiritur, ſic hæres parvulus, defuncti hæreditatem poſſidet.

Quær. 2. *Quomodo acquiratur Dominium?*

Dico. Rerum, quæ ſub nullius actu ſunt Dominio, ut feræ, piſces, gemmæ, &c. acquiritur Dominium occupatione, & apprehenſione; rerum vero, quæ ſub alicujus ſunt Dominio, acquiritur, vel volente domino donatione, teſtamento, venditione, vel alio contractu; & nolente domino tripliciter, videlicet, 1. Jure Gentium, ut res captæ bello juſto. 2. Sententia Judicis, ut pro crimine, vel damno ad reſtitutionem obligantis. 3. Auctoritate legis, ut præſcriptione; unde ad rerum tranſeuntium Dominium de uno ad alterum tria requiruntur, nempe, 1. titulus. 2. Traditio. 3. Poſſeſſio, exceptis quibuſdam caſibus, in quibus traditio non requiritur, nimirum: 1. in rebus donatis, venditis, aut relictis civitatibus, Eccleſiis, & ad alias pias cauſas. 2. In Beneficiis, pro quibus ſufficit collatio, & acceptatio. 3. In hæreditate, & legato, pro quibus ſufficit additio, ea acceptando verbo, vel facto. 4. In donatione ſub conditione alimentorum,

qua

qua non ſervata, Dominium rei donatæ revertitur ad donantem ſine traditione.

Quær. 3. *Quomodo acquiratur, & amittatur Poſſeſſio, & quinam ſint illius effectus?*

Dico. Poſſeſſio acquiritur apprehenſione vera, vel ficta, vel civiliſſima, & rerum mobilium amittitur tripliciter 1. voluntate poſſeſſoris. 2. Amiſſione rei. 3. Furto, & rapina; rerum vero immobilium per conſenſum, & negligentiam prioris poſſeſſoris alterum non excludentis. Effectus poſſeſſionis ſunt quatuor. 1. rem poſſeſſam præſcribere. 2. In pari, conditionem meliorem reddere poſſidentis, modo ſit in bona fide. 3. Cauſare præſumptionem pro poſſeſſore. 4. Ut poſſit rem ſuam tueri etiam armis, & ablatam in continenti repetere, ſalvo tamen moderamine inculpatæ tutelæ.

Quær. 4. *Quinam Dominium habere poſſint?*

Dico. Deus, & omnis creatura intellectualis, etiam parvuli, perpetuo amentes, peccatores, & infideles ſunt Dominii capaces; quia habent rationem, & voluntatem ſaltem in actu primo, quæ radix ſunt Dominii. *Tourn*. & quidem Deus, & Chriſtus, ut Deus habet omnium rerum Dominium perfectiſſimum, & ut homo rerum ſpiritualium ſuper omnes homines, & Angelos; temporalium vero habuit in actu primo, & radicaliter, & in actu ſecundo, in quantum ad finem ſupernaturalem fuit neceſſarium. Angeli, & dæmones Dominium habent ſuarum actionum, non autem proprie rerum corporalium. Homo innocens Dominium habuit 1. omnium creaturarum inferiorum; poſt lapſum vero, & rerum diviſionem ſolum certarum juxta diſtributionem. 2. Libertatis. 3. Famæ, quam tamen non poteſt amittere cum præjudicio tertii, vel ſcandalo proximi. 4. Vitæ ſpiritualis; non vero temporalis, & membrorum, ſaltem perfectum, ſed tantum utile, & jus defenſivum; indirecte tamen illam poteſt exponere, ut ſerviendo peſtiferis, vel miles in bello. 5. Alterius hominis, non quidem jure naturæ, ſed jure gentium; quia poteſt ejus ſervus effici, vel voluntarie ſeipſum vendendo, vel ex juſta neceſſitate ratione nativitatis ex ſerva; quia partus ſequitur ventrem; vel in pœnam delicti, vel ratione juſti belli, vel jure paterno, ob gravem neceſſitatem vendendo filium; ſed non niſi cum pacto retrovenditionis, ſi ad meliorem ſtatum redeat; ha-

Digitized by Google

bet etiam ſervus moderno tempore jus ad vitam, membra, famam, bona ſpiritualia, & temporalia a domino ſuo conceſſa, ludo, induſtria, labore non debito, vel pro compenſatione injuriæ acquiſita, vel ea conditione, ut ipſius, & non domini ſint; cætera domino ſuo acquirit.

Hinc: graviter peccant 1. Superior, Pater, Parochus, Religioſus famam ſuam amittentes, & non reparantes cum præjudicio famæ ſubditorum, filiorum, communitatis, vel ſcandalo proximi. 2. Graviter peccat ſeipſum occidens, vel mutilans, aut membra temerarie exponens; niſi fiat pro bono communi, ut in bello juſto, vel ex charitate, ut tempore peſtis, peſtiferis ſerviendo, vel Sacramenta adminiſtrando, vel membra pro conſervatione totius corporis exponendo; non tamen tenetur quis, mutilationem permittere, cum ingentibus doloribus, pro conſervatione vitæ, tantorum dolorum, non dignæ. 3. Seipſum caſtrans ad vincendas carnis tentationes, vel pro ſervanda caſtitate; ſe vel alios caſtrari faciens pro retinenda vocis ſuavitate. 4. Dominus mancipium ſine juſta cauſa occidens, mutilans, vel bonis, cujus Dominium habere poteſt, privans. 5. Mancipium a domino ſuo fugiens; niſi ſit mancipium injuſte factum, vel ad gravia peccata periculoſe ſollicitetur, vel ob malam tractationem, aut ſi ex defectu ciborum ſit in periculo vitæ, vel etiam, ſi eſſet mancipium juſte factum in bello, & ejus filii, etiam aliis jam venditi, *Lugo*; non tamen ei licet vi reſiſtere domino eum ob fugam perſequenti.

Quær. 5. *Quale Filiusfamilias habeat Dominium?*

Reſp. Prænot. Bona filiorumfamilias ſunt quatruplicis generis, 1. caſtrenſia, quæ quis militia, vel occaſione militiæ, etiam a parentibus, acquirit. 2. Quaſi caſtrenſia, quæ ex Beneficio, vel aſſumpto Clericatu acquirit, licet alias eſſent adventitia, *authent. Presb. Cod. de Epiſc. & Presb.*; vel quæ ex officio non mechanico, ut Judicis, Advocati, Profeſſoris Theologiæ, vel Artium liberalium obtinet; dicuntur quaſi caſtrenſia; quia eodem privilegio gaudent. 3. Adventitia, quæ filio non a patre, nec intuitu patris adveniunt, ſed ex ſucceſſione materna, amicorum donatione, theſauri inventione, proprio labore artificiali, vel induſtria. 4. Profectitia, quæ filius acquirit ex bonis patris, illa adminiſtrando, vel iis negotiando,

vel

vel intuitu patris, ut donatione ob amicitiam, & obſequia patris. His notatis.

Dico. Filiusfamilias bonorum caſtrenſium, vel quaſi caſtrenſium, perfectum habet Dominium, & adventitiorum, ſolum directum, & pater utile, eorumque adminiſtrationem; niſi pater uſuifructui renunciaverit, vel filio bona fuiſſent ea conditione conceſſa, ut ipſe, & non pater uſumfructum habeat, vel ſi in ſolo uſufructu conſiſterent; profectitiorum vero bonorum, filiusfamilias nec Dominium directum, nec utile habet, ſed ſolus pater, utrumque habet, *lib. 3. inſtit. tit. 9*. Nullum vero mater habet in bona adventitia, nec profectitia; quia non gaudet patria poteſtate.

Hinc 1. Filiusfamilias poſt ſeptennium poteſt pro nutu bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia donare, vel alienare, non vero adventitia, & pater illa ſubtrahens, vel adventitia quoad ſubſtantiam alienans, tenetur ad reſtitutionem. 2. Filiusfamilias graviter peccat ſurripiens parentibus bona, in notabili quantitate, vel pecunias a parentibus ipſi ad honeſtos uſus, ut libros, theſes, veſtes, &c. conceſſas, vel ficte in hunc finem obtentas, ludendo; compotatione, vel turpius impendens, & tenetur ad reſtitutionem, ſi habeat bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, & ſi non habeat, debet habere voluntatem reſtituendi, & poſt mortem patris, ea deducere in partitione, cum aliis fratribus, niſi eos tantundem expendiſſe conſtet, præcipue, ſi ſit notabilis reſtitutio facienda; modica enim a parentibus ſuis infantibus bene affectis, condonari ſolet. 3. Filiusfamilias in domo patris non ex ejus bonis, ſed operibus artificialibus, ut muſici, pictoris &c. lucrum reportatum patre invito, conſumens, peccat; quia ad bona adventitia ſpectat, quorum pater uſumfructum habet; poteſt tamen poſt mortem patris illud recuperare, deductis alimentis, ac veſtimentis a patre acceptis, quæ non tenetur dare filio habenti bona propria, *Cabaſſ. Cont. Tourn.*; ex bonis vero patris laborans, vel ipſius auctoritate negotiando lucrum reportans, nulla tacite, vel expreſſe petita mercede, nec poſt ipſius mortem illud recuperare poteſt; quia titulo pietatis ejuſmodi ſervitia patri exhibuiſſe præſumitur; facta autem patri declaratione, ſe nolle gratis ſine ſalario, vel parte lucri ſuam operam ei præſtare, poteſt poſt obitum patris par-

tem ſaltem ſuo labori correſpondentem, recuperare; quia eſt adventitia licet altera ſit profectitia, ex bonis patris proveniens; vel ſi ex metu reverentiali id declarare non auſus fuiſſet, compenſatione occulta] uti; quia non eſt deterioris conditionis extraneo; ſervatis tamen ſequentibus conditionibus, 1. ut deducantur alimenta, ut ſupra. 2. Ut uſusfructus remaneat apud patrem uſque poſt emancipationem filii, vel mortem patris. 3. Ut pater per ſe, vel alium non minori pretio idem fuiſſet facturus. 4. Ut filius nou debeat operam ſuam patri, vel matri egenti pietatis titulo. 5. Ut non obſtent leges municipales. 6. Pro compenſatione occulta, ut aliæ ſerventur juſtæ compenſationis conditiones infra tradendæ.

Quær. 6. Quale uxor habeat Dominium?

Reſp. Prænot. Bona uxoris ſunt triplicis generis; 1. dotalia, quæ uxor tradidit marito ad ſuſtinenda onera matrimonii, 2. paraphernalia; quæ uxor ultra dotem ſibi ſpecialiter reſervavit, vel quæ pro ſecuritate dotis, vel matrimonii a ſponſo accepit, vel contracto matrimonio acquiſivit donatione, legato, induſtria ex officio uxoris non debita. 3. Communia, quæ tempore matrimonii communi labore, & induſtria ſunt acquiſita. His notatis:

Dico. Uxor directum habet bonorum dotalium Dominium, & maritus utile, eorumque adminiſtrationem, niſi ſint bona uſu conſumptibilia, ut pecunia, quorum utrumque directum, & utile Dominium maritus habet, cum obligatione tantundem refundendi uxori, ſoluto matrimonio: bonorum vero paraphernalium uxor utrumque habet Dominium, nec pertinet eorum adminiſtratio ad maritum ipſa nolente, niſi alia ſit conſuetudo, ut in Gallia conſuetudinaria; bonorum communium uxor habet dimidiæ partis proprietatem, & maritus adminiſtrationem, ac uſumfructum, niſi Leges obſtent municipales.

Hinc 1. maritus graviter peccat, & tenetur ad reſtitutionem, dotem uxoris, ac bona eius paraphernalia dilapidans, aut bona communia in notabili quantitate, & ultra medietatem invita uxore, prodige donans, vel male, luſu, compotatione &c. impendens. 2. Eodem modo cum onere reſtitutionis peccat uxor aliquid notabile de bonis communibus, marito rationabiliter invito, ſurripiens, ludendo, &c. male impendens; ſolet tamen plus indulgeri uxori, quam extraneo, & a furto excuſari, 1. Si aliquid

acci-

accipiat ad modicas, & ſuo ſtatui convenientes Eleemoſynas, vel donationes faciendas, niſi vir ſufficienter largiatur. 2. Ad evitandum grave familiæ, vel mariti damnum temporale, vel ſpirituale, pro ejus converſione Preces, Miſſas procurando. 3. Pro neceſſitatibus ſuis, ac liberorum, ut ſi maritus ſit prodigus, vel illis ſubvenire renuat, vel ad ſubveniendum patri, matri, vel proli ex alio matrimonio, ſi indigeant, quoad vitam, vel ſtatum, debet tamen iſta in partem ſuam referre faciendo partitionem cum viri hæredibus. 4. Si pro honeſta recreatione, ornatu, ac ſtatu aliquid impendat; non tamen Confeſſarius de facili, habenas iis, ad exceſſum de ſe in ſimilibus propenſis, relaxare debet; & facta ſeparatione bonorum adminiſtrationem ſuæ partis habet uxor, non vero alienationem invito marito, *Lege 26. Cod. de Jur. dot.*

Quær. 7. Quale Dominium habeant Clerici?

Reſp. Prænot. Bona Eccleſiaſticorum ſunt triplicia, patrimonialia, quaſi patrimonialia, & mere Eccleſiaſtica, ut dictum eſt Tract. III. *de var. ſtat. obligat. Vide ibidem.* Hoc notato.

Dico. Clerici bonorum patrimonialium, vel quaſi patrimonialium plenum, ac perfectum habent Dominium; bonorum vero pure Eccleſiaſticorum ligatum, quoad bona ſuperflua, ita, ut de iis non licite, ut omnes conveniunt, & ſecundum multos nec valide diſponere valeant, niſi ad pias cauſas. *Vid. Tract. de var. ſtat. oblig.* Dominium quoad ſuppellectilia Eccleſiarum pertinet ad cœtum, ſeu communitatem, vel conventum cujuslibet Eccleſiæ, quæ tamen pro arbitrio extingui, vel vendi nequeunt; poteſt ea Papa pro Eccleſiæ utilitate ad alias Diœceſes, vel uſus applicare, ſicut & bona Eccleſiaſtica Principibus ſæcularibus concedere, *Leſſ.*

Quær. 8. Quinam animalium, gemmarum, metallorum, &c. acquirant Dominium?

Reſp. Prænot. Animalia alia ſunt natura feræ, & ſylveſtria, ut cervi, &c. piſces, & aves. Alia manſueta, ut oves, gallinæ, &c. Alia cicurata, ſeu manſuefacta, ut cervi domi nutriti, pavones, columbæ, &c. hoc notato.

Dico. Facta Jure gentium bonorum diviſione, quæcunque ſub nullius ſunt Dominio, Jure communi fiunt primo occupantis, *Lib. 1. ff. de acquir. poſſ.* talia ſunt animalia natura feræ, lapilli, gemmæ, & cætera in littore maris

 inven-

inventa, exceptis in Gallia quibuſdam piſcibus, & quibuſdam aliis rebus, quæ ad Regem pertinent, *Lud. XIV.* 1681.; lapidicinæ vero, fodinæ plumbi, ferri, &c. venæ auri; & argenti Jure naturali pertinent ad dominum fundi, quia ſunt pars fundi, Jure autem gallico venæ auri, & argenti pertinent ad Regem, compenſato damno fundi; ſylvæ, & paſcua, ſi proprium dominum non habent, pertinent ad Rempublicam.

Hinc: graviter peccant, & tenentur ad reſtitutionem 1. capientes gallinas, oves, &c. quantumvis aberrantes, vel feras in loco circumſepto, piſces in ſtagno, cervos manſuefactos remanentes prope domum domini libertate non integra recuperata, columbas in agris occidentes; niſi certo conſtet eſſe non habentis jus columbarii, quod omnes habent; niſi lex particularis obſtet; eo tamen tempore, quo grave ruſticis damnum inferunt, debent domi nutriri, ut putat Tournely; vel aliorum columbas in ſua columbaria attrahentes illecebris, non vero ſi remaneant ob melius pabulum non expreſſe in hunc finem adhibitum, vel ob columbarium melius colocatum; & ſi his, terve non redierint ad priorem dominum; ſunt occupantis, *Nav.* 2. Examen apum ex alieno alveo evolans, & facili proſecutione comparabile in conſpectu proprii domini verſans ſibi appropriantes, ſecus ſi longe evaſerit; tunc enim eſt capientis in proprio, vel alieno fundo. 3. Capientes cuniculos, phaſianos, &c., qui magnis impenſis nutriuntur, & non magis a ſuis dumetis diſcedunt, quam columbæ a columbario 4. Venantes, vel piſcantes contra prohibitionem Reipublicæ, vel jus venationis habentis, graveque damnum inferentes magnam piſcium copiam veneno, vel arte magica interficientes, vel maximam ferarum multitudinem necantes, graviter peccant, contra obedientiam, & juſtam Principis Legem; & ſeipſos, & ſuam familiam gravibus pœnis exponentes; non tamen tenentur reſtituere pro valore ferarum, ſed pro ſpe lucri, & recreationis, *Sylv. Pont. & alii*; quia feræ, & piſces quotidie migrantes de uno feudo in aliud, & ſub nullius Dominio exiſtentes, fiunt etiam invito domino occupantis, poſſuntque illas ementes retinere: in magno ſaltu duæ, vel tres feræ non cenſentur magni momenti, ait *Leſſius*. In Gallia linea piſcatoria piſcari licet in fluviis majoribus, ſeu navigabilibus, non vero retibus, niſi ſint profeſſione piſcato-

catores, vel jus piſcandi a Rege habeant, qui rerum communium, viarum, littorum maris, ac fluminum dominus eſt; nec in rivis minoribus, quarum jus piſcandi ad particulares pertinet. 5. Peccant domini nimia ferarum multitudine magnam agris perniciem inferentes, & tenentur ad reſtitutionem ruſticis, quamvis illis permittant feras in agris deprehenſas occidere, niſi agros cum hoc onere iis diviſiſſent. 6. Venantes a menſe Majo donec peracta ſit vindemia, & meſſis, vel alio anni tempore nemora, vineas, prata, agros notabiliter lædentes pro ratione damni reſtituere tenentur. 7. Feram in proprio fundo excitatam, multo magis vulneratam poteſt in alio fundo inſequi, donec capta; vel omnino libera ſit, *Henric. IV.*; fera autem læſa eſt vulnerantis, eamque cum probabili ſpe capiendi inſequentis, etiamſi incidat in alterius laqueum; in dubio eſt poſſidentis, vel dividenda, quod ſecurius eſt. Fera capta, vel piſcis, eſt laqueum ponentis, niſi adhuc evadere poſſit, tunc enim eſt eximentis. 8. Surripientes quæcunque ligna invito domino ex ſylvis Regiis, vel aliorum particularium propriis in quantitate pro furto ſufficiente, & tenentur ad reſtitutionem; niſi contraria vigeat conſuetudo dominis ſcientibus non reclamentibus, vel ſi eſſent ita pauperes, ut hyemem ſine igne; & cibo calido tranſigere cogerentur, ſi tantum colligant minuta ligna pro proprio foco, vel caduci roboris humi jacentia, ut vepreta &c. quia dominus non poteſt eſſe rationabiliter invitus. 9. In ſylvis communibus ob bonum commune prohibitis multas ſtirpes notabiles cædentes, vel paſcentes, ubi multæ ſunt juniores arbores, magnum, ac grave damnum Reipublicæ inferentes, & tenentur ad reſtitutionem pro ratione damni; ſi vero non ita graviter noceant, vel ſolum auferant ligna mortua, ſeu ſicca adhuc erecta; vel in terra jacentia, peccant venialiter contra obedientiam, non vero graviter, nec tenentur ad reſtitutionem; quia cum ſint bona communia, ad quæ quilibet incola jus ſuum habet; nulli ſtricte faciunt injuriam; ſi relinquant aliis ſufficientia pro ſua portione cædenda; *Sylvius apud Tourn.* non tamen idem licet extraneis.

Quær. 9. Quinam Theſauri, ac rerum inventarum acquirant Dominium?

Reſp. Prænot. Theſaurus eſt vetus quædam depoſitio pecuniæ (ſeu alterius rei mobilis, ut ſunt gemmæ, va-

ſa aurea, &c. cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat.

2. Res perdita eſt res nuper amiſſa; res vero derelicta, eſt res a domino abjecta, ita, ut eam in numero ſuarum rerum eſſe nolit. Bona vacantia ſunt ab inteſtato decedente ſine hærede relicta. His notatis.

Dico. 1. Theſaurus Jure Gentium eſt inventoris, Jure vero civili, ſi inveniatur in proprio fundo, eſt totus inventoris; ſi arte magica, totus Fiſci, non tamen ante ſententiam Judicis; quia eſt pœnalis. Si in fundo alieno caſu fortuito inveniatur, media pars eſt inventoris, altera domini fundi; ſi ſine conſenſu domini, totus eſt domini fundi, non tamen ante ſententiam Judicis; quia etiam pœnalis eſt, ſed ſolum dimidia pars. Si inveniatur in platea, foro, via publica fortuito, vel ex induſtria; ſtandum eſt conſuetudini loci; ſi in loco ſacro fortuito, totus eſt inventoris, ſi data opera, dividendus cum Eccleſia, niſi obſtent aliæ leges. In Gallia conſuetudinaria, ſi theſaurus inveniatur in via publica, media pars eſt inventoris, altera Regis, vel viarum curatoribus (gallice *voyers*) Si in loco proprio pars eſt inventoris, altera Dynaſtæ (gallice *haud juſticier*) vel Regis, ſi ſolus ſit Dynaſta. Si in alieno fundo, una pars eſt inventoris, altera domini fundi, tertia Dynaſtæ. Si inveniatur poſt emptionem agri a ſciente, vel ignorante theſaurum, totus eſt inventoris Jure communi; gallico vero media pars eſt Dynaſtæ: ſi inveniatur ante emptionem furtuito, dividendus eſt cum domino, & in Gallia tertia pars eſt Dynaſtæ, ſi data opera, totus eſt domini fundi Jure communi accedente ſententia, ut ſupra. Si duo ſint domini fundi, unus utile, alter directum habens Dominium, pars inter utrumque dividenda eſt.

Hinc: arcem certæ familiæ nobilis demoliendo inveniens vaſa aurea ejuſdem familiæ armis inſignita, & ab ejus majoribus probabiliter abſcondita, ea retinere poteſt, ut putat Leſſius; quia longitudine temporis deſierunt eſſe ſub cujuſdam Dominio: contrarium ſentit Lugo, & hæredibus eſſe reſtituenda; quia cum a nullo alio fuerint præſcripta, ſub eorum manſerunt Dominio, nec verus theſaurus eſt, cujus certus dominus ſciri poteſt, quæ opinio ſecurior eſt. 2. Crumena pecuniæ in domus angulo inventa, ſi domus continua ſucceſſione in eadem familia

man-

manſerit, hæredibus eſt reſtituenda, ſi varii in ea fuerint locatores, ad pias cauſas diſtribuenda; quia cum non videatur antiqua ejus depoſitio, non theſauri, ſed rei inventæ conditionem ſequitur.

Dico. 2. Res inventa proprio reſtituenda eſt domino, & quidem propriis expenſis, ſi ſit malæ fidei inventor. Facta autem ſufficiente inquiſitione non comparente domino, pro Miſſis, vel pauperibus, vel ad alias pias cauſas impendi debet; quia hanc eſſe domini voluntatem, præſumitur, ut ſibi, & Reipublicæ utiliori modo impendatur, vel ſi ipſemet inventor ſit pauper, cum conſilio Confeſſarii, vel Parochi retinere eam poteſt; vel quod ſecurius eſt, alicui Eccleſiæ tradenda eſt cum onere reſtitutionis, ſi forte dominus compareat, *S. Th.*; bona vacantia ab inteſtato ſine hæredibus a decedente relicta, Fiſco Regio a Jure Cæſareo applicantur. Bona extraneorum, qui alibi nati (gallice *Aubains* dicti) Jure albinatus in Gallia Regi adſcribuntur; ab hac Lege excipiuntur 1. Legati Principium. 2. Mercatores extranei, animum ad ſua revertendi habentes. 3. Mercatores Nundinas Lugdunenſes frequentantes, quoad bona mobilia. 4. Studentes in Univerſitatibus. 5. Habentes infantes jure indigenæ donatos, vel qui actu ſunt regnicolæ, licet alibi ſint nati, ut vult *D. Argou*. 6. Vel habentes a Rege privilegium, ut quædam provinciæ vicinæ. Bona peregrinorum, ignoto hærede, ad pias cauſas ab Epiſcopo loci ſunt eroganda, *Authent. omnes peregr*; bona derelicta ſunt Jure Romano primo occupantis, Gallico vero dynaſtæ loci.

Hinc 1. res inventa mala fide, vel non adhibita ſufficienti diligentia pro inquiſitione domini conſummata, vel ad pias cauſas data, propriis reſtitui debet impenſis comparenti domino; poſt ſufficientem vero inquiſitionem, & bona fide ſibi, ut pauperi applicata, ſi adhuc exiſtat, vel ejus pretium, domino comparenti ipſius expenſis reddenda eſt; ſi vero ſit conſummata, vel aliis pauperibus, vel ad pias cauſas impenſa, ad nihil tenetur; quia utiliter, in quantum potuit, ac debuit, rem domini geſſit; etiamſi adhuc apud pauperem extet; quia in negotiorum geſtoris prudenter geſta debet habere rata. 2. Bona naufragantium, vel in mare projecta metu naufragii proprio reſtituenda ſunt domino, deductis tamen expenſis pro recuperatione eorum factis, *Authent. Navig. cap. de furt.* & ſi

ſint

ſint Chriſtianorum, mala fide ea occupantes excommunitionem Bullæ *Cœnæ Domini* incurrunt, ubi viget; poſt annum vero, & diem a publicatione ad valvas Eccleſiæ de rebus inventis facta, domino non comparente, una pars eſt Regis, altera magno Admirali, ſeu Præfecto maris. Si res e fundo maris, vel in ſummis aquis fluctuantes extrahantur, tertia pars eſt extrahenti, reliquum proprietario; ſi non compareat elapſo tempore, ut ſupra inter Regem, & maris Præfectum dividenda. Res hoſtium, & prædonum merces, vel vetitæ Fiſco Regio addictæ ſunt. *Conſtit. an.* 1681. *lib.* 4. *tit.* 9.

Quær. 10. *Quid ſit Præſcriptio; & quænam ſit legitimæ Præſcriptionis conditiones?*

Reſp. prænot. 1. Bona fides eſt judicium prudens, & fundatum, quo quis prudenter exiſtimat rem, quam poſſidet, eſſe ſuam, etſi forte non ſit ſua: Mala fides eſt notitia, vel dubium rei alienæ.

2. Breve tempus in præſenti materia eſt, quod minus eſt decennio, longum eſt decem annorum inter præſentes, & viginti inter abſentes; longiſſimum eſt 30. vel 40. annorum; immemoriale, cujus initii non extat memoria, etiam apud ſenes. Præſentes ſunt Jure communi, qui in eadem provincia ſub eodem regimine vivunt; Jure vero Gallico, qui ſub unius Ballivi, aut Seneſcalli juriſdictione morantur, licet bona ſita ſint alibi.

3. Res mobiles ſunt, quæ poſſunt loco moveri, ut pecunia, veſtes, naves, debita, & actiones ad illa obtinenda, &c. Res immobiles ſunt, quæ nequeunt loco moveri, ut ager, domus, &c. ad hæc reducuntur res, incorporales in jure dictæ, ut jura, actiones ad immobilia, beneficia, cenſus, reditus, jus patronatus, uſusfructus; fictione Juris Gallici quædam mobilia reputantur immobilia, ut tormenta bellica, ſeu falconia cujuſdam domus campeſtriæ, ornamenta ſacelli domeſtici, piſces ſtagni, columbæ columbariæ, cuniculi in cuniculario. *Livoniere pag.* 74.

4. Reſtitutio in integrum eſt prioris juris re integratio, qua tribuitur poteſtas rem ſuam ſibi vindicandi. Præſcriptio dicitur dormire, quando jam inchoata currere deſinit ob impedimentum, quo ablato reviviſcit, ita ut anni poſteriores jungantur prioribus, non numeratis intermediis; dicitur vero interrumpi, quando inchoata ita ceſſat, ut ſi re-

ſi reviviſcat, anni poſteriores cum prioribus non conti-nuentur. His notatis.

Dico. Præſcriptio, ſeu uſucaptio eſt acquiſitio Dominii, per poſſeſſionem bonæ fidei tempore per legem determinato continuatam, ad quam quinque requiruntur conditiones; nimirum 1. res apta; & poſſideri non prohibita. 2. Poſſeſſio civilis proprio nomine continuata per ſe, vel per ſucceſſorem. 3. Bona fides. 4. Titulus coloratus; vel ſi ſit præſcriptio temporis longiſſimi 30. vel 40. annorum, ſufficit præſumptus. 5. Tempus a lege definitum, videlicet ad præſcribendas res mobiles requiruntur inter præſentes cum titulo 3. anni, etiam Religioſorum, & Eccleſiæ cujuslibet etiam Romanæ; inter abſentes quatuor anni. Ad res immobiles privatorum cum titulo inter præſentes 20. anni, ſaltem ordinarie; ſine titulo inter præſentes, & abſentes 30. anni, ſaltem in Gallia, alibi aliqui inter abſentes ſine titulo 40. annos requirunt; contra privilegiatos requiruntur quoad bona immobilia non iidem anni; ſed contra Eccleſiam Romanam, & Papam 100. anni; contra alias Eccleſias, Monaſteria; Hoſpitalia; & ad pias cauſas relicta 40. anni, *ita in Jure;* niſi obſtet alia conſuetudo. Præſcriptio autem dormit 1. tempore belli, vel peſtis, quando ob fugam jus non dicitur. 2. Contra impotentem agere, uti eſt pupillus durante pupillari ætate; abſens ob publica regni negotia; ut legatus, captivus &c. interrumpitur; vel naturaliter, ut ſi poſſeſſor a rei poſſeſſione etiam vi ejectus, intra annum non poteſt reſtitui, *leg.* 3. *Cod. unde vi;* vel civiliter per actum juridicum, puta per litis conteſtationem, ſi tamen actor rem non proſequitur, non interrumpitur; quia cenſetur ſuam agnoſcere injuſtitiam.

Hinc: defectu rei aptæ non poſſunt præſcribi res, quæ non ingrediuntur commercium privatorum, tales ſunt, 1. loca ſacra, templa, cœmetria; capella tamen in prædio laico cum illo præſcribitur; *Pont.*; etiam res ſacræ mobiles præſcribuntur. 2. Jus decimarum a laico, niſi quoad quantitatem, & ſolutionis formam, vel Eccleſiæ unius contra aliam, vel ſi ſint decimæ infeudatæ ante Concilium Lat. II. ann. 1179. & a laicis poſſeſſæ. 3. Jus patronatus ſine titulo in Eccleſia non fundata a laico cum onere patronatus; cum titulo tamen colorato præſcribitur 40. annis, & annexum bono laico tempore ordinario il-

illius

Digitized by Google

lius boni. 4. Fines Provinciarum, Epiſcopatuum, Parochiarum, ſi de ipſis conſtet, ſecus præſcribuntur. 5. Obedientia Superioribus debita, libertas, res plurium indiviſæ, res uſibus publicis deputatæ, ut fontes, viæ publicæ &c. tributa, functiones publicæ, jus appellationis, &c. 6. Bona non valentium ea in judicio repetere, ut ſunt mente capti, furioſi, filii ſub poteſtate patris, bona uxoris adminiſtrationem illorum non habentis, pupilli, minoris, niſi ubi contra minores detur. 30. annorum præſcriptio: poſſunt tamen ibidem reſtitutionem in integrum obtinere. 7. Res fiſci, fundus in dotem datus, res furtivæ, quæ non præſcribuntur, niſi triginta annis; & ſi jura videantur contraria, intelliguntur, non preſcribi præſcriptione ordinaria, ſed longiſſima; *leg. omnes, & leg. ſicut in rem. Cod. de præſcript.* 30. *vel* 40. *ann. Tourn.*; in Gallia tamen res fiſcales, & ad Dominium Regium ſpectantes nec 100. annis præſcribuntur, niſi bona (gallice *du droit d'aubaine* dicta) 30. annis poſſeſſa antequam Dominio Regio fuerint unita, *ibid.* 8. in Gallia multis in locis non præſcribuntur ſervitutes prædiales ſine titulo, licet alibi præſcribantur; nec jura publici furni, & molæ, nec ſolarium vectigal adverſus fundi dominum, niſi quoad quotam ejus portionem 30. annis; præſcribitur vero cenſus annuus ex certa ſumma a pluribus annis etiam ſcienter debitus, & poteſt ſolum a quinque annis exigi, niſi antea in judicio fuerit petitus, *Lud. XII. an.* 1512.; cenſus vero prædialis ad 29. annos prorogatur, & mala fide non præſcribitur, *Pont. V. cenſus, & V. præſcriptio. caſ.* 14.

Hinc. 2. Defectu poſſeſſionis, 1. Religioſus profeſſus, uſufructuarius, commodatarius, conductor, tutor, curator, non ſibi, ſed aliis præſcribunt, quorum nomine poſſident. 2. Nec depoſitarius, colonus, creditor pignus habens, fur, &c. quia naturaliter ſolum poſſident, 3. Nec re poſſeſſa privatus, poſtea eam iterum juſte poſſidens, eam præſcribit annis prioribus; quia non eſt poſſeſſio continuata.

Hinc: Defectu bonæ fidei non præſcribit. 1. ſucceſſor univerſalis, ut legatarius, & donatarius univerſalis, aut hæres, ſi anteceſſor fuerit poſſeſſor malæ fidei; etiam ſi bona fide ſucceſſerint, *Tourn. Pont. Laym. Dunod, & alii communiter*; quia *ſi defunctus initium juſtum non habuit,* ha-

hæredi bonorum poſſeſſori ; licet ignoranti , poſſeſſio non prodeſt. §. *diutina inſtit. uſucap. leg.* 2. *tit.* 6. ; quia poſſeſſio defuncti continuatur in hærede cum iiſdem qualitatibus bonæ, vel malæ fidei, unaque eſt poſſeſſio, ac una fictione juris utriuſque perſona, etiamſi eſſet poſſeſſio 300. annorum , ait Layman , quia *ſucceſſorem auctoris ſui culpa comitatur*, *leg.* 2. *Cod. de acquirendâ*, *&c.* & mala fides auctoris diffunditur in hæredem hæredis, *Lugo*; non ſufficit tamen ſola malæ fidei anteceſſoris ſuſpicio ; quia bona fides præſumitur , *Tourn.*; præſcribit autem ſucceſſor particularis anteceſſoris malæ fidei , ut legatarius , donatarius rei particularis, *Tourn. Dunod. & alii* ; quia ſua fide nititur , non anteceſſoris malæ fidei poſſeſſionem computando ; anteceſſoris vero bonæ fidei poſſeſſionem ad ſuam computare licet , *Pont. & alii* ; etiam præſcribit communitas , licet anteceſſores fuerint in mala fide ; *Dunod* ; quia ſucceſſores communitatis ignorantes malam fidem anteceſſorum non repræſentant fictione juris perſonas anteceſſorum , *ibidem*. 2. Non præſcribit incipiens rem poſſidere cum notitia , vel dubio , an ſit aliena ; quia poſſeſſor malæ fidei nullo unquam tempore præſcribit , *cap. vigil. extravagant*, *præſcript. cap. poſſ. de reg. jur.*; non tamen nocet dubium poſſeſſioni ſuperveniens facta debita inquiſitione nullo errore deprehenſo ; quia melior eſt conditio poſſidentis , niſi habeat præſumptionem juris contra ſe ; tunc non præſcribit ſine titulo colorato, niſi per tempus immemoriale , *Tourn.* 3. Nec præſcribit poſſidens rem cum ignorantia vincibili eſſe alienam, vel etiam invincibili juris , ſi ſit juris clari, *leg.* 4. *ff. de jur. & fact. ign.*; præſcribit tamen fructus, etiam adhuc exiſtentes , triennio , *Nav. & alii* ; præcipue accedente locorum uſu ; quia circa fructus videtur eſſe error facti , cum exiſtimet eos percipere ex re ſua , *Tourn.* ; non tamen impedit præſcriptionem , ſi ſit ignorantia invincibilis facti , vel juris non clari , ſeu dubii ; quia vim veræ legis non habet , quæ debet eſſe clara, *Tourn. & alii* ; ſic invincibiliter ignorans, pupillum non poſſe rem ſuam alienare , eam non præſcribit , ſciens vero legem , & ignorans , eſſe pupillum , præſcribit ; *leg.* 2. *ff. pro empt.* §. 15. ; & ſciens rem uſurariam non præſcribi , ignorans vero invincibiliter ex cenſu perſonali ad nutum revocabili accepta eſſe uſuraria , ea præſcribit ; quia in primo caſu eſt ignorantia juris clari , in ſe-

ſecundo facti, & in tertio juris non clari, cum ex utraque parte ſint graves auctores, & rationes. 4. Nec præſcribit, putans, rem ſibi non licere poſſidere, etiamſi erret, *leg.* 31. *ſi fur. ff. de uſur.* Sciens autem, alterum in ſuo prædio habere jus ſervitutis ruſticæ, illud præſcribit altero eo non utente; quia cum eum non teneatur monere ad uſum illius, non eſt in mala fide, *Tourn.*

Hinc: 4. Defectu tituli colorati, vel temporis a jure requiſiti juris exemptione non præſcribit Epiſcopus decimas, & parochias extra Diœceſim ſuam ſine titulo colorato 40. annis; quia habet juris præſumptionem contra ſe, ſed requiritur tempus immemoriale, *Tourn.*

Præſcribitur vero 1. Beneficium cum titulo colorato per triennium a pacifico poſſeſſore. 2. Actio hypothecaria contra debitorem 40. annis. 3. Actio pro injuria ad pœnam uno anno. 4. Pœna criminum in Gallia in effigie affixa 30. annis, non affixa 20. annis, excepto crimine læſæ Majeſtatis primæ claſſis, & duelli. 5. Litis acceſſiones, ac impendia in quibuſdam Parlamentis 20. in aliis annis, *Pont.* 6. Actio Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ poſt annum a curatione in quibuſdam locis, ut Pariſiis, vel quorundam operariorum, & venditorum, poſt ſex menſes; quod tamen ſolum valet in foro externo, non vero conſcientiæ, ſed ſi conſtat de debito, debet ſolvi, quia Juris divini & naturalis, eſt, & mala fide præſcribi nequit, non ita ſe habet cenſus ex certa ſumma debitus, de quo ſupra, quia a Principe conſtitutus ab eodem ad certum tempus limitari poteſt. 7. Contra eum, qui media parte præſcriptionis eſt præſens, altera abſens debet proportionate tempus præſcriptionis implere, videlicet medium contra preſentes, & aliud medium contra abſentes requiſitum: ſic contra bona tranſeuntia a privato ad privilegiatum, debet tempus ad præſcriptionem contra privatos, & privilegiatos proportionari, prout ſucceſſive ad illos tranſierunt.

Quær. 11. *Quomodo Præſcriptione acquiratur Dominium?*

Dico. Præſcriptione acquiritur rei Dominium tam in foro interiori conſcientiæ, quam in foro exteriori juſtitiæ, etiamſi poſtea ſciatur fuiſſe alienam; quia Reſpublica per Dominium altum poteſt illud pro bono communi, & civium pace transferre in alium, etiam invito Domino, *ita communis*; poteſt tamen eadem res aliquando

2. ex

ex juſta cauſa recuperari per reſtitutionem in integrum a Principe, vel Republica conceſſam.

Hinc: 1. Sciens elapſo præſcriptionis tempore agrum bona fide poſſeſſum fuiſſe alienum, eum poteſt retinere, etiam in foro conſcientiæ. 2. Completa præſcriptione poteſt rem ſuam recuperare per reſtitutionem in integrum minor toto quadriennio, quo factus eſt major; pia loca per quadriennium a die notitiæ præſcriptionis ſuorum bonorum, etiamſi eſſet 40. annorum. Majores poſt præſcriptionem 10. vel 20. annorum, non vero poſt præſcriptionem 30. vel 40. annorum, probantes omnino ſine ſua negligentia, aut cum probabili ſua ignorantia peractam fuiſſe; quia Reipublicæ cauſa abſentes, vel apud hoſtes captivi fuerunt, & hoc per quadriennium a notitia præſcriptionis: in Gallia a Rege ſolo ſolet concedi reſtitutio in integrum, etiam per decennium, *Franciſcus I.*

Quær. 12. *Quibus aliis adhuc modis Dominium acquiratur?*

Dico: Dominium ulterius adhuc acquiritur, 1. per alluvionem. 2. Per ſpecificationem, faciendo ex aliena materia opus, vel ſpeciem. 3. Per acceſſionem. 4. Per commixtionem, & confuſionem. 5. Per ædificationem. 6. Per implantationem. 7. Per alveum. 8. Per inſulam.

Hinc: 1. Quod per alluvionem vi aquarum inſenſibiliter uni fundo detrahitur, & alteri adjicitur, eſt domini fundi, cui fit adjectio; ſi vero ſenſibiliter incrementum patens, ac notabile repentine fiat, pertinet ad eum, a cujus fundo detrahitur, *Inſtit. leg.* 2. *tit.* 1. *num.* 20. In Gallia ſi a nemine repetatur, Regis eſt. 2. Per ſpecificationem, ſi ex re, vel materia aliena ſpecies artificii, vel opus fiat, & ad priorem ſtatum poſſit reduci, pertinet ad dominum materiæ; ſic poculum ex alieno auro confectum eſt domini auri, tenetur tamen ſolvere artificium, niſi artifex mala fide egerit, *Tourn.*; ſi vero ad priorem ſtatum non poſſit reduci, ſpectat ad ſpeciem formantem; ſic veſtis ex aliena lana eſt conficientis, tenetur tamen ſolvere materiam: æquum autem etiam videtur, ſi pretium materiæ longe ſuperet artificium, domino materiæ, & ſi artificium longe ſuperet materiam, artifici attribuendum; ſic vinum, quod fere ſine labore fit ex alienis uvis, domino uvarum, & vas pretioſe, elaboratum ex vili materia, artifici eſt adſcribendum, *Tourn.* 3. Per acceſſionem, quod ornatus cauſa rei alterius adjicitur, eſt domino rei;

ſic

ſic pictura in aliena domo, pes additus ſtatuæ eſt domino domus, vel ſtatuæ; quia acceſſorium ſequitur principale; nec impenſas talis ornamenti ſolvere tenetur; niſi illud poſtulaverit, vel ſuis impenſis procuraſſet: ſi tamen ornamentum rem pretio longe ſuperet, fieret principale, & eſſet illud ponentis; quia ait lex: *ridiculum eſt, picturam Appellis in acceſſionem viliſſimæ tabellæ cedere*. 4. Per commixtionem, ſi ſeparari poſſint, ut duæ oves, debent ſeparari; ſi non poſſint ſeparari, ut vinum unius cum melle alterius, totum inde reſultans pro rata dividi debet, *inſtit. cit.* 5. Per ædificationem, ædificans in proprio ſolo, ſed ex materia aliena, ædificans cedit ſolo; tenetur tamen ſolvere materiam, & ſi mala fide egit, etiam lucrum ceſſans, & alia damna: ædificans in alieno ſolo propria materia, ædificium pariter cedit ſolo, ſed dominus ſoli tenetur ſolvere materiam, & artificium, ſi ædificans bona fide egerit, ſi mala fide, nec diruta domo materiam vindicare poteſt ædificans, *leg. 38. ff. de rei vind.* in Gallia tamen materiæ, & impenſarum pretium exigere poteſt, niſi fraus interceſſerit, vel dominus fundi juſta da cauſa vellet ſolum ſuum priori ſtatui reſtitui, *Tourn.* 6. Per implantationem, & ſationem, plantans alienam plantam in ſuo ſolo, vel ſuam plantam in alieno ſolo, ſi radices egerint, in utroque caſu ſunt domini ſoli; ſi radices non egerint, ſunt ejus, cujus antea fuerant eadem ratione frumenta ſolo cedere intelliguntur, *ita in leg. cit.* alienam tamen plantam in ſuo fundo transplantans, vel frumenta aliena ſeminans, tenetur de damno. 7. Per alveum Jure Romano, ſi fluvius priori alveo derelicto, alium quærat, vetus alveus cedit vicinis prædiis prope ripam: in Gallia vero, ubi majora flumina Regis ſunt, alveus relictus Regis eſt; ſi autem fluvius non eſt navigabilis, prædiis vicinis cedit, *Decl. Reg.* 1683. 8. Per inſulam, ſi in mari ſit nata, ſit occupantis Jure Romano, & noſtro; ſi in flumine navigabili, pertinet ad Regem, in minoribus rivis, ad eos, quorum rivi ſunt.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

DE CONTRACTIBUS IN COMMUNI.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit Contractus?

Reſp. 1. Contractus eſt pactum ultro citroque obligans, vel alterutro tantum; obligationem pariens. Dicitur perfectus, vel oneroſus, ſi ultro citroque obligationem pariat, & imperfectus, ſeu gratioſus, ſi alterutro tantum obligationem pariat, ut donatio.

2. Contractus dividitur in divinum, qui fit per vota; in Eccleſiaſticum, qui fit in ordinibus, in profeſſione Religioſa, & Baptiſmo; in diabolicum, qui fit cum dæmone per magiam; & in civilem, qui fit inter homines. Hic ulterius dividitur 1. in explicitum, qui fit explicita partium conventione; & in implicitum, qui fit tacita partium conventione, ut negotiorum geſtione, hæreditatis additione, officii occupatione, ſic Judices, Medici, &c. implicite ſe obligant ad moralem diligentiam, & ii, in quorum favorem illa exercent, ad juſtam remunerationem, & iſti vocantur quaſi Contractus, & habent obligationem juſtitiæ. 2. Dividitur in nominatum, qui proprium, & ſpeciale nomen habet, ut venditio, locatio, &c. & innominatum, qui non proprium, ſed tantum Contractus generice nomen habet, & ſunt quatuor ſpecies, ſcilicet do, ut des, do, ut facias, facio, ut des, facio, ut facias. 3. Dividitur in nudum, qui caret omni firmamento, quo actionem civilem parere poſſit, licet obligationem naturalem pariat in foro conſcientiæ, tales ſunt omnes Contractus innominati, antequam ex altera parte impleantur, niſi accedat formula ſtipulationis, juramentum, &c, item omnes Contractus, qui rei traditione perficiuntur, antequam traditio fiat, ut donatio, mutuum, &c. & in veſtitum, qui fit cum firmamento, cujus virtute actionem civilem parit, ut ſcriptura, ſtipulatione, teſtibus, juramento, quæ juris firmamenta ſunt; vel additione Contractus nominati, ut principalis innominato; quia acceſſorius ſequitur principale. 4. Dividitur in Contractum bonæ fidei; in quo Judex multa ex æquo poteſt judicare

ineſſe ſecundum bonam fidem, licet contrahentes nullam de iis mentionem fecerint; tales ſunt emptio, locatio, conductio &c. & ſtricti juris, in quo Judex ad verba contrahentium adſtringitur; tales ſunt cenſus, feudum, teſtamentum, mutuum &c. in foro tamen conſcientiæ omnes ex æquo, & bono dijudicari debent. 5. Dividitur in purum, cui nullum additur accidens, & non purum, cui additur accidens, nempe dies, qua obligare debet, modus, cauſa, demonſtratio rei, vel perſonæ, & conditio.

Quær. 2. *Quinam valide contrahere poſſint, & quanam ad valorem Contractus requirantur conditiones?*

Reſp. Prænot. 1. Infans dicitur, qui nondum adimplevit ſeptennium, ſive mas, ſive fœmina ſit. Impuber, qui nondum complevit 14. annos ſi ſit maſculus, & 12. ſi ſit fœmina; ambo, infans, & impuber, dicuntur pupilli, ſi deſinant eſſe in poteſtate patris per ipſius mortem, vel avi paterni, vel per literas emancipationis. Impuber dicitur pubertati proximus, qui magis appropinquat initio pubertatis, quam termino infantiæ, ſic maſculus completo anno decimo cum dimidio, & fœmina completo nono cum dimidio, & antea dicuntur infantiæ proximi; puberes & minorennes dicuntur, mas a completo 14. & fœmina a 12. uſque ad 25. completum, & poſtea ambo majores; aliquando ex conſuetudine locorum etiam prius, ut anno 18. 19. 20. &c. & filiusfamilias, quandiu ſub patris, aut avi paterni exiſtit poteſtate, *Bill.*; infanti, ac impuberi, ſi ſint pupilli, mortuo patre, & avo paterno, datur tutor, cujus primario eſt regere pupillum, & ſecundario illius bona; minorenni verò datur curator, cujus primario eſt curare bona minorennis, & ſecundario illius perſonam. Pupillo etiam invito, tutor eſt dandus, *leg.* 2. *ff. de tut.*; non vero minorenni curator; §. *item inviti inſtit. de curat.*; ſi tamen curatorem ſuſcipit, vel teſtamento datur, cogitur ei ſubeſſe, §. 1. *inſtit. ibid.*

2. Obligatio triplex eſt, naturalis, quæ vi Legis naturalis quoad forum fori, & conſcientiæ obligat, licet actionem in foro externo non tribuat. 2. Civilis, quæ vi legis poſitivæ in foro fori obligat, & actionem in foro externo tribuit. 3, Mixta, quæ in utroque foro obligat. His notatis.

Dico. Omnes, qui uſum rationis, ac bonorum ſuorum liberam adminiſtrationem habent, valide contrahere poſ-

ſunt,

ſunt, niſi a legē prohibeantur. Ideoque ad valorem Contractus ſex requiruntur conditiones, videlicet 1. perſona ad contrahendum habilis, liberam bonorum adminiſtrationem habens, & a lege non prohibita. 2. Conſenſus verus liber, internus, ſigno tamen externo expreſſus, ſine dolo, vel errore circa ſubſtantiam, vel qualitatem in ſubſtantiam redundantem, vel in Contractus naturam. 3. Promiſſio, animo ſe obligandi, vel ſaltem vere promittendi cum ſcientia obligationem inde oriri. 4. Solemnitas ſubſtantialis ſub pœna nullitatis in quibusdam Contractibus, a jure præſcripta. 5. Cauſæ finalis, ſeu motivi principalis exiſtentia. 6. Conditionis honeſtæ, vel poſſibilis eventus: unde error, vel dolus circa ſubſtantiam rei, vel qualitatem in rei ſubſtantiam, vel naturam Contractus redundantem, qualiſcunque ſit, etiam concomitans, Jure naturæ Contractum irritat; quia deeſt conſenſus; non vero error, vel dolus concomitans aut antecedens, etiam præbens cauſam Contractus, ſi fiat circa qualitatem rei accidentalem; quia non impediunt conſenſum circa ſubſtantiam, niſi cogitans de errore nollet contrahere, vel conſentire, niſi ſtante tali qualitate; quia tunc deeſt conſenſus: poteſt tamen Contractus, ſi ſit ſolubilis, reſcindi ad arbitrium decepti, ſi error antecedens cauſam Contractum proveniat ex dolo alterius contrahentis; quia decipiens ei fecit injuriam; non vero poteſt diſſolvi Contractus oneroſus, ſi error proveniat a propria decepti, vel tertii perſona; quia altera pars contrahens non fecit injuriam, ac proinde tenetur tantum eum ad æqualitatem reducere, & tertius deceptor reſarcire damnum ſecutum; quia eſt cauſa illius injuſta; Contractus tamen gratuitus, ut liberalis promiſſio, vel donatio poteſt reſcindi a decepto; quia cum a ſola ipſius dependeat voluntate, facta notabili in qualitate mutatione, cenſetur ſe noluiſſe obligare irrevocabiliter; nec Contractus initus ex metu, etiam gravi, injuſte a libero extrinſeco ad extorquendum conſenſum incuſſo a jure naturæ, vel poſitivo eſt irritus; quia metus non tollit liberum conſenſum; eſt tamen reſcindibilis ad arbitrium vexati, & in foro conſcientiæ, etiam ſi metus eſſet levis, modo vere ſit cauſa Contractus; quia metus voluntarium ſaltem minuit, exceptis quibusdam Contractibus, qui ipſo jure ſunt irriti ex metu gravi initi, ut Matrimonium, Profeſſio Religioſa &c. no-

Digitized by Google

vero ob metum levem, quia in re tanti momenti debuiſſet ſuperari.

Hi c: 1. *Defectu perſonæ habilis*, invalide contrahunt. 1. amentes, furioſi, infantes, ſive ſint pupilli, ſive filiifamilias; quia præſumuntur in jure non habere judicium ſufficiens ad contrahendum. 2. Invalide contrahit filiusfamilias pnber, vel pubertati proximus de bonis profectitiis, & adventitiis. 3. Pupillus, aut minorennis, etiam cum auctoritate tutoris, vel curatoris circa alienationem bonorum immobilium, vel mobilium pretioſorum, quæ ſervando ſervari poſſunt, ut gemmæ, aurum, ſine decreto Judicis, 4. Tutores, & curatores cum ſuis pupillis, niſi eſſent plures tutores, vel curatores ejusdem, tunc conſentiente uno, poteſt alter contrahere cum pnpillo, *Tourn.* 5. Uxorem circa bona communia, vel dotalia ſine conſenſu mariti. 6. Religioſi ſine conſenſu Superioris, ac ipſi Superiores, niſi juxta limites ſuæ adminiſtrationis. 7. Prodigi curatorem a Judice habentes. 8. Surdi, & muti, niſi habeant curatorem; quia omnes iſti non habent liberam bonorum adminiſtrationem. 9. Morte condemnati, etiam per contumaciam, & non purgati, vel triremibus, aut exilio in perpetuum mulctati; iſti tamen Matrimonium valide contrahunt, ut eſt Sacramentum, non tamen habet in Gallia effectus civiles, *Tourn.*

Poſſunt tamen valide contrahere, 1. impuber infantiæ vel pubertati proximus, filiusfamilias, & minorennis circa caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, & uxor circa paraphernalia, vel ſi ſpeciali commercio cum conſenſu mariti vacet, *Tourn.*; vel etiam commercio communi, *Bill.*; quia maritus cenſetur conſentire; & prædictorum bonorum liberam habent adminiſtrationem. Contrahit etiam filiusfamilias x delicto, vel damno per ſeipſum obligationem, non vero pater, ſi culpa ejus non intervenerit, §. *ult. inſtit.*; & poteſt contrahere de ſuis operis, eas locando; nec poteſt prohiberi, ne exeat e domo paterna, artem addiſcat; honeſtum vitæ genus aſſumat, niſi forte pater inops ejus opera indigeat, *Laym. & comm.* 2. Poteſt obligari Contractu pupillus, ſive ſit infans, ſive infantiæ proximus auctore tutore; non vero filiusfamilias infans, aut infantiæ proximus auctore patre, §. *ſed quod*. 10. quia ſi tutor male conſentiat, habet pupillus recurſum & actionem in tutorem, non vero in patrem. 3. Valide

con-

contrahit pupillus, puber, aut pubertati proximus, ſeu minorennis cum auctoritate tutoris, vel curatoris de rebus mobilibus non pretioſis, & quæ ſervando ſervari nequeunt, ſaltem per triennium, ut frumentum, vinum &c. & minorennis non habens curatorem etiam ſolus valide contrahit, & obligantur naturaliter, ac civiliter, *ita in Jure*; habentes vero tutorem, vel curatorem ſine illis ſolum contrahere poſſunt in ſuum commodum, id eſt obligant contrahentem civiliter ætate majorem, non vero ipſi obligantur civiliter, bene autem naturaliter; ſic non poteſt mercator compellere pupillum, vel minorem ad ſolvendum pannum ſine conſenſu tutoris, vel curatoris emptum, re non tradita, poteſt vero pupillus, vel minor obligare mercatorem, ut pannum emptum tradat oblata ſolutione promiſſa; poteſt etiam mercator traditionem differre, donec tutor, vel curator, vel etiam Judex; ſi opus ſit, conſentiat, vel Contractus juramento a pupillo; vel minore firmetur, & ſi hæc recuſent, cenſentur dolo egiſſe, nec mercator obligatur, *Bill.*; creditor poteſt etiam tuta conſcientia accipere, & retinere ſolutionem vi Contractus factam, donec Beneficio legis repetatur: quia eſt naturaliter debita; poteſt autem a pupillo, vel minorenni ſolutio repeti utendo exemptione legis, & facta coram Judice ſufficiente condictione indebiti, & non obtenta reſtitutione, compenſatione occulta uti, ut docet *Billuart*; quia injuſte negatur, & vi legis reſtitui debet; vel per reſtitutionem in integrum, ſi ſe ſentiat læſum, prout ſolet fieri in Gallia, *Tourn.*; non obtenta tamen reſtitutione in integrum, manet Contractus in vigore, nec poteſt in Gallia uti compenſatione occulta. Imo aliquando pupillus, aut minor ſine auctoritate tutoris, vel curatoris contrahens, obligatur etiam civiliter, 1. In quantum factus eſt ditior; ut ſi empto vino non ſoluto, & bona fide conſumpto, parcat proprio. 2. Si res tradita dolo perierit. 3. Si minorennis Contractum juramento firmaverit, etiam de alienatione immobilium, *Billuart.*; quia juramentum ſupplet ætatem, *leg. ſi minor*, & *leg. Sacramenta Cod. lib.* 2. 4. Si minorennis Religionem ſit profeſſurus; quia abſque auctoritate curatoris poteſt omnia bona alienare, etiam ſine beneficio reſtitutionis in integrum, cum per profeſſionem cenſeatur mori, *ita in Jure*. 5. Si negotietur, vel mercaturam exerceat; quia quo-

ad mercaturam concernentia cenſetur majorennis, *Statut. 1673. tit. 1. art. 1. apud Tourn.*

Hinc, 2. *Defectu conſenſus*; 1. invalida eſt venditio gemmæ pro vitro, & debet reſtitui, vel pretium augeri; & invalide contrahit matrimonium cum Catharina, quam putavit eſſe Joannam, licet Catharinam libentius duxiſſet; quia in utroque caſu error eſt circa ſubſtantiam; nec obſtat, quod in ultimo ſit ignorantia concomitans. 2. Donans Paulo principaliter, quia eum credidit pauperem, vel ſuum conſanguineum, cum tamen non ſit, invalide donat, debetque ſumma donata reſtitui; quia qualitas habens rationem motivi principalis redundat in ſubſtantiam. 3. Invalide donat, quod tantum locare voluit; quia error cadit in naturam Contractus. 4. Econtra valide dat Eleemoſynam pauperi, quem credidit probum, qui non eſt, licet non dediſſet, ſi improbum ſciviſſet; quia qualitas erroris non eſt finis principalis; ſic valide quis vendit merces vitioſas pro bonis; quia error eſt circa qualitatem accidentalem; poteſt tamen reſcindi ad arbitrium decepti, vel ad pretium juſtum reduci: Matrimonium tamen initum cum paupere, quam contrahens credidit divitem, vel profeſſio emiſſa in Religione rigoroſa, quam quis putavit minus rigoroſam, non poſſunt reſcindi; quia ſunt Contractus indiſſolubiles; niſi explicite noluiſſet aliter conſentire, quam ſub dicta conditione. 5. Emens equum ſenem, quem propria experientia credidit, vel ab alio audivit eſſe juvenem, illum retinere tenetur, nec poteſt emptio reſcindi; quia venditor non fecit ei injuriam, ſed a ſeipſo, vel alio fuit deceptus; poteſt tamen contractum ad pretium juſtum reducere; donans vero equum juvenem, quem credidit ſenem, & inutilem, poteſt illum iterum repetere; quia eſt Contractus gratioſus. 6. Metu mortis ita perterritus, ut ratione turbatus dederit latroni crumenam, invalide dedit; ſi adhuc autem ſibi præſens fuerit, valet donatio, poteſt tamen reſcindi ob injuriam paſſo. Vide plura de metu in Tract. de Act. human.

Hinc 3. *Defectu animi ſe obligandi, vel ſincere promittendi*; non obligatur 1. ſolum proponens. 2. Ficte promittens; obligatur tamen ad damna inde ſecuta, 3. Promittens animo ſe non obligandi; quia in re ſolum eſt proponens, promittens tamen ficte committit mendacium, &

& ſub mortali tenetur ad damnum. 4. Obligatur autem promittens animo non implendi; vel nude ſine alia intentione promittens; quia promiſſio ex ſe obligationem parit.

Hinc 4. *Defectu ſolemnitatis*, 1. nullum eſt matrimonium clandeſtinum, ubi viget Concilium Trid. 2. Teſtamentum ſine teſtibus, vel aliis requiſitis. 3. Acquiſitio ſine titulo, vel præſcriptione, &c.

Hinc 5. *Defectu cauſæ finalis*, invalide promittit quis bona matri propter infantes, ſi ſit ſterilis, nec tenetur ea illi dare, quia deficit cauſa finalis; valet tamen Eleemoſyna data ſimulanti majorem paupertatem, quam in re habet, poteſtque illam retinere; quia eſt tantum cauſa impulſiva.

Hinc 6. *Defectu conditionis honeſtæ, vel poſſibilis*, 1. nulla eſt promiſſio certæ ſummæ pecuniæ pro occiſione inimici, vel pretii pro turpi concubitu; quia directe allicit ad peccatum, *leg. gen. ff. de verb. oblig.* An autem valeat perpetrato crimine, diviſi ſunt auctores. Vide infra de promiſſione; valet tamen promiſſio matrimonii, & diſpoſitiones ultimæ voluntatis ſub conditione turpi, vel impoſſibili; quia a lege habentur pro non adjectis, & quoad diſpoſitiones ultimæ voluntatis, etiamſi quis nollet conſentire, niſi ſub illis conditionibus; quia jus poteſt ſupplere conſenſum quoad bona temporalia, non autem quoad matrimonium; ſic in jure legatum factum virgini, ſi non nubat, valet, etiamſi nubat, non vero factum viduæ; quia conditio habetur in jure pro turpi reſpectu virginis, non vero reſpectu viduæ, cujus matrimonium varias ſæpe cauſat familiarum perturbationes: ſic legatum ſub conditione, ſi Religionem non ingrediatur, vel ſi nupſerit, valet, etiamſi Religionem ingrediatur, vel non nubat, quia ambæ conditiones a jure a jure habentur turpes, cum a ſtatu perfectiori retrahant.

Quær. 3. *An omnis Contractus validus obliget, & invalidus addito juramento fiat validus?*

Dico. Omnis Contractus validus, etiam nudus parit in foro conſcientiæ obligationem; quia Lex divina, & naturalis obligat ad ſervandam fidem datam, in foro vero externo nudus non obligat, *leg. jur. gent. ff. de pact.* ſ nec tribuit actionem, niſi juramento, vel alio juris fulcimento firmetur; quia tunc in foro externo probari poſ-

ſunt. Contractus ex natura invalidus non poteſt juramento fieri validus, quia ejus naturam non mutat; ſed ſolum obligationem Religionis inducit, ſi ſit de re licita: Contractus vero ſolo jure poſitivo irritus aliquando juramento firmatur, ita, ut etiam relaxato juramento adhuc valeat, videlicet, quando irritatio Contractus principaliter a lege facta eſt propter utilitatem privatam contrahentium, modo abſit injuſtitia, & juramentum non vi, metu, vel dolo ſit extortum; tunc enim relaxato juramento manet Contractus irritus, & ſi juramentum errore circa ſubſtantiam ſit factum, erit nullum; quia non obligat ultra intentionem; aliquando autem Contractus non firmatur juramento, nempe quando irritatio Contractus principaliter eſt facta propter bonum commune; quia tunc eſſet de re illicita.

Hinc 1. Qui juravit, ſe uſuram in neceſſitate ſoluturus tenetur eam vi juramenti ſolum ſolvere; non tranſit tamen obligatio ſolvendi ad hæredes; quia obligatio ſolius juramenti eſt perſonalis. 2. Qui juravit latroni, ſe pecunias ſoluturum, nec eas repetiturum in judicio, nec juramenti relaxationem, nec eum coram Judice accuſaturum, vel denunciaturum, quoad omnia illud ſervare tenetur; quia juramentum ſine peccato quoad omnia ſervare poteſt, & debet; niſi cedat in damnum publici; cum idem crimen ab eodem reiterandum prævideatur, vel niſi juridice interrogetur; quia tunc juramentum non eſt vinculum iniquitatis. 3. Juramenta puberum ſponte facta ſuper Contractibus rerum ſuarum non retractandis ſecundum jus. *leg. 2. Cod. ſi adverſus vend.*) inviolabiliter cuſtodiri debent; licet alio jure eorum Contractus ſint invalidi: quia in eorum privatam utilitatem eſt latum. 4. Clericus juramento firmans promiſſionem comparendi coram Judice ſæculari in pure ſpiritualibus, non tenetur comparere; quia promiſſio ejus alia lege pro communi utilitate Status clericalis lata, eſt nulla.

Quær. 4. *Quomodo Contractus non puri obligent?*

Dico. Contractus non puri diverſimode obligant. 1. enim Contractus ad diem certam, ſtatim obligat, non tamen debitor tenetur eum ante diem determinatam implere; ad tempus autem incertum non obligat, niſi impleto tempore. 2. Contractus ſub modo ſtatim obligat; non tamen irritatur, ſi modus non ſervetur; quia ſe habet, ut ali-

aliquid adjacens diſpoſitioni principali, niſi expreſſe noluiſſet contrahere, niſi ſub eo modo. 3. Contractus ad cauſam non valet deficiente cauſa finali, bene autem, ſi deficiat ſolum impulſiva. 4. Contractus ad demonſtrationem cum errore circa ſubſtantiam, vel perſonam eſt invalidus, non vero circa accidentia. 5. Contractus ad conditionem, ſi conditio ſit de præſenti, vel præterito, valet, ſi exiſtat, ſecus, ſi non exiſtat; vel ſi ſit de futuro neceſſario, ſtatim obligat; quia cenſetur præſens, ſi ſit de futuro contingenti, ſuſpenditur uſque ad ejus eventum; ſi ſit de re impoſſibili, vel re turpi eſt nullus, excepto matrimonio, & diſpoſitionibus ultimæ voluntatis, in quibus a jure habentur pro non adjectis, niſi quis alio modo conſentire noluiſſet; tunc matrimonium non valeret ſaltem in foro conſcientiæ; quia lex conſenſum in eo requiſitum ſupplere nequit, ut ſupra dictum eſt.

Hinc 1. Promittens certam ſummam in die Paſchatis ſolvendam, ſtatim obligatur, non tenetur tamen ſolvere ante prædictam diem; qui vero promittit 10. aureos, cum navis exſpectata ex Indis advenerit; non obligatur ante adventum ejus; quia æquivalet promiſſio Contractui conditionato. 2. Legatum factum cum onere certarum Miſſarum ſingulis annis, non poteſt repeti ab hærede, ſi non dicantur: ſed cogere poteſt legatarium ad illas dicendas; quia onus illud eſt modus ſolum adjectus. 3. Legatus Titio Stichum, quia ejus negotia egerit, vel ejus patrocinio a capitali crimine fuerit liberatus, valet, licet neutrum geſſerit, *Inſtit. leg.* 2. *tit.* 20. §. 31.; quia prædictæ cauſæ habentur a jure pro impulſivis: non vero valeret, ſi eſſent finales; in dubio vero præſumuntur impulſivæ. 4. Si quis leget Petro centum aureos, quos debet Paulus, vel qui ſunt in certa ciſta, nullum eſt legatum, ſi Paulus nihil debeat, vel nihil ſit in ciſta; ſi vero debeat, ſed tantum quinquaginta, vel tantum quinquaginta ſint in ciſta, valet; quia in priori caſu eſt error demonſtrationis circa perſonam, vel ſubſtantiam, in poſteriori in accidente; qui dicit taxate, lego centum nummos, qui ſunt in hac arca, tenetur tantum ad centum, licet plures inſint; qui vero dicit demonſtrative, do pecuniam in hac arca, quæ conſtat centum aureis, tenetur ad totum, licet ducenti in ea contineantur; quia in priori conſtat mens legatoris, in iſto eſt error circa accidentia.

Quar.

Quær. 5. *Quid, & quotuplex ſit Culpa?*

Reſp. Culpa eſt omiſſio diligentiæ, vel advertentiæ, qua alicui damnum creatur. Alia eſt theologica, quæ eſt coram Deo, & in conſcientia peccatum mortale, vel veniale. Alia civilis, ſeu juridica, quam jura pro foro externo ſupponunt, etiamſi peccatum non ſit, & hæc communiter triplex eſt, videlicet, culpa lata, quæ eſt omiſſio diligentiæ, quam communiter homines diligentes ejuſdem conditionis adhibere ſolent, ut ſi quis rem commodatam foris ante oſtium relinquat. 2. Culpa levis, quæ eſt omiſſio diligentiæ, quam diligentiores adhibere ſolent, ut ſi quis rem commodatam in ſuo cubiculo relinquat, ſed non clauſo oſtio. 3. Leviſſima, quæ eſt omiſſio diligentiæ, quam diligentiſſimi adhibere ſolent, ut ſi quis oſtium cubiculi claudat, ſed non obſervet, an ſera bene fuerit inducta; his additur 1. culpa latiſſima, quæ eſt dolus apertus, id eſt operatio, vel omiſſio damnoſa ex intentione ut alius decipiatur, & damno afficiatur: ut ſi miles fingat ſe dormire, ut hoſti acceſſum præbeat. 2. Culpa latior, quæ eſt dolus præſumptus; ut ſi ſciens, & valens non impedit hoſtem urbem ingredi; dolus vero in genere eſt quævis machinatio ad decipiendum.

Quær. 6. *Ex qua culpa in Contractibus oriatur reſtitutionis obligatio?*

Dico. Ad inducendam reſtitutionis obligationem ex Contractu, vel quaſi Contractu, id eſt, ex officio, ſufficit culpa civilis, licet nulla ſit Theologica; quia vi Contractus, vel officii implicite ſe obligat ad eam diligentiam, & conditiones, quas lex imponit; & quidem 1. cum Contractus cedit in commodum ſolius dantis, ut in depoſito, requiritur culpa lata, vel dollus apertus, vel præſumptus, *Inſtit. L.* 3. *tit.* 15. §. 3.; niſi ſeipſum pro depoſito obtulerit, vel aliquid pro ejus cuſtodia acceperit, tunc tenetur ex culpa levi, *cap.* 2. *de depoſ.*; vel ſi res ita ſit pretioſa, ut diligentiſſima cuſtodia indigeat; vel de ea pactum ſit, *leg.* 1. *ff. depoſ.*; vel depoſita ſit ſolum in favorem depoſitarii, ut ea utatur, *L.* 4. *reb. cred.*; in utroque caſu tenetur ex culpa leviſſima. 2. Si cedat in ſolius accipientis utilitatem, ut in commodato, ex culpa leviſſima, non autem ex caſu fortuito, *cap. un. de commod.* 3. Si utilitatem utriuſque, ut in locatione, ex culpa lata, & levi, non autem leviſſima, *Lege eadem*; in nullo vero Contractu ex caſu fortuito; quia res perit domino ſuo, niſi

cul-

culpa, vel mora quam ob apud dominum non periiſſet, vel conventio de caſu fortuito, intervenerit. 4. Ex quaſi Contractu, cum quis ex officio aliquid facit in utilitatem alterius ſine mercede, tenetur ſolum ex culpa lata, vel dolo; ſi ſit mercede conductus, ut famuli, Medici, Advocati, negotiorum geſtores, &c. ex culpa levi, non vero ex leviſſima, niſi res ſit tanti momenti, ut ex natura ſua ſummam cautionem exigat, vel in arte ſua peritiſſimum ſe obtulerit, vel quis, v. g. aurigæ, nautæ, ſtabulario rem expreſſe cuſtodiendam tradiderit, *L. 4. Digeſt. tit. 9.*; tunc enim accipiens ad majorem diligentiam, quam ordinariam ſe obligare cenſetur; extra Contractum vero requiritur culpa theologica.

Hinc 1. tenentur ad reparationem damni, ſartores, molitores, caupones, aurigæ, nautæ; ſi res, quas ratione ſui officii apud ſe deponi viderunt, pereant eorum culpa; etiam levi, quia, v. g. domus nocte non fuerit clauſa; caupones, aurigæ, nautæ, etiam ex leviſſima, ſi res ipſis expreſſe fuerint traditæ cuſtodiendæ, *L. 4. Digeſt. tit.* 9. 2. Tenetur ad damnum, ſpeculum pretioſum non omni diligentia adhibita tranſportando, frangens; Advocatus litem maximi momenti defectu maximæ diligentiæ perdens; Aurifex gemmas pretioſas apud ſe depoſitas in cubiculo ſuo clauſo quidem oſtio, ſed non probata ſera, propterea amittens, quia ſunt res maximam curam exigentes. 3. Furto perdens equum commodatum pro vindemiis ante vineam ſine cuſtode relictum; quia tenebatur ad ſummam diligentiam. 4. Horologium manuale aureum apud ſe depoſitum ſecum per ſylvam ſumptum per latrones ablatum; vel a domino repetitum, & non tempore debito reſtitutum incendio amittens, quia illud per locum periculoſum deferens, vel non reſtituens, eſt in culpa. Pecuniam apud ſe depoſitam, etiam de conſenſu domini negotiationi exponens, & caſu fortuito perdens; quia inducit rationem mutui, & perit ipſi tanquam domino; ſecus, ſi cum alia ſua pecunia depoſita furto fuiſſet ablata, niſi pro mercede cuſtodiiſſet, tunc enim ad majorem tenebatur curam. 6. Librum commodatum remittens domino per famulum alias pro fideliſſimo recognitum, & libro in via ab eo amiſſo, non tenetur reſtituere alium, vel illius pretium; quia, cum ſumma cenſeatur adhibita diligentia, perit domino. 7. Qui rem ſuam ſimul, & alienam ab incendio liberare nequit, ſi aliena ſit

ſit commodata, debet illam præferre propriæ, ſi ſit depoſita, poteſt res ſuas etiam minoris valoris præferre, & ſi ſit locata, res proprias majoris, vel æqualis. non vero vilioris valoris; quia in primo caſu maximam, in ſecundo æqualem, & in tertio majorem tenetur adhibere diligentiam, quam pro propriis, ſaltem vilioribus.

QUÆSTIO V.

DE CONTRACTIBUS IN PARTICULARI.

Quæritur. 1. Quid ſit Promiſſio gratuita, & quomodo obliget?

Dico. PRomiſſio gratuita eſt deliberata, & ſpontanea fidei obligatio facta alteri de re bona, poſſibili, a promiſſario acceptata; & ſic ſumpta obligat ex juſtitia; quia promittens dat promiſſario acceptanti jus verum in rem promiſſam, & quidem ex genere ſuo ſub mortali in materia gravi, quæ debet quatruplo eſſe major, quam in furto, *Leſſ.*, *Tourn.*; quia, cum jus ex promiſſione ſit imperfectius, minor cenſetur injuria; Promiſſiones tamen ordinariæ plerumque non obligant ex juſtitia, nec graviter; quia promittens liberaliter plerumque non intendit ſe obligare, niſi ex honeſtate morali fidelitatis; quæ ſolum ſub veniali obligat, *Bil.*; & per accidens ſub gravi ad reparationem damni; quia illius cauſa eſſe poteſt.

Hinc 1. Promiſſio graviter ex juſtitia obligat pro gravitate materiæ. 1. quando promiſſionem firmat juramento; vel quando promittit ſtipulando; vel coram Notario, aut teſtibus ad id aſſumptis; vel per ſcripturam, ſeu chyrographum; vel ſi dicat, me obligo, quantum poſſum; quia cenſetur velle in his circumſtantiis ſe graviter obligare, & tranſit obligatio ad hæredes promittentis, ſicut & jus acquiſitum promiſſario. 2. Promiſſio animo ſolum ex honeſtate ſe obligandi facta, non niſi ſub veniali obligat; & facta ex metu etiam levi poteſt reſcindi, ſaltem in foro conſcientiæ; quia non cenſetur, ſe irrevocabiliter voluiſſe obligare, niſi juramento firmetur; quia tunc obligat vi juramenti, niſi relaxetur, 3. Promiſſio nulla eſt,

eſt, ſi ſit facta de re jam alteri promiſſa, vel illicita, aut impoſſibili; valet tamen de minori bono reſpectu hominis, cui poteſt eſſe acceptius. 4. Si non ſit acceptata ſaltem tacite, non obligat ex juſtitia, bene autem ut ſimplex pollicitatio ex veracitate, *leg. 1. de pollic.* poteſt tamen revocari ante acceptationem, *L. intereſt, Cod. ſi quis, &c.*

Quær. 2. An promiſſio ſub conditione operis turpis facta, ſit valida, & obliget?

Dico. Promiſſio de re illicita, vel ſub conditione operis illiciti ipſo Jure naturali, ac divino eſt eſt nulla; quia ad malum allicit, & Lex dicit: *novimus generaliter, turpes ſtipulationes eſſe nullius momenti, L. 26. ff. de verb. oblig.* An autem impleta conditione obliget, graves ſunt utrinque Auctores, & rationes; conveniunt tamen communiter, 1. prætium pro re turpi acquiſitum retineri poſſe; quia Lex 4. *ff. de Condict.* ait: *quod meretricii datur, repeti non poteſt, licet enim turpiter facit, quod ſit meretrix, non tamen turpiter accepit, cum ſit meretrix*, & quia dominus libens, volenſque dedit. 2. Non dari in foro externo actionem ad acquirendum pretium pro re turpi promiſſum, etiam impleta conditione; quia Lex 125. ait: *pacta, quæ contra Leges, Conſtitutioneſque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habent.* An autem in foro conſcientiæ obliget, ita, ut pretium pro re turpi promiſſum impleta conditione turpi exigi, & ſolvi debeat, manent diviſi. Videtur rationi conformius obligare ad pretium promiſſum pro rebus ex ſe licitis, & ſolum ratione circumſtantiarum, & per accidens malis, ut pro veſte in Dominica facta; quia obligatio cadit in ipſum opus ex ſe licitum, proinde Jure naturæ valet; non vero obligare pro rebus intrinſece malis, ut pro occiſione inimici; quia promiſſio cadit in ipſum opus ex ſe malum, ac proinde Jure naturæ eſt invalida, & nec in foro conſcientiæ, etiam commiſſo crimine, obligare poteſt; *non enim firmatur tractu temporis, quod ab initio non ſubſiſtit, reg. jur. in 6.* & datio, ac acceptio ante opus jure eſt nulla, ac proinde etiam poſtea, niſi liberaliter detur; & ſi obligaret, ad idem peccatum magis continuandum alliceret. Nec valet promiſſio contra bonos mores civiles facta, ſed ipſo jure eſt irrita; quia invalida eſt Promiſſio non teſtandi, vel non inſtituendi, niſi talem perſonam, *leg.*

pacta

pacta Cod. de pactis; quia libertatem diſponendi de rebus ſuis adimit; & invalida eſt promiſſio beneficii nondum vacantis, *Con. Later. III. c.* 8.

Hinc 1. Promiſſio pro occiſione inimici, vel pro turpi commercio, non obligat, nec in foro conſcientiæ, etiam crimine commiſſo, ut videtur docere Tournely, & P. Gervaſius, ac alii; quia Jure naturæ invalida eſt Promiſſio, nec tenetur ſolvere opus, quod alter, licet petitum, debuiſſet omittere, nec opus turpe, ut peccatum, mercede dignum eſt; videtur tamen obligari, ſi commiſſo crimine promiſſionem renovaſſet; quia tunc eſſet promiſſio liberalis. 2. Promiſſio facta ſartori pro veſte in Dominica facta, vel fabro pro enſe, pro duello, vel ad inimicum occidendum vendito, militi pro bello injuſto conducto, eſt implenda, ita communis hominum ſenſus; quia obligatio cadit in ipſam rem ex ſe vendibilem, non vero in circumſtantiam illicitam, licet graviter peccent, & teneantur ad damnum: aliud eſſet, ſi ob has circumſtantias v. g. quia veſtis facta eſt in Dominica, vel enſis pro duello venditus, majus pretium promiſiſſet; quia tunc nec ad id, quod majus eſt, obligari videtur. 3. Hiſtriones, vel meretrices turpi exercitio acquiſita, reſtituere non tenentur; quia ea retinere Lex permittit; a Confeſſariis tamen obligandi ſunt, ut pro ſuſtentatione non abſolute neceſſaria pro pœnitentia pauperibus erogent. 4. Sub promiſſione matrimonii corrumpens virginem tenetur eam ducere, non præciſe, quia conditio turpis eſt impleta; ſed quia Lex in pœnam ſic ſtatuit, & vix alio modo omne damnum reſarciri, & peccato melius remedium afferri poteſt. 5. Dos meretrici commiſſo crimine pro honeſto matrimonio promiſſa, dari debet; quia eſt ſubſequens crimen, & ſine crimine novo, Promiſſio impleri poteſt.

Quær. 3. *Quomodo ceſſet obligatio Promiſſionis validæ?*

Dico. Obligatio validæ Promiſſionis quatuor ceſſat modis, 1. remiſſione promiſſarii. 2. Deſitione cauſæ finalis. 3. Mutatione inſperata, ac notabili ſtatus rei promiſſæ, vel perſonæ promittentis; quia tales caſus comprehendere noluiſſe cenſetur, ut ſi res fiat illicita, inutilis promiſſario, impoſſibilis moraliter, vel noxia promittenti, vel promiſſario. 4. Non ſervata fide reciproca. 5. Conditione non impleta.

Hinc: non tenetur ſtare promiſſis, 1. Promittens virgini

ni pauperi dotem: ſi poſtea improviſe per notabilem hæreditatem facta ſit dives. 2. Promittens tali die, ſe culturum alterius vineam; ſi poſtea uxori improviſe ægrotanti inſervire debeat. 3. Pollicitus alteri pecuniam mutuo daturum, ſi poſtea ob incendium propriæ domus ipſemet illa indigeat. 4. Promittens alteri enſem, ſi poſtea innocentem eo occiſſurum prævideat; nec obligant prædictæ promiſſiones addito iis juramento; quia juramentum promiſſiones non firmat, niſi in eo ſenſu, quo factæ ſunt.

Quær. 4. *Quid, & quotuplex ſit Donatio gratuita?*

Reſp. 1. Dominatio gratuita eſt rei, vel juris alicujus gratuita conceſſio; differt, 1. a promiſſione, quæ eſt fidei obligatio, Donatio vero rei conceſſio. 2. A pollicitatione, quæ eſt nuda promiſſio nondum acceptata. 3. A ſtipulatione, quæ fit interrogatione, & reſpoſione.

2. Donatio dividitur, 1. in realem, ſeu perfectam, quæ fit rei traditione, & in verbalem, ſeu imperfectam, quæ fit ſolis verbis ſine traditione, hæc confert ſolum jus ad rem; realis vero jus in re. 2. Dividitur in pure liberalem, quæ nequidem gratitudinis obligationem ſupponit; & remuneratoriam, quæ ſupponit obligationem gratitudinis. Si allicui prohibeantur Donationes, non prohibentur remuneratoriæ. 3. In Donationem inter vivos, qua datur aliquid, ut ſe vivente ſit donatarii; & mortis cauſa, qua vult, rem non niſi poſt mortem ſuam eſſe donatarii.

Quær. 5. *Quanam ad valorem Donationis requirantur conditiones?*

Dico. Ad valorem Donationis inter vivos quatuor requiruntur conditiones, videlicet, 1. ut donator ſit habilis ad donandum, habeatque rei donandæ dominium, liberamque adminiſtrationem. 2. Ut donatarius ſit habilis ad recipiendum. 3. Ut res donata non ſit alteri obligata. 4. Ut fiat ſolemnitatibus a jure præſcriptis, quæ ſunt, 1. ut fiat coram Notario in forma Contractuum ordinaria, *Edict. Lud. XV. an.* 1732. 2. Traditio realis, vel juris fictione, tradendo dominium directum retento utili, ubi uſu recepta eſt, *Tourn.* 3. Acceptatio, & quidem in Gallia expreſſa, facta coram Notario per ſe, vel per Procuratorem ad hoc generaliter, vel particulariter aſſignatum, *Edict. Lud. XV. an.* 1731. *art.* 5. *&* 9.; non vero ſufficit facta a Notario nomine donatarii, *Tourn.*; nec ſufficit facta a mino-

Digitized by Google

minoribus ſine conſenſu tutoris, nec uxoris ſine auctoritate mariti, niſi quoad bona ipſi pro paraphernalibus donata, *Edict. cit.*; valet tamen Donatio utrique facta ſolo marito acceptante, & Donationes mutuæ, vel per contractum matrimonialem in linea directa ſine acceptatione, vel ſaltem ſufficit ea, ſine qua tales contractus non ſubſiſtunt, *ibid.* 4. Inſinuatio apud tabularium forenſem facta in acta publica tam donationis, quam acceptationis, etiam pro minoribus, & eorum privilegiis gaudentibus, ut ſunt Eccleſiæ, Monaſteria, Communitates, &c.; nec eos excuſat incuria tutorum; excipiuntur tamen donationes rerum mobilium de manu ad manuum, vel ſummæ mille libras non excedentis ſemel ſolvendæ, *Edict. cit.*

Hinc 1. *defectu perſona habilis*, invalidæ ſunt donationes, quas faciunt, 1. infantes, amentes, &c.; quia carent rationes. 2. Prodigi a Magiſtratu curatorem habentes, pupilli minorennes, filiifamilias, niſi de bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus. 3. Uxores, niſi de bonis paraphernalibus; quia circa alia bona non habent liberam adminiſtrationem: Poſſunt tamen minorennes donare ſecundum decentiam ſtatus ſui, prout aliis paris conditionis permitti ſolet, & ſi excedant, raro mortaliter peccant, *Bill.*; quia neminem damnificant; & dona accipientes ea retinere poſſunt, donec beneficio legis repetantur; *ibid.*; poſſunt etiam uxores donare moderate de bonis communibus, vel dotalibus ex tacito conſenſu mariti, vel ipſo invito irrationabiliter, ut ſi ſit nimis tenax, nullaſque vellet facere donationes remuneratorias, Eleemoſynas moderatas, vel nollet ſuccurrere parentibus ſuis, vel uxoris, vel prolibus ex priori matrimonio; vel quæ ſibi ſubtrahit de honeſta ſuſtentatione, ornatu, recreatione; quia non eſt ancilla, ſed ſocia domeſtica adminiſtrationis particeps. 4. Nec valent donationes inter conjuges, ſed revocari, vel irritari poſſunt, *Leg.* 1. 2. & 3. *de Donat.*; quia mutuo amore ſe ſpoliarent, vel continuo rixarentur: niſi juramento, vel morte firmentur; in Gallia tamen non valent mortis cauſa, niſi per contractum matrimonii, & tunc valent etiamſi ſint omnium bonorum, etiam futurorum; non vero valent alibi, ſi ſint exceſſivæ, & 500. ſolidos excedant ſine licentia Judicis; valent tamen ſi non ſint notabiles, vel pro dignitate, vel officio mariti, vel ſi ſint remuneratoriæ, ut viri ſenis uxori juveni, igno-

ignobilis nobili, *Leſſ.*, vel in Gallia per contractum mutuum uſusfructus bonorum communium, alterutro, e vita decedente, *Feriere.* 5. Invalidæ ſunt donationes inter ſponſum, & ſponſam ſine conſenſu parentum, inito jam contractu coram Notario; valent tamen antea factæ, *Pont.* 6. Donationes patris in filium nondum emancipatum, ſaltem irrevocabiliter; valent tamen, ſi ſint remuneratoriæ, juramento, vel morte confirmatæ; non vero in Gallia, ubi donationes inter vivos invalidæ, nec mortis cauſa valent, *Edict. Lud. XV. ut ſupra.* Valent tamen matris in filium, *P. Gerv.* & filii etiam non emancipati factæ patri de bonis caſtrenſibus, *Bill.* quia nullibi in jure irritantur. 7. Nec ullas poſſunt Religioſi privati donationes, ne quidem remuneratorias, vel Eleemoſynarias facere, niſi de expreſſa, vel in quibuſdam circumſtantiis tacita, aut præſumpta ſuorum Superiorum licentia, præſertim de ſibi collatis a parentibus, amicis, vel induſtria acquiſitis, & debent fieri modeſte, ac diſcrete ex cauſis ex ſui natura actum virtutis, vel meriti continentibus, *Urb. VIII.*; ut gratitudinis, conciliationis, benevolentiæ propriæ, vel conſervandæ erga Religionem, *ibid.* Nec Prælati de bonis communibus, niſi ſimili fine honeſto de bonis mobilibus pretioſis, non vero immobilibus, niſi de licentia SS. Pontificis *Paul. III.* Nec Communitas Religioſa, *Bull. ambitioſa*; ubi iſtæ Bullæ ſunt receptæ; & officiales, ut ſunt Procuratores ex tacito Superiorum conſenſu juxta limites ſuæ adminiſtrationis, ac conſuetudinem; nec Novitius poteſt dare ſua bona Monaſterio, nec aliis, niſi intra duos menſes ante profeſſionem, *Conc. Trid. Seſſ.* 25. *cap.* 16.

Hinc 2. *Defectu recipientis*, invalidæ ſunt donationes, 1. factæ iis, qui certam in donatores habent auctoritatem, ut curatoribus, & tutoribus, & eorum uxoribus a pupillis, niſi rationem jam reddiderint; vel Conventui, aut Ordini a Novitiis, Confeſſariis, vel eorum Ordini a Pœnitentibus, nec Medicis, Chirurgis, Pharmacopolis, Advocatis, Procuratoribus, a ſuis clentibus, niſi titulo conſanguinitatis, antiquæ neceſſitudinis fiant, vel limites juſtæ gratitudinis non excedant, imo eas valere putat Pontas, modo fraus, metus, vel ſuggeſtio libertatem teſtatoris non notabiliter minuant. 2. Factæ inceſtuoſis, adulteris, & in quibuſdam locis concubinariis, ſaltem ſi non ſint occulti: poteſt adulter tamen publicus adulteræ, & inceſtuo-

ceſtuoſæ providere de alimentis. 3. Ex adulterio, vel inceſtu nati nihil poſſunt ultra alimenta recipere; illegitimi vero in tota pene Gallia donare, & donationem accipere poſſunt inter vivos, & mortis cauſa.

Hinc 3. *Defectu rei donatæ* invalidæ ſunt donationes, 1. in fraudem creditorum factæ, *Henric IV. an.* 1609. 2. Donationes omnium bonorum præſentium, & futurorum, *leg. ſtipulatio ff. de verb. oblig.* jure tamen Romano valent ſolum præſentium, niſi donator prolem habeat, cui debita eſt legitima; vel ſi ſibi reſervet, de quibus teſtari poteſt, vel juramento firmet, vel ad pias cauſas, *Billuart*; in Gallia ſolum valent factæ in contractu matrimoniali omnium bonorum præſentium, & futurorum, vel partis eorum in favorem conjugis, vel deſcendentium, *Edict. Lud. XV. cit.* 3. ſaltem quoad exceſſum invalidæ ſunt donationes excedentes quingentos ſolidos aureos, niſi inſinuentur Judici loci, ubi eſt in uſu, *leg. penult. C. de donat.* Valent etiam juramento firmatæ, vel ad pias cauſas, vel ſi ſint remuneratoriæ, aut factæ militi a Duce, *ibid.* & in Gallia ad omnem donationem immobilium inſinuatio eſt neceſſaria, non vero quoad mobilia de manu ad manum, vel ſummam 1000. libras non excedentem ſemel ſolvendam, *Edict. Reg. cit.*

Hinc 4. *Defectu ſolemnitatum* nullæ ſunt; 1. fundationes non acceptatæ ab Epiſcopo. 2. Donationes factæ Eccleſiis, Xenodochiis, &c. vel minoribus ſine acceptatione, vel inſinuatione a curatoribus eorum, vel tutoribus acta; habent tamen minores, Eccleſiæ Xenodochia recurſum pro damno contra tutores, & curatores in Gallia virtute citati Edicti Regii.

Quær. 6. *An donatio revocari poſſit?*

Dico. Donatio valida inter vivos acceptata non poteſt revocari, niſi, 1. ob ingratitudinem Donatarii, ſi injurias atroces, vel manus impias, vel vitæ periculum Donatori, vel ejus bonis grave damnum intulerit, vel donationem Donationi appoſitam non impleverit, vel Donatorem neceſſitate preſſum non aluerit: Donatio tamen remuneratoria ob ingratitudinem non poteſt revocari, nec alia ab hæredibus actione ingratitudinis ante mortem a Donatore non tentata, *Tourn.* 2. Ob prolem poſtea ſuſceptam, etiamſi eſſet mutata, vel remuneratoria, vel proles jam fuiſſet concepta tempore donationis, vel eſſet fa-

cta

ſta pro matrimonio, & contractui matrimoniali eſſet inſerta, vel revocationi expreſſe renunciaſſet, *Lud. XV. Edict. cit.* nec præſcriptio impedit dictam revocationem, *ibid.* etiamſi Donationem juramento firmaſſet, *P. Gerv.* non tamen tenetur Donatarius fructus perceptos reſtituere, niſi a die nativitatis prolis intimata, nec reviviſcit donatio mortua prole. *Edict. cit.* 3. Poteſt revocari, ſi ſit inofficioſa, id eſt contra officium pietatis liberis debitæ, non relinquendo ipſis legitimam, *leg.* 1. *Cod. de inoffic. don.* donationes vero mortis cauſa omni tempore revocari poſſunt; tales ſunt teſtamentum, codicillus, legatum, fideicommiſſum.

Quær. 7. Quid, & quotuplex ſit Hæres?

Reſp. 1. Hæres eſt, qui ſuccedit in univerſum jus, quod habuit defunctus. Alius eſt univerſalis, qui ſuccedit in omnia bona ſolus, vel cum aliis. Alius particularis, qui tantum partem acquirit. Alius ab inteſtato, quando ſine teſtamento hæreditas ad conſanguineos defertur, quorum alii ſunt neceſſarii, ut filii legitimi, & omnes deſcendentes, & aſcendentes, deficientibus deſcendentibus; filii naturales ſuccedunt matri, non vero patri, *Jus Rom.* & in Gallia nec matri, *Pont.* niſi ſint legitimati per matrimonium ſubſequens; non tamen retroagit legitimatio, *Pont.* Spurii nec patri, nec matri ſuccedunt, ſed ſolum propriis infantibus, & iis debentur duntaxat alimenta, ſi aliter ſe ſuſtentare nequeant: filii autem naturales dicuntur illi, qui extra matrimonium, & ſine impedimento inter parentes ſunt nati, vel cum tali, quod ipſis coeuntibus potuiſſet tolli, ut error, metus, cultus diſparitas, &c. Spurii vero, qui cum impedimento dirimente inter parentes nati ſunt, quod ab ipſis coeuntibus, & illud ſcientibus tolli non potuit, ut ligamen, vel conſanguinitas. Alii hæredes ſunt legitimi; & ſunt alii cognati, & propinqui uſque ad decimum gradum deficientibus neceſſariis ſuccedentes. Alius eſt hæres per teſtamentum inſtitutus, relicta hæredibus neceſſariis legitima, quæ Jure communi eſt tertia pars univerſæ hæreditatis, ſi teſtator habeat quatuor filios, inter eos dividenda, & media pars, ſi habeat plures.

Quær. 8. Quinam hæreditate privari poſſint?

Dico. Hæredes neceſſarii deſcendentes, vel aſcendentes hæreditate privari poſſunt, ut, 1. filius, ſi præter vo-

luntatem parentum inter arenarios, vel mimos ſeſe ſociaverit, & manſerit, niſi parentes ejuſdem profeſſionis fuerint; vel cum maleficis maleficus verſetur. 2. Si parentes in criminalibus cauſis accuſaverit, quæ non ſunt adverſus Principem, vel Rempublicam. 3. Si filius cum noverca ſua inceſtum commiſerit. 4. Si parentes ex carcere, vel captivitate, cum potuerit, non liberaverit. 5. Si filia, ſpreto honeſto matrimonio a parentibus oblato, vitam luxurioſam egerit. 6. Si quis parentum furioſus fuerit, & ei ſuccurrere neglexerit. 7. Si via iniqua parentes condere teſtamentum impediverit. 8. Si fidem Catholicam reliquerit. 9. In Gallia ſi ſine conſenſu parentum nupſerit, niſi, completis triginta annis in maſculo, & viginti quinque in puella, conſenſum in ſcripto requiſiverit, *Edict. Bleſſ. & Lud. XIII. ann.* 1639. *art.* 2. *vid. de Matr. Q.* 2. *Quær.* 6. *Hinc num.* 5.

Quær. 9. *Quid, & quotuplex ſit Teſtamentum, Codicillus, & Legatum?*

Reſp. 1. Teſtamentum juxta Jus Cæſareum definitur, voluntatis noſtræ juſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri vult cum directa hæredis inſtitutione; in Gallia tamen, ubi Jus ſcriptum non viget, non requiritur inſtitutio hæredis. Teſtamentum eſt multiplex, 1. ſolemne, in quo omnes formalitates a jure præſcriptæ ſervantur. 2. Privilegiatum, quod valet, licet non omnes formalitates ſerventur, ut militare, vel tempore peſtis. 3. Nuncupativum pure, quod coram ſeptem teſtibus a teſtatore ſine ſcriptura pronunciatur. Hoc in tota Gallia eſt abrogatum a Ludovico XV. *Edict.* 1735. *Art.* 1. 4. Nuncupativum ſcriptum, quod a Notario ſcribitur, prout a teſtatore dictatur coram ſeptem teſtibus idoneis ſimul ſubſcribentibus, Notario in eorum numero comprehenſo; hoc ſervatur in Gallia, ubi Jus ſcriptum viget; ubi non viget, ſufficiunt duo Notarii teſtatoris diſpoſitiones recipientes, vel unus eorum cum duobus teſtibus cum eo ſimul ſubſcribentibus, vel alia perſona publica, ut Parochus, etiam regularis, vel Adminiſtrator ab Epiſcopo deputatus, ubi ita eſt in uſu, non vero Vicarius; qui tamen ante, vel ſtatim poſt mortem teſtatoris tenentur Teſtamentum a ſe ſcriptum apud Notarium loci, vel viciniorem, ſi nullus ibi ſit, deponere; valet etiam inter infantes, & deſcendentes coram duobus Notariis, vel uno

cum

cum duobus teſtibus factum, ubi Jus ſcriptum viget, *Edict. cit. art.* 23. *&* 15. 5. Myſticum, id eſt ſecretum, ſeu clauſum, quod a teſtatore ſubſcriptum volucro incluſum, & ſigillo proprio munitum Notario coram teſtibus, ut ſupra præſentatur, & actus in volucro a Notario ſcriptus ſignatur: valet in Gallia, ubi jus ſcriptum viget, & poteſt fieri etiam ab eo, qui non poteſt loqui, modo poſſit ſcribere, & in volucro ſcribat, hanc eſſe ſuam ultimam voluntatem, & totum ab eo ſit ſcriptum, datum, & ſignatum: ſi autem teſtator Teſtamentum ab alio ſcriptum ſignare non poſſet, debet alius adhuc teſtis adhiberi loco ipſius ſignans, *Edict. cit. art.* 9. 10. 12. 13. 6. Holographum, quod totum a teſtator eſt ſcriptum, datum, & ſignatum; valet in Gallia, ubi hactenus fuit in uſu, & pro caſtra ſequentibus, ac tempore peſtis, & inter infantes, & pro deſcendentibus, & ſi fiat in Religione ante profeſſionem, debet apud Notarium inſinuari, *Edict. cit. art.* 16. *& ſeq. & art.* 29. *&* 35. 7. Militare, quod fit a caſtra ſequentibus, & quod fit tempore peſtis, vel ad pias cauſas, ad quæ jure communi ſufficiunt ea, quæ ſunt Juris naturalis, nimirum, poteſtas, libertas, capacitas in accipiente, & moralis certitudo de voluntate teſtatoris per duos teſtes; imo ad pias cauſas ſufficit certitudo alio modo habita; in Gallia vero poteſt militare ſolum fieri in actione aliqua militari, vel ab exiſtente extra regnum, aut a captivo, vel obſeſſo ab hoſtibus; vel poteſt fieri holographum, vel a duobus Notariis, vel officialibus ſuperioris Ordinis, vel ab uno eorum cum duobus teſtibus non neceſſario regnicolis, vel ſignare valentibus, modo de eorum impotentia fiat mentio, & teſtator ſignare poſſit, & non ſint infantes; vel ſi teſtator ſit ægrotus, vel vulneratus ab aliquo Eleemoſynario militiæ, vel Xenodochii cum duobus teſtibus mox dictis. Tempore peſtis poteſt fieri, ut militare, etiam a Parocho, Vicario, & quolibet Sacerdote, etiam regulari peſtiferis Sacramenta adminiſtrante cum duobus teſtibus, ut mox dictum eſt de militari; deſinit vero utrumque poſt ſex menſes, reſtituta libertate teſtandi in forma ordinaria, *Edict. cit. art.* 27. *& ſeq.* Ad pias cauſas in Gallia debet fieri Teſtamentum, & omnis alius actus mortis cauſa cum omni formalitate præſcripta ſub pœna nullitatis, *Edict. cit. art.* 78.

2. Codicillus eſt ultimæ voluntatis diſpoſitio circa ea, quæ

quæ quis poſt mortem ſuam vult fieri abſque hærodis inſtitutione, vel quo circa Teſtamentum aliquid explicatur, aut addendo, vel demendo mutatur; differt a Teſtamento; quia per Codicillum nullus hæres inſtituitur, & quinque ſufficiunt teſtes Jure communi, etiam mulieres; in Gallia vero conſuetudinaria, ubi Jus ſcriptum non viget, non differt a Teſtamento, & etiam duo teſtes cum Notario ſufficiunt, ſed omnia alia pro Teſtamentis præſcripta, etiam pro Codicillo præſcribuntur in Edicto citato.

3. Legatum eſt ultimæ voluntatis diſpoſitio per Teſtamentum, vel Codicillum, qua teſtator donnm ab hæreditate ſelectum alicui directis ad eum verbis relinquit. Fideicommiſſum eſt ultimæ voluntatis diſpoſitio, qua teſtator fidei hæredis committit aliquid alteri tradendum; differt a Legato ſolum in modo verborum. Legatum, & fideicommiſſum aliud eſt particulare, quo bonum deſignatum, pecunia, vel villa, &c. legatur, vel fidei hæredis committitur alteri tradendum. Aliud eſt univerſale, quo quis omnia bona alicui legat, vel fidei hæredis committit. Habentes jus ad legitimam, & hæredes inſtituti ſemper poſſunt quartam partem totius hæreditatis accipere, quæ ſi deducitur a Legatis, dicitur Falcidia, ſi a Fideicommiſſis, Trebelliana nuncupatur, & inſuper ſuam legitimam, niſi teſtator expreſſe prohibuerit utramque ſimul accipere. *Edict. cit. art.* 56. *&* 60.

Quær. 10. *Quænam requirantur conditiones ad valorem Teſtamenti?*

Dico. Ad valorem Teſtamenti, & cujuſcunque diſpoſitionis mortis cauſa tres requirunrur conditiones, videlicet, 1. teſtator ad teſtandum habilis. 2. Accipiens ex Teſtamento capax, ſaltem in morte teſtatoris, vel poſt mortem, tempore, quo impleta conditione Teſtamentum valere incipit. 3. Solemnitates a lege, vel conſuetudine præſcriptæ in loco, in quo fit Teſtamentum, quæ in diverſis locis diverſæ ſunt. In Gallia juxta Edictum Ludovici XV. anno 1735. ſunt ſequentes, 1. ut in omni Teſtamento, Codicillo, & alio actu mortis cauſa diſpoſitiones a teſtatore diſtincte dictentur, & a Notario ſcribantur in præſentia ſex aliorum teſtium; vel quinque cum Notario pro Codicillo, ubi Jus ſcriptum viget; vel quoad diſpoſitiones inter infantes, vel deſcendentes a duobus Notariis, vel

ab

ab uno eorum cum duobus teſtibus; vel ab aliis perſonis publicis uſu receptis, etiam a Parocho, ubi eſt in uſu, vel ab Adminiſtratore, ut ſupra *Quærit.* 9. vel pro militiam ſequentibus etiam a duobus officialibus Ordinis ſuperioris, vel uno eorum cum duobus teſtibus, vel etiam ab aliquo Eleemoſynario militiæ, vel Xenodochii teſtatore ægrotante, vel vulnerato; vel tempore peſtis etiam a quolibet Sacerdote etiam Regulari Sacramenta adminiſtrante; & facta lectione, & in prædictis actibus indicata, a teſtatore ſimul, & Notario, ac teſtibus ſignentur cum appoſitione diei, menſis, & anni; & ſi teſtator non poſſet ſignare, fiat mentio; & ſi eſſet viſione privatus, alius adhuc teſtis pro illo ſignans adhibeatur, niſi eſſet Teſtamentum holographum, quod totum a teſtatore debet ſcribi, & ſignari; vel myſticum, quod a teſtatore, vel alio poteſt ſcribi, & a teſtatore ſignatum in volucro incluſum, & ſigillo teſtatoris munitum præſentari debet coram ſex aliis teſtibus, & actus a Notario in volucro ſcriptus ab omnibus ſimul ſignari, adhibito alio adhuc teſte, ſi teſtator Teſtamentum ſignare non potuiſſet. 2. Ut teſtes ſint maſculi, regnicolæ, capaces effectuum civilium, videntes, & audientes teſtatorem, viginti annorum completorum (exceptis locis Juris ſcripti, ubi minor ætas, ut pubertatis ad teſtandum ſufficit) non regulares Novitii, vel Profeſſi, nec Scribæ, vel famuli Notarii, vel alterius Teſtamentum, vel alios actus mortis cauſa perficientis; nec hæredes inſtituti, vel ſubſtituti; nec legatarii (niſi eſſent legatarii in Teſtamenti myſtici ſubſcriptione) valentes ſignare, exceptis pagis non clauſis, in quibus duo valentes ſcribere ſufficiunt, facta de aliis, ſi plures requirantur, mentione; & in Teſtamentis militaribus, ac tempore peſtis, in quibus extranei, & non valentes ſignare admittuntur, modo teſtator ſignare poſſit; denique habentes alias qualitates a jure, vel conſuetudine requiſitas ſupradictis non contrarias. 3. Ut in locis, ubi hæres debet inſtitui, habentes jus ad legitimam, omnes in Teſtamento nominentur, quamvis pro minima ſumma, qui tamen ſupplementum pro legitima exigere poſſunt, ſecus erit nullum, ſaltem quoad inſtitutionem alterius hæredis, quamvis clauſulam codicillarem contineret. 4. Ut Teſtamenta, vel Codicilli non ſint mutui inter conjuges, vel alios; valent tamen Donationes mutuæ mor-

tis cauſa inter conjuges, ut ſupra de Donationibus dictum eſt.

Hinc. 1. *Defectu habilitatis teſtandi*, Teſtamenta aliæque diſpoſitiones mortis cauſa ſunt nullæ, 1. Jure naturali, & civili, ſi ſint factæ a non habente ſanam mentem, ut ſunt amentes, furioſi, niſi habent lucida intervalla, & eo tempore ſint factæ. 2. In Jure civili ſunt nullæ factæ ab impube, etiam conſentiente patre, quoad bona adventitia, ſi ſit filiusfamilias; pubes vero valide teſtatur, conſenſu patris etiam non requiſito, niſi eſſet in locis, ubi major ætas requiritur. 3. Factæ a ſurdo ſimul, & muto a nativitate; ſi enim poſſit ſcribere, Teſtamentum holographum perficere poteſt, ubi valet; vel factæ a mancipio, vel prodigo habente curatorem, vel a civiliter mortuo, ut a condemnato triremibus, aut exilio in perpetuum, vel morte; valent tamen, ſi interjecta appellatione, ante ſententiam definitivam moriatur, vel ob crimen militare damnatus ſit, *Pont.* 4. in Gallia ſunt nullæ factæ ab extraneis, quibus Rex ſuccedit; niſi ſint privilegiati, *vide de Dominio, & re inventa*; & Teſtamenta, vel Codicilli inter conjuges mutui, & inter alios ſunt nulli, *Ludov. XV. Edict.* 1735. *art.* 77. & Religioſis Epiſcopis factis ſuccedunt parentes, & non Ordo; pietati tamen conformius agunt relinquentes ſua bona ad pias cauſas, *Tourn.* 5. Jure Canonico ſunt nullæ factæ a Clericis de bonis mere Eccleſiaſticis, vel a Religioſis etiam Melitenſibus poſt emiſſam profeſſionem, vel ab uſurariis notoriis, niſi facta prius reſtitutione, vel præſtita de illa cautione; vel ab hæreticis publicis, eorumque receptoribus, & fautoribus; ubi autem inter Catholicos commorantur, teſtari non impediuntur, nec de facto Clerici, præcipue in Gallia.

Hinc: 2. *Defectu capacitatis recipiendi*, invalida ſunt Teſtamenta, & aliæ diſpoſitiones mortis cauſa, 1. ex adulterio, vel inceſtu nato factæ. In Gallia nondum nato, vel nondum concepto ſaltem in morte teſtatoris, *Edict. cit. art.* 49.; vel Monaſteriis non inſtitutis Regiis diplomatibus, vel aliis factæ a Novitiis, *Edict. Aurel. art.* 10. *& Bleſſ. art.* 28.; vel Notario, vel aliis Teſtamentum ſcribentibus, vel teſtibus, *Pont.* vel tutoribus, curatoribus a minoribus ſuis, vel pupillis, *Edict.* 1539. *&* 1549. 3. Factæ Fratribus Minoribus de obſervantia, & Capucinis,

niſi

niſi per modum Eleemoſynæ, vel piæ donationis, *Clement*, *exivi*; vel civiliter mortuis, niſi ſit penſio alimentaris, v. g. ad triremes damnato, *Font*.

Hinc: 3. *Defectu ſolemnitatis*, 1. ſi teſtator ſolum ſignis, vel literis ultimam ſuam voluntatem declaret, vel loco Notarii ejus ſcriba illam ſcribat, *Ludov. XV. ann.* 1745. vel alius jure, vel uſu non receptus, 2. Si teſtes non habeant qualitates a jure, vel conſuetudine requiſitas. 3. Si Teſtamentum holographum contineat interlineas, ſeu additiones alia manu appoſitas, *Tourn.* patet ex *Edicto citato ann.* 1735. 4. Si alia, jure, vel conſuetudine pro valore requiſita, non ſerventur; unde locorum conſuetudo eſt conſulenda, dum agitur de valoro diſpoſitionum ultimæ voluntatis. 5. Si captatione, vel ſuggeſtione Teſtamentum, vel alii actus mortis cauſa ſint facti. *Edict. cit. art.* 47.

Quær. 11. *An per Teſtamentum, aliumve actum inter vivos, vel mortis cauſa invalidum, acquiſita in foro conſcientiæ retineri poſſint*?

Dico: In foro conſcientiæ retineri nequeunt acquiſita per Teſtamentum, aliumve actum inter vivos, vel mortis cauſa Jure naturæ invalidum, *ita communis*; bene autem per actum defectu ſolemnitatum duntaxat invalidum poſſeſſa, ſaltem ante Judicis ſententiam invaliditatem dictorum actuum declarantis, *Soto*, *Ban. Sa. Laym. Sanch. Cabaſſ. & alii*; huic ſententiæ etiam favet S. *Antoninus*, *Innoc. III. Leſſ.* & multi alii; modo certo conſtet de voluntate teſtatoris, & adſint Jure naturæ requiſita, nempe facultas, & libertas in diſponente, & capacitas in recipiente: quia hæc naturalem ſaltem tribuunt actui valorem, ſaltem ad effectum retinendi voluntarie, ac libere a teſtatore, vel alio conceſſa, ſicut in contractibus cum pupillis, & minorentibus; nec leges irritantes ſimiles actus, declarant dantes, ac recipientes, ad dandum, & recipiendum inhabiles; nec aliter leges conſuetudine, quæ eſt interpres legum, ſunt receptæ, & ita docet communis praxis perſonarum etiam timoratæ conſcientiæ, quæ tali modo acquiſitis non ſolent ſpoliari ante Judicis ſententiam, ut teſtatur *Cabaſſutius & Billuart*; quæ opinio videtur probabilior, ac proinde practicabilis; valent tamen in Teſtamento, vel alio actu mortis cauſa defectu ſolemnitatum invalido pia lega-

legata, etiam in foro externo, *Alex. III. Greg. IX. Jus can. Pont. Tourn. Cabaſſ. & alii*; in Gallia vero obſtat Edictum Lud. XV. an. 1735. art. 77. quod expreſſe requirit, ut ibidem præſcripta etiam pro piis Legatis ſerventur.

Hinc: 1. Reſtitui debent, etiam ante Judicis ſententiam, acquiſita ex Teſtamento, vel alio actu inter vivos, vel mortis cauſa facto ab ægroto uſu rationis notabiliter turbato, vel omnino privato, vel metu, vi, &c. coacto, vel ſuggeſtione, vel captatione decepto, vel in favorem ex adulterio nati, vel tutoris a pupillis, &c. vel donatione ab infante, vel a Religioſo ſine licentia Superioris, vel uxoris de bonis mariti, &c. quia ſimiles diſpoſitiones ſunt Jure naturæ invalidæ, vel defectu rationis ſufficientis, vel libertatis, vel poteſtatis dantis, vel defectu capacitatis recipientis. 2. Non tenentur ad reſtitutionem, niſi poſt Judicis ſententiam poſſidentes bona accepta ſive gratuita, ſive oneroſa diſpoſitione non adhibitis ſolemnitatibus a jure præſcriptis, ut ex Teſtamento vel Codicillo defectu ſolemnitatis invalido, vel in Gallia per donationem ſummæ mille libras excedentis ſine inſinuatione apud Tabellarium, vel accipiens ſine ſcriptura de manu ad manum certam ſummam poſt mortem dantis pro ſe retinendam, vel pro Miſſis dicendis, nemine coram Judice in prædictis reclamante; quia ex libera voluntate dantis valorem habent ſaltem naturalem. 4. Legata ad pias cauſas in Teſtamento defectu ſolemnitatum nullo, vel in Codicillo non adhibitis teſtibus requiſitis, ſolvi debent, *Auct. ſupra citati*; quia in lege ſunt privilegiata, excepto in Gallia, niſi conſtet, eſſe facta per modum reſtitutionis, vel eſſe ex juſtitia debita; quia tunc Jus naturale ita exigit, ac divinum.

Quær. 12. Quiſnam poſſit eſſe executor Teſtamenti, & quomodo Teſtamentum exequi teneatur?

Dico. Executor Teſtamenti poteſt eſſe maſculus, vel fœmina, Laicus, ſeu Clericus etiam Religioſus de licentia ſui Superioris, exceptis Fratribus Minoribus, *Clem. exivi*; poſſuntque ad hoc charitatis opus obligari Religioſi obedientia, & alii charitate, vel a Judice. Si nullus ſit executor Teſtamenti nominatus, executio ſpectat ad hæredes; executio tamen pii Legati extra Galliam devolvitur ad Epiſcopum pro redemptione ſaltem captivorum

rum

rum, & Eleemoſynis pauperum, *P. Gerv.* executio Teſtamenti debet fieri tempore a teſtatore conſtituto, & ſi nullum ſit conſtitutum, ſtatim, vel ſaltem intra annum poſt aditam hæreditatem pro diſpoſitionibus profanis, & intra ſex menſes pro piis Legatis, etiam non adita hæreditate; negligentes ab utroque Judice Eccleſiaſtico, & civili poſſunt ad executionem compelli. Tenetur executor omnia ſincere exequi juxta intentionem teſtatoris, & incipere a Legatis piis, *ita in Jure;* executori non debetur ſalarium, niſi teſtator aliquod ei conſtituerit, vel ob damnum inde paſſum Judex aſſignaverit; poteſt tamen, ſi pauper ſit, Legata pauperibus ad ſuum arbitrium diſtribuenda, ſibi ſervare.

Hinc: executor Teſtamenti graviter peccat, 1. ſine juſta cauſa, cum damno proximi officium executoris recuſans. 2. Executionem ejus ultra annum, & pia Legata ultra ſex menſes ſine juſta cauſa notabiliter differens, vel contra intentionem teſtatoris diſponens. 3. Propria auctoritate ſuum laborem compenſans.

Quær. 13. *An hæres teneatur acceptare hæreditatem: quando eam acceptaſſe cenſeatur; & quando a Judice poſſit ab hæreditate excludi?*

Dico. Hæres non tenetur acceptare hæreditatem, eam tamen non acceptaturus, ei renunciare debet actu juridico debite ſignificato iis, quorum id ſcire intereſt, & ſi eam abſque beneficio inventarii adeat, tenetur ad omnia debita, & Legata defuncti, etiam vires hæreditatis excedentia, exceptis pœnis pecuniariis pro crimine, vel confiſcationibus non lata ſententia ante obitum defuncti, vel appellatione interpoſita; in foro tamen conſcientiæ non videtur obligandus ad hæreditatem excedentia, *P. Gerv.*; nec tenetur Legatarius, niſi pro rata emolumenti recepti, nec minor, qui hæres beneficiarius reputatur, *Pont.* tres menſes conceduntur pro conficiendo inventario, & 40. dies ad deliberandum, num eam accepturus ſit, *Edict.* 1667. qui autem hæreditatem ſemel adivit, nullatenus eam repudiare poteſt, & cenſetur eam adiiſſe, 1. ſi reditus ex ſucceſſione receperit. 2. Si debita ſolverit. 3. Si bona coluerit, locaverit &c. vel res, aut hæreditatem alteri vendiderit. 4. Si ſecreto aliquid hæreditatis abſtulerit. Beneficio inventarii hæreditatem acceptans, 1. ultra vires hæreditatis non poteſt conveniri. 2. Poteſt de-

tra-

Digitized by Google

trahere Falcidiam, vel Trebellianam, ſi hæreditas ultra eas gravata ſit Legatis, vel Fideicommiſſis; non tamen a Legatis piis, *Auth. ſimil. Cod. ad leg. Falcid.* 3. Jus habet ante omnia deducendi impenſas funeris, & inventarii, nec de ordine creditorum tenetur eſſe ſollicitus, poteſt tamen hæres ab inteſtato, vel Teſtamento inſtitutus ab hæreditate a Judice excludi, ſi in defunctum, dum luce potiebatur, ſeu poſtquam fato ceſſit, graviter deliquerit, videlicet, 1. ſi inſidias vitæ defuncti parari, vel eum aliter periclitari ſciens, non monuerit, nec pro viribus juverit. 2. Si defuncti honorem libellis, vel crimine ad Judicem delato invaſerit. 3. Si capitale odium inter teſtatorem, & hæredem inſtitutum, præſertim cum ad prioris mortem, intervenerit. 4. Si vi, aut dolo volentem teſtari, vel Teſtamentum mutare, prohibuerit; vel ſe hæredem inſtituere coegerit, & jure Romano hæreditas ad alium, alias eam obtenturum devolvitur; Gallico vero, Fiſco adſcribitur, *Pont.*; ſic etiam hæreditatem mariti colligere prohibetur uxor, quæ ipſo vivente in aperta libidine vixit, *ibid.* Hæres, recuſans hæreditatem, Teſtamentum reddit caducum, quantum ad omnia in locis Juris ſcripti; quia ibi inſtitutio hæredis eſt de ejus eſſentia; niſi dolo fecerit, ut hæreditas ab inteſtato ad patrem, vel alium, quocum convenit, ab omni onere vacua tranſeat, vel niſi clauſulam codicillarem contineat, ut nimirum valeat, ut Codicillus, ſi robore Teſtamenti careat, *Pont.*; & ſi plura poſt obitum defuncti inveniat Teſtamenta, ultimo ſe conformare tenetur; & mortuo hærede ultimi Teſtamenti ante teſtatorem, priora propterea non reviſcunt ſine nova teſtatoris diſpoſitione, *ibid.*

Hinc 1. Graviter peccat hæres dolo recuſans hæritatem Legatis gravatam, ut ſine eorum onere ad alium tranſeat; vel acceptans Falcidiam, aut Trebellianam a Legatiis piis, vel pia legata non ſolvens, etiam in Teſtamento defectu formalitatis nullo, ſaltem extra Galliam, vel in Gallia, ſi ſciat per modum reſtitutionis eſſe facta. 2. Hæres tenetur ſolvere Legatum ſub conditione Religionis ingrediendæ alicui factum, licet egrediatur ſine dolo, & ſine culpa, vel factum ob cauſam falſam a teſtatore allegatam; quia ſufficit voluntas teſtatoris, *Pont.*; modo ſit tantum impulſiva; vel penſionem alimentarem ad triremes damnato, *L. is cui, 2. ff. de alim.*; licet cæteroquin

roquin

roquin ſit incapax recipiendi ex Teſtamento; debeturque penſio alimentaris legata ab initio anni, *L. ſi compet.* 1. *C. quando dives*. 3. Si domus ſit legata ea conditione, ut Legatarius ex ea alteri ſolvat penſionem, mortuo primo Legatario ante teſtatorem, tenetur hæres illius domus ab inteſtato illam ſolvere, *Pont.* 4. Legatum ad certum uſum, non poteſt mutari in meliorem ſine auctoritate Judicis ſæcularis, ſi ſit ſæculare, vel Eccleſiaſtici, ſi ſit ad pias cauſas: deſtinatum vero ad inutilem, poteſt pro alia re utili adhiberi. 5. Legatum factum Monaſterio non habenti Literas Regias pro ſua fundatione, ac proinde non valenti illud recipere debet, ab Epiſcopo ad alias pias cauſas deſtinari, *Greg. IX. apud Pont.* ſic legatum non acceptum pro fundatione certarum Miſſarum, debet ad alias pias cauſas impendi, *Pont.* 6. Legatum pro Eccleſia, vel pauperibus intelligitur de Eccleſia, & pauperibus loci, *Nov. de reg.* 131. *c.* 7. 7. Centum amphoræ vini ex proximis vindemiis ſuæ vineæ legatæ, ſolum quoad medietatem ſolvendæ ſunt, ſi vinea non ultra medietatem produxerit. 8. Legata domo cum omnibus, quæ in ea ſunt, etiam comprehenduntur pecuniæ; non vero Contractus redituum annuorum; quia non ſunt mobilia. 9. Legata domo etiam comprehenditur hortus vicinus, licet poſtea emptus; quia acceſſorium ſequitur principale. 10. Hæres ſurripiens aliquid occulte ab hæreditate, tenetur ſolvere debita, & Legata etiam hæreditatem excedentia ſaltem in foro exteriori; quia hæreditatem acceptaſſe reputatur, niſi beneficio inventarii uſus ſit. 11. Cohæres tenetur partem alterius redintegrare, ſi illa a creditore teſtatoris evincatur, non vero rem legatam, niſi ipſius culpa pereat.

Quær. 14. *Quid ſit Depoſitum, & Sequeſtrum?*

Reſp. Depoſitum aliquando ſumitur uro ipſa re depoſita, ſtrictus eſt Contractus, quo res cuſtodienda traditur alteri, ab eoque ſuſcipitur expreſſe, vel tacite, ut cum ex officio res cuſtore obligatus eas videat apud ſe deponi, ut caupones, ſtabularii, aurigæ, nautæ, &c. ut reddatur eadem: Sequeſtrum vero, quod etiam depoſitum judiciale dicitur, eſt Contractus, quo res, de qua eſt controverſia, alteri tercio cuſtodienda tradicur, ut poſtea reddatur cum fructibus ei, cui adjudicabitur a Judice.

Quær. 15. *Ad quid teneatur Depoſitarius?*

Dico.

Dico. Depoſitarius, ſuſcepto expreſſe, vel tacite depoſito, tenetur 1. illud conſervare, & cuſtodire ea cura, quam homines diligentes in ſimilibus ſuis rebus adhibere ſolent, *L.* 32. *ff. depoſ.* 2. Rem eamdem reſtituere, quamprimum a deponente fuerit repetita, niſi ſibi, vel alteri nocere credatur, vel furto fuiſſet ablata, vel Fiſco adſcripta; tunc domino, & non furi deponenti, vel Fiſco tradenda eſt. 3. Non uti re depoſita ſine conſenſu domini expreſſo, vel tacito, aut ſaltem probabiliter præſumpto. 4. Rem non retinere pro compenſatione occulta, *cap.* 2. *de depoſ. & L.* 11. *Cod. depoſ.* niſi indirecte, eam retinendo, donec ſolvat debitum, *Sylveſt.* depoſitor autem tenetur Depoſitario impenſas in re cuſtodienda factas, ac damna ſolvere, *Tourn.*

Hinc 1. Enſis depoſitus non furioſo reddendus, ne aliis noceat, res furtivæ depoſitæ non furi, ſed domino; merces depoſitæ, & per ſententiam Fiſco adſcriptæ non mercatori, ſed Fiſco tradendæ ſunt. 2. Furtum committit Depoſitarius utendo re depoſita rationabiliter invito domino, v. g. equo, veſte, &c. *L.* 3. *Cod. depoſ.* niſi pretium pro uſu ſolvat domino non invito; tunc ſi dominus conſentiat, & res ſit uſu conſumptibilis, tranſit in mutuum, & perit depoſitario; ſi uſu non ſit conſumptibilis, in commodatum, ſi gratis concedatur; & in locationem, ſi pro pretio datur; etiam excuſatur, ſi vergat uſus rei in commodum deponentis; ſic utendo equo, quantum opus eſt, ne in ſtabulo langueſcat, vel vino, aut frumento, ne pereant, modo certo ſciat, ſe rem ejuſdem ſpeciei, & bonitatis habiturum tempore, quo ſit repetenda; quia tunc negotium domini utiliter agit, *Tourn.* vel quando prudenter, & bona fide exiſtimat, domino non diſplicere; ſic ſi, v. g. utatur pecunia numerata depoſita in ſaculo non clauſo, nec obſignato, modo moraliter certus ſit, ſe eam habiturum, dum exigetur; ſic Theſaurarii, Eleemoſynarii, &c. ſine damno pecunias depoſitas negotiationi exponentes excuſantur, *P. Gerv.* ſed caute, & ſuppoſito conſenſu domini, *Pont.* qui conſenſus prudenter præſumi nequit, ſi pecunia clauſa vel obſignata tradatur, ſed illa utens, peccatum furti committit, *Pont.*

Quær. 16. *Quid ſit Commodatum, & Precarium?*

Reſp. Commodatum eſt gratuita alicujus rei ad ſolum uſum conceſſio uſque ad tempus determinatum, ante quod

quod repeti non poteſt. Precarium vero eſt ad preces alterius gratuita alicujus rei ad ſolum uſum conceſſio revocabilis ad nutum concedentis; differt à Commodato; quia eſt revocabilis ad nutum, & ad preces alterius conceſſum, non vero Commodatum.

Quær. 17. *Quænam ſint obligationes Commodantis, & Commodatarii?*

Dico. Commodans tenetur; 1. aperire vitium rei commodatæ, ſi ſit periculoſum. 2. Non repetere Commodatum ante tempus expreſſe, vel implicite conventum. 3. Facere impenſas rei extraordinarias. Commodatarius autem tenetur 1. non uti re commodata, niſi ad uſum ſibi conceſſum. 2. Rem commodatam conſervare ea cura, qua diligentiſſimi res ſuas conſervare ſolent; quia cedit in utilitatem ſolius accipientis. 3. Reſtituere rem commodatam finito tempore, etiamſi non petatur. 4. Facere impenſas modicas, neceſſarias, & ordinarias pro rei conſervatione. 5. Reſtituere valorem, ſi pereat ex culpa leviſſima; non vero ex caſu fortuito, niſi intervenerit pactum de caſu fortuito, vel mora, ob quam periit, vel culpa, eam adhibendo ad uſum non conceſſum; ſi vero fuerit precarium, tenetur ſolum de dolo, & culpa lata; quia eſt ad nutum revocabile.

Hinc 1. Gravier peccat, & tenetur de damno, 1. commodans vas veneno infectum, vel taurum nocere ſolitum, ſi non moneat Commodatarium. 2. Commodans equum pro tempore meſſis, illumque ante tempus elapſum repetens, niſi idem damnum inopinatum ex ejus carentia ipſi eveniſſet; quia ſub hac conditione cenſetur conceſſus. 3. Si neglectis impenſis extraordinariis ante tempus perierit cum damno Commodatarii.

Hinc 2. Graviter peccat, & tenetur ad reſtitutionem Commodatarius 1. equo ad equitandum conceſſo utens ad trahendas vecturas onuſtas cum notabili ejus deterioratione, committitque ſpeciem furti, *Inſtit. de oblig. qua ex delict.* 2. Non præbens commodato pabulum neceſſarium, ſi propterea notabiliter patiatur. 3. Illum non reſtituens tempore convento cum notabili damno commodantis, & ſi fulmine perierit, vel alio caſu fortuito, tenetur reſtituere pretium, ſi non eodem modo periiſſet apud dominum. 4. Si in atrio cauponæ relictus, furto fuerit ablatus; quia non debitam habuit ipſius curam.

Quær.

Quær. 18. *Quid ſit Mandatum, & Negotiorum geſtio?*

Reſp. Mandatum eſt obligatio aliquid agendi in alterius commodum gratis ſuſcepta; ſi enim fit pro pretio; eſt locatio operæ; qui ſolet obſequia præſtare pro mercede, non præſumitur gratis eam ſuſcepiſſe. Negotiorum geſtio vero eſt alterius abſentis, & ignorantis negotium gerere ſine mandato.

Quær. 19. *Quænam ſint Mandantis, Mandatarii, ac Negotiorum geſtoris obligationes?*

Dico. Mandans tenetur 1. præbere neceſſaria ad Mandati executionem, & ſolvere ſumptus. 2. Ratum habere, quod a Mandatario bona fide, ac prudenter geſtum eſt. Mandatarius vero tenetur. 1. Negotium, ut proprium, diligenter adimplere, & non peracto, vel male, damna inde ſecuta reſarcire, niſi tempeſtive acceptionem Mandati retraxerit. 2. Non excedere Mandati fines, ac conditiones. 3. Non exigere mercedem pro ſua opera, nec compenſatione occulta uti. Negotiorum geſtor vero poteſt præter impenſas, & damna mercedem congruentem exigere, etiamſi Negotium male ſuccedat, dummodo debitam diligentiam adhibuerit. 4. Uterque tenetur ad reſtitutionem damni de dolo, & culpa lata; ſi vero pro mercede, vel ſeipſos obtulerint, cum alius diligentior ad idem Negotium præſto eſſet, de culpa levi; & ſi maximam diligentiam promiſerint, vel eam rei gravitas exigat, de leviſſima.

Hinc 1. Mandatarius non poteſt carius emere, nec minori pretio vendere, quam ei præſcriptum eſt; ſecus tenetur ad damnum. 2. Spe remunerationis gratuitæ fruſtratus, non poteſt compenſatione occulta uti; bene autem Negotiorum geſtor, ſi mercedem ſibi debitam alio modo habere nequeat, & aliæ ſerventur conditiones juſtæ compenſationis occultæ.

Quær. 20. *Quid ſit Locatio, & Conductio?*

Reſp. Locatio eſt contractus, quo perſona, vel res aliqua ad uſum, ut equus, vel ad fructum, ut vinea pretio ad certum tempus conceditur; Conductio vero eſt idem contractus, quo perſona, vel res ad uſum, vel fructum pro pretio comparatur; unde ex parte dantis eſt Locatio, & ex parte accipientis eſt Conductio. Per pretium intelligitur pecunia; ſi enim eſſet alia res, vel obſequium, eſſet contractus innominatus; eſtque triplex,

ſupre-

ſupremum, medium, & infimum; non eſt infra infimum illud, quo plures operam ſuam locant; nec ſupra ſupremum, quo plures conducunt.

Quær. 12. *Quænam ſint obligationes Locatoris?*

Dico. Locator tenetur 1. rem non locare pretio majore, ſummo, ſecus tenetur ad reſtitutionem, 2. Aperire conductori vitia rei locandæ occulta, & noxia, alias tenetur ad reſtitutionem damni, nec excuſatur ignorantia invincibili, *L.* 19. *ff. loc.*; quia tenetur rem locandam probare, an vitioſa ſit. 3. Impenſas in rei reparationem, v. g. domus neceſſario factas refundere, *L.* 55. *ff. loc.*; niſi factæ fuiſſent neceſſariæ culpa conductoris; & onera publica ad rem locatam pertinentia ſolvere, niſi in utroque caſu aliter ſit conventum. 4. Non locare rem ſuam male uſuro. 5. Remittere, vel minuere pretium ob caſum fortuitum, niſi ubertate anni præcedentis ſterilitas ſequentis compenſetur, *L.* 27. *Cod. & cap.* 3. *de loc.*; vel ab initio de omni eventu fuiſſet conventum, & ob hoc onus pretium debet eſſe minus, *L.* 9. *ff. loc.*; 6. Rem non repetere ante tempus conſtitutum, niſi 1. defectu ſolutionis tempore ſtatuto, vel ſaltem poſt biennium, ſi Locatio ſit quinque, vel decem annorum. 2. Ob malos conductoris mores. 3. Ob reparationem, aut venditionem, vel ob propriam indigentiam, *cap.* 3. *de loc. & L.* 3. *Cod. loc.*

Hinc: graviter peccat cum onere reſtitutionis 1. famulus exigens ſupra ſupremum ſtipendium, vel utens compenſatione occulta non infra infimum conductus. 2. Locans domum ruinoſam, vel malis ſpiritibus obſeſſam, vel equum, aut mulum onera, vel aſcenſorem abjicientem, vel paſcua pecoribus nociva, etiamſi dicta vitia inculpabiliter ignoraret. 3. Locator non ſolvens impenſas neceſſarias circa domum locatam factas, vel medicinas pro equo ægrotante adhibitas; non tamen tenetur, ſi equus conductoris culpa ægrotet; nec ad impenſas ob ſolum commodum conductoris factas. 4. Locans cubile perſonæ, eamque poſtea malæ vitæ agnoſcens, non expellens; quamvis illius mala vita ſit occulta, & ſine ſcandalo, *Pont.*; vel domum uſurario publico, aut meretrici, licet eam non poſſet alteri locare, vel non alios haberet reditus pro ſua ſuſtentatione, *S. Raymond. Pont.* niſi domus eſſet in ea parte civitatis, in qua Reſpublica eas pro majori malo evitando toleraret, & perſonæ ad meretricandum firmiter reſolutæ

locaretur cum diſplicentia ipſius criminis, *Sylvius*, *Pont.*; vel ſi domum non locando meretrici, ad extremam reduceretur neceſſitatem; quia remote tantum ad illius peccatum concurrit. 5. Non ſervans conductorem indemnem, ſi notabile damnum patiatur, puta furto, &c. ob oſtia, feneſtraſve domus locatæ nimium fractas, vel ob evictam, etiam ſine dolo, vel culpa Locatoris, *L. 6. & 25. ff. locat.*; non tamen tenetur de damno, ſi re locata frui nequeat vi majoris, ut Principis, vel ob incendium etiam ab inimico Locatoris cauſatum, modo non fuerit cauſa culpabilis inimicitiæ; ſed ſolum imminuere penſionem pro rata privationis uſus. 6. Deſtructis prædiis locatis grandine, vel inundatione Locator diminuere tenetur penſionem, niſi conventione de caſu fortuito, vel ubertate anni præcedentis eximatur; nec in Locatione trium, vel plurium annorum ſolet concedi imminutio; quia ſterilitas unius anni per antecedentis, vel ſubſequentis ſat ſupponitur compenſari, nec ſi fundus ſit ſterilitati obnoxius, puta, quia fluvio eſt affinis, cujus penſio ſolet diminui; nec ſi fructus ſint mere naturaliter ſine cultura, & induſtria producti, ut fœnum, & ligna ab hoſtibus conſumpta; nec ſi in horreo jam congregati igne cœleſti comburantur; quia non amplius ſunt pars fundi, ſed ſolius conductoris; nec ſi caſus fortuitus, ut gelu, inundatio, &c. non extra conſuetudinem acciderit. Nec ſi penſio non ſit pecunia, ſed fructus fundi; tunc enim eſt ſocietatis ſpecies, *ita Pont.*; ex charitate tamen aliquando diminuere tenetur Locator. 7. Mortuo Locatore, vel Conductore hæredes tenentur ſervare contractum; quia faciunt unam cum defuncto perſonam.

Quær. 22. Quænam ſint obligationes conductoris?

Dico. Conductor tenetur cum onere reparationis damni, 1. rem, vel operam perſonæ non conducere pretio, infimo, minori. 2. Non uti re locata invito domino, niſi ad uſum conceſſum. 3. Solvere penſionem ſtatuto tempore. 4. Non dimittere rem, vel perſonam locatam ante tempus conſtitutum. 5. Modicas neceſſarias facere impenſas pro rei conſervatione. 6. Reſtituere rem locatam impleto tempore in bono ſtatu. 7. Reparare damnum; ſi pereat, vel deterior fiat culpa levi ſua, vel ſublocatariorum, aut famulorum; non vero de leviſſima, vel de caſu fortuito; niſi ita fuerit pactum, vel

præ-

Digitized by Google

præceſſerit mora culpabilis reddendi, vel culpa levis caſus fortuiti.

Hinc: graviter peccat, & tenetur ad reſtitutionem damni; 1. herus conducens famulum pretio minori, infimo, niſi non indigens ſervo ex miſericordia eum ſuſciperet; tunc tenetur ad alimenta ſolum; ſi tamen eum notabiliter ultra alimentorum merita laborare faciat, tenetur ſaltem ad infimum ſtipendium, vel labori proportionatum; *Leſſ.* pueris, præter alimenta nihil debetur; promiſſio tamen promotionis ad ſtudia, vel artem ex juſtitia impleri debet; *P. Gerv.* dimittens vero famulum ſine juſta cauſa; tenetur eum integre ſolvere pro toto tempore conducto, ſi nullum dominum inveniat; ſi alium inveniat; ſed minori pretio; tenetur ad reſiduum, ut adæquet idem pretium, ſi eodem pretio, vel juſta ex cauſa eum dimiſerit; ſolum ad ſtipendium pro rata temporis; ſic ſi famulus herum ante tempus relinquat, tenetur herus eum ſolvere pro rata temporis: quia merces Jure naturali eſt debita, niſi herus damnum patiatur; quia tunc famulus illud reſarcire tenetur, vel niſi conventum ſit de amiſſione integri pretii, ſi ante tempus diſcedat, *Pont.*; vel niſi ita conſuetudine ſit receptum. Domeſticis ægrotis debentur alimenta, & modica neceſſaria, non vero ſalarium, ſi diu ægrotent; niſi ſit conſuetudo, *P. Gerv.* 2. Tenetur conductor damnum domus locatæ, culpa etiam levi ſua, vel ſuorum domeſticorum, aut ſubconductoris combuſtæ, totum reſarcire, *ita in Jure*; ſalvo recurſu ad domeſticos, vel ſubconductorem; ſi ſine ulla ipſius culpa incurſu hoſtium, vel igne cœleſti perierit, ad nihil tenetur; quia res perit domino, ſecluſa alterius culpa. 3. Conducens duos boves tempore Locationis nonaginta libris æſtimatos caſu etiam fortuito pereuntes eo pretio ſolvere tenetur; quia æſtimatæ rei datæ periculum in ſe ſuſcipere a Jure cenſetur; *Pont.* 4. Architecto ob male deductum computum majores facienti impenſas ædificando domum, quam ſtipendium conductum patitur, conductor illas præſtare tenetur, & econtra architectus tenetur reſtituere de ſtipendio, ſi juſtum exceſſerit; quia debet ex utraque parte eſſe juſtum, ut in emptione, & venditione; niſi conductor noluiſſet abſolute ædificare cum tantis impenſis, vel caſu fortuito, mala nimirum tempeſtate longius tempus, vel ob favorabilem

brevius impendiſſet, tunc damnum, & lucrum inde eveniens architectus ſibi reſcribat, *Pont.* 5. Conductor in ſe ſuſcipiens caſus fortuitos cenſetùr intelligere eos, qui injuria temporum, grandine, inundatione &c. non vero actione, vel malitia hominum, ut bello &c. contingunt, *Pont.*

Quær. 23. *Quid ſit Emptio, & Venditio?*

Reſp. Emptio eſt pactio pretii pro merce; Venditio vero eſt pactio mercis pro pretio. Per pretium intelligitur pecunia; nam ſi ſit alia res, erit permutatio; & per mercem omnia bona mobilia, vel immobilia, præſentia, & futura, actiones, & jura. Vendere ad corpus eſt, quando plura per modum totius uno pretio abſque expreſſione ponderis, numeri, & menſuræ, ut dolium vini, acervus tritici, grex animalium venduntur. Vendere ad menſuram eſt, quando plura per modum plurium venduntur; ut dolium vini, ſolvendo unamquamque metretam tribus florenis, vel ex iſto grege ovium, quinque.

Quær. 24. *Quænam requirantur ad Venditionem, ac Emptionem conditiones?*

Dico. Ad contractus Venditionis, & Emptionis requiritur 1. conſenſus mutuus externus. 2. Merx. 3. Pretium. 4. Certa contrahendi forma juxta leges, vel conſuetudinem loci. 5. Pro transferendo dominio rei traditio, vel conſtantis numero, pondere, menſura, coram Emptore determinatio, eam numerando, ponderando, vel menſurando, quæ fictione Juris æquivalent traditioni. 6. Impletio conditionis. 7. Pro juſtitia inter mercem, & pretium æqualitas.

Hinc 1. Venditiones centum libras excedentes in Gallia non obligant, niſi coram Notario, vel partium ſignatura ſint factæ, nec admittitur probatio per teſtes, *Edict. anno* 1566. quibuſdam in locis non valent niſi data arrha, cum cujus jactura reſilire licet; in aliis vero etiam cum jactura arrhæ non reſilire licet, ſi nimirum in ſecuritatem obligationis contractæ data ſit, *Tourn.* 2. Si res ad guſtandum, vel probandum data ſit, non obligat Venditio, niſi facta probatione, vel re guſtata, licet de pretio conventum ſit; quia conditio non eſt impleta. 3. jura Gabellæ Venditioni impoſita ſolvenda ſunt inita rei emptæ poſſeſſione, *Tourn.*

Quær. 25. *Ad quem ſpectent fructus rei emptæ, & an non ſoluto pretio debeat ſolvi intereſſe?*

Dico.

Dico. Omnes fructus maturi, ſive immaturi, tam rei emptæ inhærentes tempore contractus, quam poſtea naſcentes, pertinent ad emptorem, licet nondum ſit tradita, nec pretium ſolutum, nec oblatum, nec cautio, aut pignus traditum, nec dilatio expreſſe conceſſa, niſi aliter expreſſe ſit conventum, *ita in Jure*; tenetur tamen impenſas pro illis colligendis, vel cuſtodiendis a venditore bona fide factas reſarcire, & non ſoluto pretio, tenetur illius intereſſe, in Gallia defacto quatuor pro centum, ſolvere a die rei traditæ, vel oblatæ, vel ſi venditor certum, tempus ſolutionis, fixiſſet, a die expreſſe convento; rei autem mobilis a die petitionis in Judicio, *Ferriere apud Tourn.* quod intereſſe ſolvitur non pro lucro, ſed pro compenſatione fructuum, & æqualitate inter contrahentes, etiamſi per accidens nullos fructus ferat, *ibid.*

Hinc 1. Unæ ſive maturæ, ſive immaturæ pertinent ad ementem vineam, pullus ante venditionem natus ad venditorem, & poſtea natus ad emptorem, & non ſolvens pretium pro vinea, tenetur ſolvere intereſſe, *L.* 13. §. 10. *de act. empt.* in Gallia quatuor pro centum a die vineæ traditæ, vel oblatæ; & non ſolvens pretium equi a die petitionis in judicio, licet vinea fuiſſet ſterilis, & equum nemini locaſſet, vel eo uſus non fuiſſet. 2. Venditor poteſt ſpeciali conventione ſibi reſervare rei non ſolutæ dominium pro hypotheca, ſed tunc ipſius debet ſubire periculum; in Gallia tacite hypothecata manet venditori, etiam translato ipſius dominio, & in eam, non ſoluto pretio, recurſum habet in quaſcumque manus tranſierit, ſi ſit res immobilis; ſi vero ſit mobilis, ſolum in manu emptoris, *Edict.* 1699. *art.* 3.; non poteſt tamen non ſoluto pretio fructus reſervare pro lucro ceſſante, vel damno emergente ultra quatuor pro centum; quia eſſet uſura palliata.

Quær. 26. *Cui res vendita fiat deterior, vel pereat?*

Dico. Res vendita etiam ante traditionem, ſi ſit determinata in individuo, ut hic equus, vel vendita ad corpus, ut totus grex pro mille libris, ſit deterior, & perit emptori, niſi 1. venditor periculum in ſe ſuſceperit, vel dolo, aut culpa ipſius etiam levi perierit, tunc venditori perit, qui tenetur ex officio ad illius cuſtodiam. 2. Si venditor fuerit in mora tradendi, ipſi perit; ſi al-

ter poſt alterum fuerit in mora, perit poſteriori, niſi mora prioris fuerit cauſa poſterioris; ſi uterque fuerit in mora ſimul, perit emptori, *ita in Jure*; ſi venditio fuerit conditionata, perit ante conditionis eventum venditori, *ita in Jure*. Res indeterminata, vel determinata, ſed vendita ad menſuram, perit venditori, quamdiu non fuerit menſurata, vel numerata aut ponderata coram emptore; qua tacite ſub hac conditione venditur, niſi ſtatuto pro menſuratione tempore emptor non comparuerit; vel nullo ſtatuto tempore, ſi venditor coram teſtibus emptorem ad comparandum certo tempore ad menſurationem monuerit, tunc ob moram emptoris ipſi perit; res vero determinata disjunctive, ut hic, vel ille equus, vel unus ex iſtis duobus, pereunte uno, alter eſt emporis, ipſique perit; ſi ambo pereant, tenetur emptor unius ſolvere pretium, *ita in Jure*; melioratio autem, vel deterioratio rei indeterminatæ, vel determinatæ, etiam ad menſuram venditæ, pertinet ad emptorem, *ita Silvius, Leſſ. Tourn. & alii communiter*.

Hinc: 1. Equus hic, vel hic grex venditus centum taleris; etiam non traditus, perit emptori; equus vero ex ſtabulo venditoris furto ablatus, quia non clauſum, vel quia non tradidit emptori tempore convento, perit venditori; quia fuit in culpa levi, vel mora tradendi; ſi emptor eum noluit accipere, perit emptori; ſi non fuerit traditus; quia ambo fuerunt abſentes, perit emptori, quia ambo venditor, & emptor fuerunt cauſa moræ tradendi, *ita in Jure*. 2. Emens quinque oves ex grege, vel totum gregem unamquamque ovem duobus florenis, vel decem amphoras vini ex dolio, vel integrum dolium unamquamque amphoram vini quinque florenis, pereunte toto grege ante numerationem ovium, vel effluxo omni vino e dolio ante menſurationem, perit venditori, nec emptor tenetur ad quinque oves emptas ex grege, nec ad decem amphoras vini; quia conditio tacita, ſi oves fuerint numeratæ, vel vinum menſuratum, non fuit impleta, *Sylv. Lug. Tourn. & alii contra P. Gerv. & alios*; niſi ob emptoris moram non fuiſſent oves numeratæ, vel vinum menſuratum; ſi vero grex, vel vinum ſolum deterius fuiſſet factum ſine culpa venditoris, damnum pertinet ad emptorem, *Auct. cit. ſupra*. Centum libræ vero ceræ ponderatæ, vel centum ulnæ panni menſuratæ emptæ, & reli-

ctæ

ctæ apud mercatorem, ſine ipſius culpa furto ablatæ, pereunt emptori. 3. Emptus ſtichus, aut pamphilus, uno mortuo, ait Jus: qui ſupereſt, dandus eſt; ſi ambo pariter deceſſerunt, pretium debebitur ab emptore; quia in emptione disjunctiva unum abſolute emitur.

Quær. 27. *Quid, & quotuplex ſit juſtum pretium?*

Reſp. Juſtum pretium eſt illud, quod exæquat valorem rei juxta communem hominum intelligentium æſtimationem conſideratæ, & eſt duplex, videlicet 1. legale, legitimum, aut taxatum nominatum, quod Lege Principis, ſeu Magiſtratus decreto taxatum eſt. 2. Vulgare, ſeu naturale, quod communi hominum intelligentium æſtimatione conſtituitur: & hoc eſt triplex, 1. ſummum, ſeu rigoroſum, quod res ad ſummum valet, & vendens ſine injuſtitia excedere non poteſt. 2. Infimum, ſeu pium, quod res ad minimum valet, & quod emens minuere non poteſt. 3. Medium, ſeu moderatum, quod eſt inter utrumque, quod poteſt augeri uſque ad ſummum, & minui uſque ad infimum incluſive; quæ extenſio ab infimo ad ſummum, vocatur latitudo prætii, quæ eſt major, aut minor prout res eſt magis, vel minus pretioſa. Sic ſi medium pretium ſint viginti aurei, infimum erunt novemdecim, & ſummum viginti unus, & tota latitudo pretii tres aurei. Si vero medium ſint centum aurei, ſummum erunt centum quinque, infimum nonaginta quinque, & tota latitudo ejus decem.

Quær. 28. *Unde juſtum pretium ſit deſumendum, quo vendere, ac emere liceat, & qua ratione augeri, vel minui poſſit?*

Dico. Juſtum pretium repetendum eſt ex comparatione pretii cum re juxta communem intelligentium, vel Magiſtratus æſtimationem. Licitum eſt vendere, & emere pretio taxato, & vulgari ſupremo, medio, & infimo; quia quodlibet juſtum eſt. Taxatum conſiſtit in indiviſibili, ita, ut illud excedere non liceat; vulgare vero augeri poteſt. 1. Ob lucrum ex alienatione rei certo, vel probabiliter ceſſans, aut damnum emergens, deductis deducendis, modo venditor rem non ultro offerat, & emptorem de pretio augendo moneat. 2. Ob labores, pericula, & impenſas ordinarias in rebus conquirendis, advehendis, ac conſervandis communiter occurrentes. 3. Ob ſpecialem, & rationabilem affectum erga rem in gratiam alterius venditam, modo non ex officio vendat, & emptorem etiam

moneat. 4. Ob copiam emptorum, vel pecuniæ, & ob penuriam mercium. 5. Ob modum vendendi minutatim, vel ex officio. 6. Ob periculum ſortis, & moleſtias in recuperanda ſorte, modo ſit verum, & non habeat pignus, nec excedat, & de hac ratione emptorem moneat, niſi ipſi ſatis nota ſit. 7. Ob gravamen venditioni annexum, ut eſt retrovenditio. Minuitur vero 1. ſi res parum ſit utilis emptori, eamque in gratiam venditoris emat. 2. Ob paucitatem emptorum. 3. Ob copiam mercium ſupervenientem. 4. Ob modum vendendi in magna quantitate ſimul, vel ſi ultro offerantur; quia juxta axioma *merces ultroneæ vileſcunt*, *pro tertia parte* ſecundum commuuem, *P. Gerv.* 5. Si vendantur actione publica, vel ſub haſta, modo abſit fraus, & dolus.

Hinc. 1. Graviter peccant, & tenentur ad reſtitutionem 1. vendentes notabiliter ſupra pretium taxatum, niſi taxa eſſet aperte injuſta; præſumptio autem eſt pro juſtitia: non vero peccant ementes infra pretium taxatum, modo non fiat infra infimum vulgare; quia præcipue, ne excedant vendentes, taxatum eſt. 2. Vendentes notabiliter ſupra ſupremum pretium vulgare ob utilitatem, vel neceſſitatem, aut affectum emptoris; quia non ſunt vendentis; vel ob affectum etiam proprium, ſi ex officio, ut mercatores, vendant; quia iſti tenentur eſſe indifferentes; vel ob extraordinarias impenſas, labores, damna, ob ignorantiam, vel infortunium; quia ementes ordinaria, non vero extraordinaria ſolvere tenentur; vel ob lucrum ceſſans, vel damnum emergens rerum ſponte, & ultro oblatarum; quia damnum ſponte initum ſibi compenſare non licet, niſi fiat in gratiam emptoris; vel ob ſolam dilatam ſolutionem; vel ementes infra infimum pretium ob ſolutionem anticipatam; quia ſpecies uſuræ eſt. 3. Dolo, fraude, vel mendacio alios inducentes ad emendum ſupremo, vel majori pretio, quam alias emiſſent, licet non excedat ſupremum; quia ipſis injuriam faciunt; vel vendentes quidem pretio infimo, ſed occulte tantum detrahentes, ut reducatur ad ſummum, quamvis illud non ſuperet: quia agunt contra conventionem; vel ſubornantes alios falſo ſuadentes, pretium brevi augendum, ut carius vendant; vel eſſe minuendum ob quantitatem mercium advenientium, ut minoris emant; vel vendentes pretio in loco, vel tempore venditionis quidem juſto, ſed ſcientes illud fo-

ſore ſupra ſupremum in loco, vel tempore traditionis; vel ſcienter ementes pretio tempore, & in loco traditionis infra infimum futuro; quia pretium loci, & temporis traditionis, & non emptionis ſervari debet, *S. Thom. q. 78. a. 2. ad. 7.*; niſi incertum eſſet, an res pluris, vel minoris in loco, vel tempore traditionis ſint valituræ; quia tunc ſors ementis, & vendentis eſt æqualis, *P. Thom. ex Charm.* 4. In venditione actione publica, ſeu ſub haſta dolo, fraude conſtituentes licitatores, ſimulantes ſe emptores, ut pretium augeant, vel emptores conſpirantes, ne certum pretium transgrediantur, ut vili acquirant; vel inſtituentes tales actiones tempore, quo paucos emptores adventuros credunt, ut iis adjudicentur, quibus favere volunt; excuſari tamen ſolent rogantes amicum ſine dolo, vel vi, ne plus offerat, ut ipſi juſto, & infimo pratio obtineant, *Nav. Tourn. & alii*; præcipue, ſi certa animoſitas augendi pretium adeſſet. 5. Vendentes ſtatuas ob antiquitatem, gemmas ob raritatem, canes, equos, ob affectum ſuum ſpecialem exceſſive, & irrationabiliter in quantum poſſunt; quia, quæ non habent pretium, debent æſtimari juxta judicium intelligentium, *Cajet. Tourn. & alii ibid.* Latitudo tamen pretii harum rerum major eſt, & ſi vendens, ac emens ſcientes, ſe ignorare pretium, de eo conveniant, valet, etiamſi eſſet læſio in dimidio, *Banneſ. & alii apud Tourn.*; quia uterque æqualiter ſe damno, aut lucro commiſit. 6. Famulus, aut proxeneta vendens rem domini ſupra, vel emens infra pretium aſſignatum, & exceſſum ſibi reſervans invito domino; vel ſartores retinentes exceſſum pretii datum ad emendum pannum, licet mercator ob amicitiam ipſorum viliori pretio vendiderit, nec illud pro compenſatione laboris retinere poſſunt; quia ad illum tenentur ex officio, & ob præferentiam præ aliis ſat compenſati cenſentur, *Pont.* 7. Emens minori pretio, quam valent, cenſus, chirographa, debita, relative ad alios quidem difficilia, puta; quia ſunt extra regnum, vel apud Principem, ſibi vero facilia; quia ibidem, vel in aula Principis habitat, viamque certam illa recuperandi habet, quia non ob alienum, ſed ob proprium periculum ſortis ſolum, & damnum emergens ea diminuere licet, *Pontas*; ſecus, ſi ob difficultatem, & moleſtias in eorum ſolutione mercibus vitiatis æquiparentur reſpectu omnium.

Hinc:

Hinc 2. Non vero peccant, nec tenentur ad reſtitutionem, 1. ementes pretio infimo, etiam ob anticipatam ſolutionem, v. g. novemdecim aureis, & vendentes ſummo, v. g. viginti uno aureo, etiamſi fiat ob dilatam ſolutionem; quia utrumque pretium juſtum eſt. 2. Nec aurifex emens calicem leviter defectuoſum, ſolvendo ſolum pretium argenti, non vero laboris, poſtea accommodatum vendens alteri pretio argenti, & laboris, modo labor non plus valeat materia, *Pont.* 3. Nec piſcator vendens capturam jactus retis in mare, venator venationem futuram, agricola lactantes agrorum ſpicas, licet piſcator, vel venator, nihil ceperint, modo abſit fraus, vel culpa, & agrorum ſpicæ emptoris ſpem fefellerint, & prædicti ſupra ſupremum pretium ſolvere debeant; quia ſpes lucri fuit utrinque æqualis. Si tamen nulli fructus naſcantur, emens ſegetes ex ſpeciali juris diſpoſitione non tenetur ad pretium, *Ferriere apud Tourn.* quia non ita frequenter, ut piſcatio, & venatio caſui exponuntur, & emptor hac ſolum lege contraxiſſe cenſetur, ſi fructus naſcantur, *L.* 1. *ff. de condit.* 4. Vendentes in gratiam emptoris eo pretio, quo probabiliter vendidiſſet eo tempore, quo rem ſuam vendere volebant, vel quo ipſimet poſtea emere debent, licet pretium ſit taxatum, *S. Thom. apud Tourn.*; modo emptor moneatur de ratione pretii aucti, & res non ſit ultronea, & deductis impenſis conſervationis, ac periculi. 5. Ementes, & vendentes pretio communi, & præſenti, licet ſciant intra paucos dies notabiliter ob quantitatem mercium minuendum, vel ob adventum exercitus augendum, vel res venditas ab hoſte eſſe deſtruendas, *S. Thom. q.* 77. *a.* 3. *ad* 4.; modo abſit fraus; quia pretium tempore venditionis, & traditionis, juſtum eſt; peccare tamen poſſunt contra charitatem, proximum in magnam conjicientes neceſſitatem. Non vero licet Senatori ſcienti legem monetæ diminuendæ, vel pretium frumenti, aliarumve rerum taxam minuendam, uti ea notitia, & propterea ante publicationem ſua debita ſolvere, frumentum vendere, promulgationem differre; amicis revelare, ſed teneretur ad reſtitutionem damni tertio ſecuti; quia tenetur ex officio ad ſecretum, & præcavere, ne unus civium præ alio gravetur; particularis vero poteſt ea notitia uti, modo abſit fraus; imo etiam Senator, ſi aliunde illam habeat, quam vi officii, *Corduba, Lug. Tourn.*; non tamen

licet

licet pecuniam mutuo accipere; quia ſcit, brevi valorem eſſe augendum; quia in hoc eſſet fraus, *Pont.* nec minuere menſuram, pondus, vel numerum, niſi emptor nollet pretium juſtum ſolvere, vel Reſpublica juſte taxare.

Quær. 29. *Quis vendere poſſit, & quænam vendere liceat?*

Reſp. prænot. Evictio eſt rei, quam quis emit, vel dono accepit, ab eodem abductio per ſententiam Judicis; locum habet non in ſola emptione, ſed in omni alio contractu oneroſo. Hoc notato.

Dico. Vendere poteſt, quilibet ad contrahendum habilis; nemo tamen cogi poteſt ad rei ſuæ venditionem, niſi tempore publicæ neceſſitatis, vel pro bono communi. Res omnes pretio æſtimabiles corporeæ, ſeu incorporeæ, ut actiones, jura, officia idoneis vendere licet, quorum venditor dominium, liberamque adminiſtrationem habet; niſi vendi prohibitæ ſint, vel in detrimentum corporale, vel ſpirituale proximi vergant, vel alteri jam venditæ, vel furto ablatæ ſint: quia in his datur evictio.

Hinc 1. Ad vendendum cogi poſſunt habentes frumenta ſuperflua tempore ſterilitatis, vel adveniente exercitu, vel fundum pro conſtructione civitatis, Eccleſiæ, fori, ſeu viæ publicæ. 2. Vendere non licet res ſpirituales, vel ſpiritualibus annexas, ut Beneficia, Jus patronatus &c. *vid. de Simon.*; nec hæreditatem, niſi poſt mortem teſtatoris, *L. ult. Cod. de pact.*; nec libros contra Religionem, bonos mores, famam proximi ſcriptos, tabellas obſcœnas, vinum eo ſeſe inebriantibus, vel aqua mixtum, niſi diminuto pretio, & ne ſe inebrient; nec alias res mixtas vilioribus, & ſi propterea fiant nocivæ, vel inutiles ad finem propoſitum, vel deteriores, non diminuto pretio, tenentur ad reſtitutionem; nec fucum mulieribus ad provocandum luxuriam, vel ad vanitatem uſuris, nec venenum, niſi ita mixtum, ut ſolum prodeſſe poſſit, & Medicis, & aliis ſimilibus, qui probi agnoſcuntur, *Edict. Reg.* 1682. 3. Nec vendere licet rem alienam, ſeu furtivam, & tenetur venditor de evictione, quoad pretium, & damna, ſi ſit malæ fidei, & ſaltem ad pretium, ſi ſit bonæ fidei, niſi venditor bonæ fidei de evictione in Contractu noluerit teneri, vel ab emptore non fuerit præmonitus de evictione impedienda, ſi forte potuerit impediri; vel eo abſente emptor non appellaverit, *Lugo*, *Tourn.* nec rem alteri jam venditam, & ſi pluribus vendita, nulli ſit tradi-

tradita, debetur priori, ſi ſit tradita, eſt poſſidentis; quia traditione dominium acquiritur, exceptis rebus Eccleſiis, vel piis locis, aut civitatibus venditis, vel priori emptori hypothecatis, quæ ſunt prioris ſine traditione, *Tourn. & P. Thom. ex Charm.* tradita re ſecundo emptori, prior poteſt exigere, ut reſciſſo ſecundo contractu, res ſibi tradatur, vel intereſſe compenſetur; non poteſt tamen rem evincere, niſi ſecundus emptor mala fide, & conſcius prioris emptionis emerit; nec tenetur poſterior emptor rem reſtituere priori ante Judicis ſententiam, niſi venditorem ad ſecundam venditionem induxerit, *Leſſ. & alii*; nec tenetur donatarius bona fide accepta reſtituere priori emptori, vel aliis creditoribus, niſi petantur, quorum actio ſolum per annum durat, *L. 1. ff. quæ in fraudem, &c.*

Quær. 30. *An vitium rei venditæ a venditore, vel pretioſitas ab emptore manifeſtari debeat?*

Dico. Vitium occultum reddens rem periculoſam, vel nocuam, aut emptori ad effectum intentum inutilem a venditore etiam non rogato ex juſtitia manifeſtari debet, *S. Thom.* vitium vero occultum rem non reddens periculoſam, vel noxiam, vel notabiliter minus utilem; vel manifeſtum, venditor aperire non tenetur, niſi interrogetur, debet tamen minuere pretium pro ratione vitii, *S. Thom. S. Antonin.*; & animadvertens emptorem ob ingenii hebetudinem, debilitatem viſus, &c. vitium apertum non percipere, ſicut de occulto eum monere debet; quia licet in ſe manifeſtum ſit, reſpectu illius occultum eſt. *Tourn.* vel ſi videat eum ex ſimplicitate rem ſibi inutilem eligere, ſaltem ex charitate eſt admonendus, *Leſſ. Sylv. & alii apud Tourn.* imo ex juſtitia quidam eum monendum putant, præſertim, ſi ſimul ipſi noxia ſit, *ibid.*; vendens bona fide rem vitioſam pro integra, tenetur reſcindere contractum, vel exceſſum pretii refundere, etiamſi venditor expreſſe de vitio occulto teneri noluerit, niſi propterea viliori pretio vendidiſſet, *ibid.*; ſimiliter emptor tenetur pretioſitatem rei emptæ venditori ignotam interroganti manifeſtare, ſi propterea communi æſtimatione pretium augeatur, ſecus eum deciperet; ſi vero non interroget, non tenetur eum monere, modo pretium ſolvat non infra infimum, *P. Thom. ex Charm.*

Hinc: graviter peccant, & tenentur ad reſtitutionem, 1. vendentes pannum nigrum aduſtum, pro durabili; domum

mum ruinoſam recenter dealbatam, pro firma; aromata evanida, pro recentibus; merces ex loco, in quo ſunt viliores, pro aliis ex loco, ubi ſunt pretioſiores, ut lanam Romanam, pro Neapolitana, vinum, Alſatiæ, pro vino Campaniæ, vinum album tinctum, pro rubro, præcipue pro ſanitate utentibus; vel ovem morbidam gregi morbum inferentem. 2. Merces, ut lanam, tabacum, corium &c. in locis humidioribus reponentes, vel aqua aſpergentes, ut pondus, vel menſura augeatur, in ſummitate ſacci triticum melius collocantes, ut reliquum deterius eodem pretio vendant, tenebras quærentes, vel efficientes, ut mercis vitium celent. 3. Vendentes vinum, frumentum &c. volentibus conſervare, quæ conſervari nequeunt; excuſantur tamen offerentes merces defectuoſas, quærentibus viliori pretio; vinum, quod conſervari nequit, cauponi ad ſtatim vendendum, frumentum piſtori brevi utenti, equum monoculum intelligenti, ſed non animadvertenti, &c. modo fiat juſto pretio; quia alias commercia ſubſiſtere non poſſent. 4. Emens agrum, in quo ſcit latere venam auri, gemmam a ruſtico oblatam pro vitro non monens, nec pretium augens, debet reſcindere emptionem, vel reducere ad juſtum pretium; pro theſauro vero in agro abſcondito nihil tenetur; quia nullius eſt ante inventionem; vena auri vero eſt pars agri: nec pro vena auri, ſi illam emendo agrum ignoraverit; quia tunc propria, & communi æſtimatione non pluris in ſe valet; nec aliquid ſolvi debet pro herba pretioſa in faſciculo herbarum pro pabulo animalium deſtinato latente; quia alias periiſſet, & ſub eo reſpectu non pluris communi hominum judicio æſtimatur, licet in ſe, & reſpectu emptoris valde utilis ſit.

Quær. 31. Quid ſit Retrovenditio, Contractus Mohatra, & Contractus gentilitius?

Reſp. Retrovenditio, eſt venditio rei cum pacto eam retrovendendi, vel redimendi; poteſt fieri in favorem venditoris, vel emptoris, vel utriuſque. *Mohatra* eſt Contractus, quo indigens pecunia emit credito a mercatore merces pretio ſupremo cum pacto Retrovenditionis numerata pecunia pretio infimo. *Retractus gentilitius* eſt jus conceſſum proximo venditoris conſanguineo intra certum tempus (annum nimirum, & diem) reſcindendi, & ad ſe revocandi venditionem rei immobilis, eodem oblato pretio,

tio, quo ab extraneo, vel remotiore conſanguineo fuit empta.

Quær. 32. *An Contractus Retrovenditionis ſit licitus?*

Dico. Venditionem cum pacto Retrovenditionis in favorem, vel ad placitum ſolius venditoris licitam eſſe, communiter aſſerunt Auctores, dummodo, 1. non fiat in fraudem uſurariam, & adſit ſincera emendi, ac vendendi intentio. 2. Ut rei dominium, licet ſit revocabile, pertineat ad emptorem, ipſique pereat. 3. Ut juſta ſervetur æqualitas, videlicet, ut res cum fructibus vendita, etiam cum fructibus retrovendatur, & ob onus Retrovenditionis pretium minuatur tertia, vel ut alii volunt, quarta parte, vel juxta prudens judicium. *Tourn.* 4. Ut fiat ſine pacto rem minori, vel eodem pretio revendendi, *Tourn.*; quia probabiliter pluris in ſe eſt valitura, cum retrovendatur ſine hoc onere Retrovenditionis: poteſt tamen fieri cum pacto, ut poſt certum tempus venditionem liceat diſſolvere, reſtituendo idem pretium, *Leſſ.*, *Bill.* quia, cum non fiat novus venditionis Contractus, non eſt neceſſe, ut venditor det quanti res in ſe valet, ſed quantum accepit; modo propter hoc onus minuatur pretium, & abſit fraus uſuraria. An autem etiam licita ſit in favorem ſolius emptoris, vel utriuſque, non conveniunt Auctores. Factam in favorem ſolius emptoris reprobat *P. Thomas ex Cham.*, *Tournely*, etiam factam in favorem utriuſque, licet in iſto minus agnoſcat periculum, & alii cenſum ex utraque parte redimibilem rejicientes; quia ajunt ſpeciem uſuræ continet, vel ei favet; nam res, v. g. ager non proprie venditur, ſed in pignus datur, pretium pro mutuo, & fructus pro lucro ex mutuo accipiuntur, donec redimatur. Licitam vero eſſe aſſerunt *P. Gervaſius*, *Leſſius*, *& Layman*, & alii cenſum ex utraque parte redimibilem admittentes, 1. quia in rigore eſt vera emptio, & emptor verum dominium acquirit, reique emptæ periculum ſubit, æque ac ſi eſſet in favorem venditoris, & perit emptori, ac proinde non ſolum in pignus datur. 2. Quia licita eſt venditio cum pacto Retrovenditionis in favorem venditoris, ut probant Adverſarii; ergo in favorem emptoris; quia non debet eſſe deterioris conditionis, & jura utriuſque ſunt paria, modo ob hoc onus augeat pretium ſicut venditor illud minuere debet, ſi fiat in ipſius favorem. 3. Quia multis in locis, præſertim in Germania cenſus ex utraque parte redimibilis uſu, & auctori-

ritate publica ſtabilitur, ergo & emptio ex utraque parte redimibilis. 4. Quia poteſt habere omnes conditiones juſtæ emptionis, ut fatentur ipſi Adverſarii, & ſpeculative poſſet eſſe ſine uſura; ergo & in praxi, quæ dependet a ſinceritate contrahentium, ſicut pactum Retrovenditionis in favorem venditoris, conveniunt tamen utriuſque ſententiæ Auctores in praxi ſimiles contractus eſſe diſſuadendos ob periculum abuſus, & quia ſæpe non omnes ſervantur conditiones.

Hinc 1. Licite, ac ſine uſura venditur domus mille aureis cum pacto illam retrovendendi poſt certum tempus, vel quando hæredes ad meliorem redierint ſtatum pretio, quo valet, ſecluſo onere Retrovenditionis. *Tourn. & communior*; vel cum pacto venditionis poſt certum tempus diſſolvendæ, ut ſine novo contractu redeat ad venditorem, vel illius hæredes idem reſundentes pretium; quia non fit nova venditio, ſed prioris duntaxat diſſolutio. Si vero novus fieret contractus, deberet retrovendi tanti, quanti tunc in ſe valet ſine onere; & eſſet uſurarius, ſi fieret in favorem emptoris viliori pretio emeutis, & carius eidem vendentis, niſi incertum eſſet, an pretium ſit augendum, vel minuendum tempore Retrovenditionis; quia cum ſors tunc utriusque ſit æqualis, ſecluſo onere Retrovenditionis, poteſt eodem pretio retrovendi, ſubtracto pretio oneris Retrovenditionis. 2. Licite, & ſine uſura venditur prædium centum aureis cum pacto legis commiſſoriæ, ut, ſi poſt annum non ſolvat, coutractus ſit ipſo facto irritus; *Cod. de Leg. commiſſ.*; & tunc fructus pertinent ad venditorem, deductis tamen impenſis; quia non impleta conditione, dominium rei, & fructuum eſt penes ipſum venditorem; vel cum pacto reſcindendi contractum, non ſoluto poſt certos annos pretio, *ibid.*; ſed in hoc caſu fructus ſunt emptoris; quia venditio fuit abſoluta; in foro tamen conſcientiæ attendendum eſt, ne fraus uſuraria lateat; vel cum pacto adjectionis in diem, ut, ſi alius intra certum tempus conditionem offerat meliorem, res ſit inepta, *L. 1. ff. in diem adject.* ſed debet aliquid de pretio minui; quia onus ſuperadditum eſt pretio æſtimabile. 3. Licite emere videtur Legatus domum pro tempore ſuæ legationis mille aureis a mercatore non indigente pecuniis, ſciente tamen interim illis notabiliter lucrari, cum pacto illud eodem pretio redimendi, finito legationis

tionis tempore, ſervata utrinque pretii, ac oneris aequalitate; quia eſt vera emptio, & neuter intentione lucri ex mutuo inductus eſt ad contrahendum, nullaque eſt uſuræ ſuſpicio, non ex parte mercatoris domum vendentis, cum Retrovenditio non fiat in ipſius favorem; non ex parte Legati, quia non lucrum, ſed domum aſſecuraturam quærit, quam alio modo habere non potuit. Econtra vero videtur uſuram committere ob periculum ſortis nolens mutuum dare indigenti, ſed potius volens illius vineam emere, donec idem pretium reſtituat, vel eandem vineam redimat; quia videtur lucrum ex mutuo quærere, ac illud dolo venditionis uſurariæ palliare. Unde videtur hæc controverſia ex intentione, ac ſinceritate contrahentium decidenda, & in ſimplicibus ſufficit voluntas contrahendi meliori modo, quo fieri poteſt.

Quær. 33. *An Contractus Mohatra, & Retractus gentilitius ſit licitus?*

Dico. Contractus Mohatra non eſt licitus, ut patet ex damnatione propoſitionis ab Innoc. VI. Retractus vero gentilitius, ſecluſa fraude, jure permiſſus eſt.

Hinc 1. Mercator dans indigenti pecuniis merces credito ſupremo pretio, & eas ab eodem emens infimo pecunia numerata, uſuram committit; quia indigens fit debitor majoris ſummæ, quam accepit, ſecluſo tamen pacto, poteſt eas ſicut alius emere; quia non eſt deterioris conditionis. 2. Simulans majori ſumma emiſſe agrum, ne a propinquiore conſanguineo venditoris retrahatur, vel illum retrahens in favorem amici, vel ut eum carius vendat alteri, graviter peccat, & tenetur ad reſtitutionem; quia lex tribuit proximiori conſanguineo jus retrahendi ſolum, ut ſibi retineat, *Thom. ex Charm.*

Quær. 34. *Quid ſit Negotiatio, & Monopolium?*

Reſp. Negotiatio eſt emptio rei cum intentione eam integram, & immutatam vendendi lucri gratia. Monopolium eſt conventio unius, vel plurium mercatorum ſimul conſpirantium, ut ipſi ſoli eo, quo volunt pretio, vendant.

Quær. 35. *An Negotiatio ſit licita?*

Dico. Negotiatio per ſe eſt licita; per accidens vero poteſt fieri illicita, 1. Ratione finis mortaliter, vel venialiter mali. 2. Ratione materiæ non vendibilis, vel vendi prohibitæ. 3. Ratione temporis, vel loci ſacri. 4. Ratione perſonæ, cui Negotiatio prohibita eſt.

Hinc.

Hinc: graviter peccant 1. ratione finis ponendo ſuum finem ultimum in negotiatione, quod fit, quando quis potius vellet Dei, ac Eccleſiæ mandata tranſgredi, quam negotiationis lucrum amittere. 2. Ratione materiæ, vendens res ſacras, ut indulgentias, vel res prohibitas, ut arma Turcis. 3. Ratione temporis, vel loci, ut vendens res non neceſſarias in diebus Dominicis ac Feſtivis, uti dictum eſt alibi; vel carnes in Eccleſia, aut cœmeterio ſine neceſſitate. 4. Ratione perſonæ, ut Clerici carnes vendentes, ſaltem ſi fiat cum temeritate, contumacia, contemptu, vel ſcandalo; non vero peccant 1. ſi aliter ſe ſuſtentare nequeant. 2. Si vendant res non negotiationis cauſa emptas. 3. Si fiat per alios nullo in ſe ſuſcepto labore, *Leſſ.*

Quær. 36. *An Monopolium ſit licitum?*

Dico. Monopolium, quo unus, vel pauci auctoritate publica ſoli certa merces vendunt, eſt licitum, exigente neceſſitate, & bono communi; ac ſervato juſto pretio; propria autem auctoritate Monopolium exercentes peccant contra juſtitiam, non ſolum ſupra ſupremum pretium vendendo, ſed etiam ex conſpiratione, vendendo ſolum ſupremo, & emendo infimo; quia ſic injuſte coguntur cives emere majori, & vendere minori pretio, quam alias emiſſent, vel vendidiſſent.

Hinc: graviter peccant, & tenentur ad reſtitutionem, 1. conſpirantes ſe nolle emere; niſi infimo, nec vendere, niſi ſupremo pretio. 2. Omnes unius generis merces coëmentes, ut carius, & quo volunt pretio vendant. 3 Fraude, metu impedientes, ne merces aliunde adveniant. 4. Mercatores ſuas merces ſupprimentes, ut alias rariores, & cariores vendant; eas tamen ſervare licet pro tempore, quo carius vendi ſolent, modo charitatem hac arte non inducant. 5. Falſum diſſeminantes rumorem, naves certis mercibus onuſtas eſſe ſubmerſas, vineas eſſe congelatas, monetam minuendam, vel licitatores adhibentes ſimulantes, ſe emere pretio ſupremo, ut pretium augeant. 6. Artifices inter ſe convenienres, ut opus ab uno inchoatum ab alio non perficiatur, vel non niſi certo pretio laborent, ſuos ſolum filios, vel nepotes ſuam artem doceant, *Tourn.*; ſaltem, ſi grave Reipublicæ damnum inde oriatur. 7. Vendentes pretio a Monopolis impoſito, licet Monopolii non eſſent participes; quia pretium eſt in-

injuſtum, niſi merces propter aliorum Monopolium factæ fuiſſent rariores.

Quær. 37. Quid ſit Mutuum, & Uſura?

Reſp. 1. Mutuum eſt contractus, quo res numero, pondere, vel menſura conſtans, uſque conſumptibilis phiſice, ut frumentum, vel moraliter, ut pecunia, gratis transfertur in alterius dominium, cum obligatione aliam ejuſdem ſpeciei, & bonitatis poſt lapſum temporis reſtituendi.

2. Uſura ſumpta pro lucro, eſt lucrum ex mutuo immediate proveniens; ſumpta vero pro contractu uſurario, eſt contractus mutui; quo lucrum ultra ſortem exigitur, vel intenditur tanquam debitum immediate vi mutui. Uſura alia eſt realis, quæ percipitur ex contractu explicito, vel implicito aliquid ſupra ſortem accipiendi, Alia mentalis, quæ intenditur a mutuante, ſed in pactum non deducitur. Alia formalis, ſeu aperta, quæ fit per pactum explicitum. Alia occulta, ſeu palliata, implicita, quæ ſub verbis, vel alio contractu latet palliata, ut ſocietatis, venditionis, &c. Alia eſt ſortis, quæ immediate provenit ex pecunia mutuo data. Alia uſuræ, quæ percipitur ex intereſſe non ſoluto, illud in novum capitale erigendo: hæc nullo titulo, nec lucri ceſſantis, vel damni emergentis licita eſt.

Quær. 38. An mutuum ſit licitum, & ad quid teneatur Mutuans, & Mutuatarius?

Dico. Mutuum non ſolum eſt licitum, ſed etiam opus charitatis a Deo præceptum; quia Chriſtus *Luc.* 6. ait: *mutuum date, nihil inde ſperantes*, quæ verba Urbanus III. de præcepto intelligit. Mutuator tenetur 1. Mutuatarium de vitio rei mutuo datæ monere, ſecus tenebitur de damno. 2. Non repetere mutuum ante tempus præfixum, & nullo præfixo, non niſi poſt aliquod tempus rationabiliter aſſignabile, ſpectatis natura rei, & fine mutui. 3. Acceptare mutuum ante tempus determinatum oblatum. 4. Nullum percipere lucrum, vel obſequium, aut aliud prætio æſtimabile vi mutui ex vera obligatione, etiam gratitudinis, ſeu benevolentiæ ſine juſto titulo, *Innoc. XI. in damnat. prop.* 42.; Mutuatarius vero tenetur 1. rei mutuo acceptæ ſubire periculum; quia illius fit dominus. 2. Rem tempore præfixo, vel nullo præfixo, quando res rationabiliter petitur, reſtituere ejusdem ſpeciei & bonitatis extrinſecæ, ſeu ſecundum valorem,

ſi ſit

ſi ſit pecunia; vel intrinſecæ, ſi ſint aliæ res frugibiles, vel earum pretium ſpectatum tempore reſtitutionis, niſi juſta de cauſa aliter fuerit conventum, vel juris privilegio ab obligatione mutui reſtituendi eximatur; ut minores, & eorum privilegio gaudentes, ſi illud inutiliter conſumpſerint, & non habeant bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, *ita in Jure ff. ad Senat. Mac. tit. 6.*

Hinc. Mutuator graviter peccat; & tenetur ad reſtitutionem, 1. ſi frumentum mutuo datum ob omiſſam vitii declarationem apud Mutuatarium poſt breve tempus fuerit corruptum. 2. Si Mutuatarius ob frumentum mutuum ante tempus præfixum, vel nullo præfixo irrationabiliter repetitum, vel ob non acceptatum, licet ante tempus præfixum fuerit oblatum, aliud carius emere, & cum damno notabili reſtituere debeat. 3. Dans mutuum cum obligatione, vel pacto, ut in mutuantis molendino molat, merces apud ipſum emat, beneficium filio conferat, vi pacti remutuet, injurie reparationem a Judice jam decretam remittat; non vero peccat mutuum dans, ut Mutuatarius amicitiam exhibeat, vindictam privatam non exerceat, ab iniqua exactione ceſſet, nocere deſinat, debitum ſolvat, pauperi graviter indigenti ſuccurrat, titulo amicitiæ, vel mutuæ charitatis ſine ſtricta obligatione remutet, ut Medicus non habenti alium pro ſtipendio opem ferat; ſecus, ſi alius haberi poſſet; quia hæc alio titulo ſunt debita. 4. Mutuans cum pacto, ut Mutuatarius reddat rem mutuo acceptam, quando pluris valet, v. g. frumentum in menſe Decembri acceptum in eadem menſura, vel illius pretium in menſe Majo, quo ſolet pluris valere; quia licet res aliæ, quam pecunia, debeant ordinarie reſtitui ſecundum corpus, id eſt ſecundum naturalem, & intrinſecam bonitatem; non tamen tali tempore vi pacti, quo pluris valent; niſi mutuans illud uſque ad illud tempus reſervaſſet, vel aliud frumentum ob mutuum carius emere debuiſſet; quia tunc excuſatur ob lucrum ceſſans, & damnum emergens. 5. Dans mutuo decem aureos cum pacto illos in ſpecie reddendi tempore, quo probabiliter prævidet, valorem illorum auctum iri; quia intenderet lucrum ex mutuo, & pecunia debet ordinarie reſtitui ſecundum valorem extrinſecum, niſi pecuniam uſque in illud tempus ſervare voluiſſet, 6. Dans centum aureos mutuo cum pacto, ut totam ſummam, vel

T 2 par-

partem à debitoribus cum magno labore, ac impenſis exigat; vel ut eandem ſummam in mercibus accipiat, vel hic acceptam Pariſiis ſolvat; vel in aliquo negotio pro ipſo fidejubeat; quia ſunt onera pretio æſtimabilia, & ex mutuo ſunt uſuraria. 7. Accepto pignore frugifero in aſſecurationem mutui fructus illius interim retinens; eos non computando in diminutionem ſortis, niſi eſſet res emphiteutica data domino feudi in pignus, *cap. conquæſt.*; interim tamen feudatarius debet eſſe liber ab obſequio, ſeu penſione ſolvenda; vel niſi eſſet pignus genero a ſocero datum pro exſpectatione dotis, *cap. ſalubr.*; quia fundus feudi a domino poſſeſſus ipſi ex diſpenſatione juris fructificat, & pignus genero non ſolum in aſſecurationem dotis, ſed etiam in ſublevamen onerum Matrimonii datur; nec peccat Mutuator ſaltem contra Juſtitiam, ex induſtria non repetens mutuum: v. g. frumentum, vel pecuniam, niſi quando frumentum pluris valet, & pecunia imminuta eſt, paratus tamen etiam antea recipere; nec Mutuatarius reddens frumentum, quando minus valet, & pecuniam, quando illius valor auctus eſt, *Sot. Nav. Tol. & alii*, quia uterque utitur jure ſuo. Poteſt tamen eſſe contra charitatem, ſi unus, aut alter grave damnum inde pateretur; nec peccat paciſcendo, ut decem aurei mutuo dati 240. libellas efficientes ſecundum hunc valorem, id eſt 240. libellæ reſtituantur, licet probabiliter ſciat, eorum valorem imminutum fore tempore redditionis; quia jus habet in hunc valorem & non lucrum, ſed damnum evitare ſtudet, *Pont. S. Thom.* Sic ſciens pretium frumenti probabilius in menſe Decembri imminutum iri, non peccat paciſcendo, ut frumentum in menſe Majo mutuo datum valens, v. g. 20. libellis, reſtituatur in menſe Decembri idem pretium, nempe 20. libellæ, vel quantitas frumenti 20. libellis valens: etiam probabilius; licet non intenderit frumentum uſque in illud tempus ſervare; *Pont. Cabaſſ.*; quia habet jus in hoc pretium, quo valebat tempore traditionis, & licet res aliæ a pecunia debeant reſtitui in eadem quantitate, intelligitur ſecluſo alio pacto juſto; nec peccat paciſcendo, ut pecunia, vel frumentum mutuatum reſtituatur ſecundum valorem tempore reſtitutionis, ſi neutri conſtet eſſe augendum, vel imminuendum; quia ſors utrinſque eſt æqualis. 8. Mutuatarius mutuum tempore convento, vel nullo conſtitu-

to,

to, rationabiliter petitum non reſtituens cum notabili mutuantis damno, vel omnino non reſtituens. Excipiuntur tamen ipſo jure ab obligatione reſtituendi mutuum Eccleſiæ, Xenodochia, piæ cauſæ, civitates, oppida, pupilli, minores, filiifamilias, etiam majorennes, modo ſub patria adhuc ſint poteſtate, *Authent. hoc Jus caſ. de ſacroſanct. Eccl. cauſ.* 10. *q.* 2. ſi eorum nomine mutuum acceptum a tutore, vel curatore, aut adminiſtratore non in eorum utilitatem fuerit converſum, vel ſi ipſimet ſine conſenſu tutoris, vel patris acceptum inutiliter ludendo, compotatione, &c. male conſumpſerint, nec ad illud ſolvendum tenentur eorum parentes, hæredes, fide juſſores, nec ipſimet, etiam in conſcientia mortuis parentibus, vel tutore, vel acquiſita emancipatione, & etiamſi hoc ſuo privilegio renunciaſſent, vel ſolvere juraſſent; quia hoc privilegium principaliter conceſſum eſt in favorem parentum; putat tamen *P. Gervaſius*, filium familias teneri vi juramenti, cujus tamen relaxationem poteſt a Superiore obtinere; etiam tenetur 1. ſi habeat bona caſtrenſia. 2. Si non pecuniam, ſed aliam rem mutuo acceperit, modo non ſit factum in fraudem, ut illam pro acquirenda pecunia vendat. 3. Si in uſus utiles, vel neceſſarios impenderit. 4. Si a pluribus publice paterfamilias creditus fuerit. 5. Si pecuniam in rem patris converterit. 6. Si ſciente patre creditum fuerit filio mutuo dando. 7. Si abſens ſtudiorum cauſa mutuum acceperit, *ita in Jure.*

Quær. 39. *Quot ſint Tituli aliquid ſupra ſortem accipiendi?*

Dico. Tituli veri communiter recepti aliquid ſupra ſortem ex mutuo accipiendi, ſunt quatuor: videlicet Primus eſt damnum emergens, & lucrum certo, vel ſaltem probabiliter ceſſans, dummodo 1. damnum vere emergat, & lucrum ceſſet ratione mutui. 2. Ut Mutuatarius de compenſatione damni, vel lucri ceſſantis moneatur, vel in pactum deducatur. 3. Ut auctuarium ſupra ſortem non excedat damnum ex mutuo emergens, vel lucrum ceſſans deductis impenſis, & periculis lucri comparandi, & pro ratione ſpei æſtimatum. 4. Ut compenſatio lucri, vel damni non ſtatim ex pecuniis mutuatis detrahatur. 5. Ut ex charitate, & non lucri cauſa mutuum detur, nec aliquid exigatur ſupra ſortem, ſi Mutuatarius omne damnum, & lucrum ceſſans in re ob mutuum eventurum

ſolvere promittat. 2dus eſt pœna conventionalis Mutuatario impoſita, ſi tempore præfixo non reddat ſortem, modo 1. pœna non apponatur in fraudem uſurariam, ſed ſolum, ut ſolutionem ſortis urgeat. 2. Ut mora ſit culpabilis, & notabilis. 3. Ut pœna ſit proportionata. 3tius eſt donatio gratuita; modo 1. non oriatur ex obligatione etiam gratitudinis, vel benevolentiæ, vel ex coactione, aut metu, ne mutuum repetatur. 2. Ut mutuans eam intendere, ſigno non indicaverit. 3. Ut Mutuatarius mutuum non inopiæ cauſa petierit, vel illam ante ſolutionem ſortis offerens, prolongationem termini intendere, indicaverit. 4. Ut liberalitas donationis non ſit dubia. 4tus eſt periculum ſortis extraordinarium, & mutuo extrinſecum, proveniens ex prava diſpoſitione Mutuatarii litigioſi, prodigi, commercium periculoſum per mare, per hoſtium caſtra, vel vias latronibus obſitas habentis; hic titulus ſpeculative, non vero practice admittitur: quia raro in praxi omnes conditiones requiſitæ ſervantur, quales ſunt, 1. ut abſit intentio lucrandi ex mutuo. 2. Ut periculum ſit verum, non fictum. 3. Ut Mutuator non cogat Mutuatarium, ut ipſum fidejuſſorem recipiat. 4. Ut Mutuatarius fidejuſſorem, vel pignus non dederit, vel obtulerit. 5. Ut Mutuator periculum rei mutuatæ in ſe ſuſcipiat, ita, ut ipſi pereat ſine obligatione Mutuatarii ſimilem refundendi, *Thom. ex Charm.* ſi ſine ipſius culpa pereat. 6. Ut Mutuator pro periculo non plus exigat, quam ipſe alteri pro eo daret.

Hinc: Mutuator graviter peccat peccato uſuræ, & tenetur ad reſtitutionem, 1. exigens aliquid notabile, & ultra ſortem ex pecunia mutuata otioſa, quæ nec ad negotiationem, vel aliud lucrum, nec ad ſuſtentationem familiæ, filiorum dotes, caſuum fortuitorum medelam, &c. ſit determinata, vel ſi aliam adhuc habeat otioſam. 2. Exigens aliquid ob lucrum ceſſans injuſtum, vel ex commercio plane dubie futurum, vel exigens integrum lucrum, quod habet in ſpe; quia minus eſt in ſpe, quam illud, quod percipit in re, & quia accipit certum pro incerto; vel nullo ſuppoſito pacto, vel admonitione de compenſatione lucri, vel damni; vel a totali ſumma partem ſtatim pro damno, vel lucro ceſſante retinens; in alio genere tamen poteſt aliquid ſtatim recipere, v. g. frumentum, &c. quia tunc Mutuatarius totam ſummam

acci-

accipit, *Var. Roi apud Tourn.* poteſt etiam illud retineri, quod pro damno, aut lucro probabili fuit acceptum, licet in re nullum ſit ſecutum. 3. Exigens pœnam conventionalem ob tempus nimis breve ſtipulatum, vel tempore, quo Mutuatarium ſolvendo imparem fore, prævidet, vel ob moram inculpabilem a facto ſine culpa impotente, vel ob moram non notabilem; notabilis autem mora communiter non eſt unius diei, vel hebdomadæ, niſi propter illam damnum mutuanti emergat, vel lucum ceſſet; vel exigens pœnam totam ſoluta parte pretii tempore præfixo, aut medietatem ſortis, vel pignoris amiſſionem; quia ſunt pœnæ exorbitantes. 4. Accipiens donum ex mutuo intentum, licet ex liberalitate fuiſſet datum; quia eſt in mala fide; vel datum pro termini prolongatione, vel alio titulo uſurario, quamvis pro dono ex liberalitate fuiſſet acceptum; quia donatio in re eſt nulla. 5. Retinens pro periculo ſortis, vel alio titulo injuſto fructus pignoris, qui debent reſtitui, vel in ſortem computari, niſi feudum in pignus debiti domino directo detur, & interim feudatarius a ſervitio domino alias præſtando pro feudo liber ſit, *cap. 1. de feud. Pont.*; vel niſi fundus loco dotis detur, *cap. 16. de Uſur.*; modo gener, & non ſocer onera Matrimonii ſuſtineat; ſecus tenebitur fructus in ſortem dotis computare, *Tourn.*

Quær. 40. *Quot ſint tituli illegitimi aliquid ex mutuo acipiendi?*

Dico. Tituli illegitimi aliquid præciſe ex mutuo accipiendi, ac uſurarii ſunt, 1. aliquid accipere ſupra ſortem ob uſum rei mutuatæ; quia res fit per mutuum Mutuatarii, ac proinde pro uſu illius nihil debet. 2. Ob carentiam pecuniæ, vel obligationem non repetendi mutuum ante certum tempus, *Alexand. VII.* 3. Ob permutationem pecuniæ præſentis pro abſente, *Innoc. XI.* 4. Ob laborem in numeranda pecunia; quia eſt omni mutuo intrinſecus. 5. Ob commoditatem, & utilitatem ex mutuo; quia ſunt Mutuatarii, & non Mutuatoris. 6. Ob fidejuſſionem, quam præſtat mutuans; quia propterea non ſubit aliud periculum, quam mutuo intrinſecum. 7. Ob legem, vel conſuetudinem aliquid ultra ſortem præciſe ex mutuo accipiendi, vel obligantem tutorem pupillorum lucrum procurandi; quia legi naturali, & divinæ nulla alia derogat. 8. Ob periculum ſortis ordinarium, ſeu commu-

ne proveniens ex caſu fortuito, vel Mutuatarii inopia, aut dato pignore, vel fidejuſſione; quia in re nullum, vel omni mutuo commune eſt.

Quær. 41. *Quomodo Uſura ſit prohibita, & an liceat ab Uſurario mutuum petere?*

Dico Uſura eſt intrinſece mala, & ab omni jure prohibita; nec licet ab Uſurario mutuum ſub Uſuris petere, vel accipere, niſi, 1. fiat gravi urgente neceſſitate propria, vel aliena. 2. Ab Uſuras exercente, & ad illas parato, *S. Thom.*; quia non malum, ſed ſuam neceſſitatem ſublevare intendit. Non vero licet, etiam in extrema neceſſitate alium ad uſuras non paratum inducere ad mutuo dandum ſub Uſuris; quia eſt intrinſece malum, & tenetur Uſurarius, etiam mentalis, ejuſque hæredes ad reſtitutionem lucri ultra ſortem accepti; quia titulo injuſto eſt acquiſitum, & mentalis etiam opere exercetur cum pacto implicito.

Hinc: 1. Solventi Uſuras reſtitui debent, 1. ex contractu Uſurario, etiam bona fide facto, acquiſita; quæ ſunt ex contractu invalido. 2. Tutor bona per Uſuram pro pupillo acquiſita, & ea, quæ juſto titulo debuiſſet procurare pro pupillo, reſarcire tenetur. 3. Omnes rei Uſurariæ fructus, etiam eos, quos Mutuatarius non ex ſua re percepiſſet; quia res fructificat domino ſuo; decreſcit autem, & petit Uſurario; quia eſt malæ fidei poſſeſſor, & in mora culpabili. 4. Reſtituere tenentur cooperatores ad Uſuram, conſulentes, dantes pecunias pro Uſuris exercendis, Judices compellentes ad Uſuras ſolvendas, vel reſtitutionem impedientes, aut ſine gravi Reipublicæ neceſſitate eas tolerantes; Notarii inſtrumenta uſuraria perficientes, Miniſtri Uſurarum principales, ut factores, correſpondentes, proxenetæ, id eſt quærentes pecuniis indigentes, & ad Uſurarios ducentes, & quidem omnes in ſolidum; non vero tenentur in ſolidum Uſurariorum hæredes; ſed quilibet pro ſua parte, niſi totum hæreditate acquiſitum eſſet Uſurarium; tunc habet recurſum ad alios pro rata.

Hinc 2. Non tenetur ad reſtitutionem, 1. dans mutuo ſex ſaccos frumenti in menſe Martio alicui ad ſeminandum cum obligatione novem reſtituendi in menſe Octobri non pluris valituros, quam ſex, etiamſi illos in menſe Martio non vendere intenderit, dummodo pretium tan-

tandem minuendum probabiliter crediderit, *Pont. Cabaſſ.* quia habet jus ad valorem, quem habet tempore traditionis, & non lucrum ex mutuo intendere cenſetur. 2. Nec dans centum aureos negotianti ad Indos, vel per caſtra hoſtium, & accipiens auctuarium periculo proportionatum ad reſtitutionem obligandus, modo ipſe periculum illorum ſubeat, & ab hoſtibus ablati, ipſi pereant. 3. Nec montes pietatis ſunt illiciti, qui ſunt cumulus pecuniæ, alteriuſve rei mutuabilis, ut farinæ, frumenti &c. quo indigentium neceſſitati, accepto pignore, ſubvenitur; quia id, quod ultra ſortem accipitur, pro Miniſtrorum ſuſtentatione, & aliis impenſis retinetur. 4. Nec ad reſtitutionem obligandus tutor, vel curator emens pro pupillo, vel alius pro ſe cenſum ex utraque parte redimibilem, pro pretio in Regno taxato, quod de facto in Gallia eſt quatuor pro centum juxta Edictum Regium anni 1766. quia venditio cum pacto retrovenditionis in favorem utriuſque, emptoris, & venditoris eſt licita, ut ſupra dictum eſt, & id quod accipitur, non provenit ex mutuo, ſed ex jure, quod emitur, videlicet percipiendi partem fructuum ex induſtria perſonæ, vel officio, vel bonis ipſius, vel ex omnibus ſimul, quod ultimum ſecurius eſt, ut deficientibus fructibus ex uno titulo, poſſint percipi ex alio; modo reliquæ conditiones cenſus ſerventur, de quibus infra; nec peccant plebei, ac ſimplices, licet de hac emptione, vel venditione explicite non cogitent; quia cenſentur velle contrahere eo modo, quo licite fieri poteſt.

Quær. 42. *Quænam ſint Uſurariorum pœnæ?*

Dico. Uſurarii publici, 1. in utroque foro ſunt infames, ac proinde irregulares, inhabiles ad Officia, & Beneficia. 2. Privantur Communione Altaris, & juridice condemnati ſepultura Eccleſiaſtica. 3. Eorum oblationes non poſſunt recipi, nec poſſunt abſolvi, niſi publica appareat pœnitentia, & reſtitutionem fecerint, vel cautionem illius idoneam dederint, vel ſi non poſſint, ſaltem juraverint, ſe non poſſe, ſeque omni ope facturos, ut fiat. Occulti tamen non recidivi poſſunt abſolvi, ſi emendationem promittant, & vere pœniteant, *P. Gerv.* 4. Eorum teſtamenta ſunt irrita, niſi ante mortem ſatisfecerint, vel cautionem dederint. 5. Clerici admoniti, & non deſiſtentes ſuſpenſione ab Officio, & Beneficio, & laici excommunicatione puniendi ſunt, *ita in Jure*.

Quær.

Quær. 43. *Quid, & quotuplex ſit Cambium?*

Reſp. Cambium eſt permutatio pecuniæ pro pecunia cum lucro Cambſoris; eſt duplex, ſiccum, ſeu fictum, quo fingitur permutatio pecuniæ præſentis cum diſtante cum tamen fiat cum futura in eodem loco; & reale, ſeu verum, quo pecunia præſens cum præſente, ſed alterius ſpeciei, vel cum diſtante permutatur; hoc dicitur manuale, vel minutum, quando permutatur pecunia præſens de manu ad manum pro alia diverſæ ſpeciei, ut aurea pro argentea, minor pro majore, Hiſpanica pro Gallica; & locale, quando permutatur pecunia præſens pro diſtante per literas Cambii in alio loco, v. g. Pariſiis ſolvenda. Addunt aliqui temporale, ſeu Lugdunenſe, quod eſt permutatio pecuniæ præſentis pro futura, & poſt certum tempus reddenda; in re eſt mutuum, & lucrum eſt uſura.

Quær. 44. *An Cambium ſit licitum?*

Dico. Cambium reale tam manuale, quam locale ex officio ſecundum leges, & conſuetudinem locorum; ac peritorum æſtimationem moderatum licitum eſt; quia juſtis fit titulis, videlicet officii, laboris, impenſarum, lucri ceſſantis, damni emergentis, & purioris materiæ; non vero ſiccum, vel temporale; quia nullo juſto, ac vero nititur titulo, & a S. Pio V. eſt reprobatum.

Hinc: graviter peccat peccato uſuræ dans Argentinæ centum aureos petenti mutuos, & ab eo accipiens literas Cambii ficti, quaſi Pariſiis eſſent ſolvendi, cum tamen in eodem loco Argentinenſi poſt certum tempus cum lucro ſint reſtituendi. 2. Dans centum taleros alicui, ut reddat totidem per literas Cambii poſt tres menſes cum auctuario. 3. Non ſoluto auctuario, illud in capitale erigens per novas literas Cambii cum novo auctuario; quia eſt lucrum ex mutuo palliato, & inſuper uſura uſuræ in omni caſu, & jure prohibita.

Quær. 45. *Quid, & quotuplex ſit Cenſus?*

Reſp. 1. Cenſus poteſt ſumi pro penſione, vel pro jure percipiendi penſionem, vel prout eſt contractus, quo emitur jus percipiendi penſionem annuam ex re, vel perſona frugifera, & eſt duplex, reſervativus, quo quis alteri transfert plenum ſuæ rei dominium, retento ſibi jure, penſionem aliquam ex ea percipiendi; & conſignativus, quo quis ſuper bonis, vel perſona ſua vendit, vel conſignat alteri penſionem annuam, vel in fructibus, & dicitur

tur Cenſus fructuarius; vel in pecunia, & dicitur cenſus pecuniarius; qui vendit, vel debet penſionem, vocatur cenſuariſta, Cenſuarius vel venditor; & ille, qui emit, vel cui debetur, cenſualiſta, creditor, vel emptor.

2. Cenſus conſignativus ulterius dividitur, 1. in realem qui fundatur ſuper re aliqua fructifera, ex qua penſio ſolvi debet, qua pereunte etiam cenſus perit, & qua ſubſiſtente cenſus ſubſiſtit, ad quemcunque tranſierit. 2. In perſonalem, qui fundatur in perſona, ſe, ſuoſque hæredes obligante ad penſionem ex ſuis operibus, labore, induſtria, vel officio. 3. Et in mixtum, qui fundatur ſuper re, & perſona ſimul, ita ut pereunte re, perſona obligata maneat. 4. Dividitur in temporalem, qui exſpirat certo tempore, v. g. viginti annorum, vel incerto, v. gr. ad vitam hominis, & hic vocatur vitalitius. 5. In perpetuum, qui per ſe ſemper durat; eſt tamen redimibilis; vel ad nutum cenſuarii, vel cenſualiſtæ, vel utriuſque refuſione ſummæ capitalis; vel eſt irredimibilis, qui extingui nequit.

Quær. 46. *An Cenſus ſit licitus?*

Dico: Cenſus tam reſervativus, quam conſignativus realis ubique eſt licitus, & perſonalis, ubi Bulla 8. Pii V. non eſt recepta, 1. quia Cenſus tam realis, quam perſonalis eſt venditio, & emptio rei licite vendibilis, & emptibilis; videlicet juris ad fructus rei, vel induſtriales perſonæ, quæ æque, ac res, poteſt eſſe fructifera ſuo labore, arte, officio, induſtria, &c. 2. Quia uſus fere unanimis Monaſteriorum, Eccleſiarum, etiam Romæ, & totius Galliæ, Germaniæ, & fere omnium nationum, quæ prædictam Bullam non receperunt, prædictos Cenſus approbat, ſive ſint perpetui, vel redimibiles ad nutum venditoris, vel ad tempus indeterminatum, v. g. ad vitam; quia ſors utriuſque eſt æqualis, *P. Thom. ex Charm. & alii*; an autem etiam licitus ſit cenſus realis, & perſonalis determinatus ad certum tempus, v.g. viginti annos, vel redimibilis ad nutum emptoris, dependet a quæſtione, an licita ſit emptio rei cum pacto eam redimendi ad nutum emptoris, quam Galli communiter uſurariam, vel ſaltem ob uſuræ periculum in praxi illicitam; alii vero, quamvis eam licitam, in praxi tamen diſſuadendam, aſſerunt, ac proinde etiam Cenſus ad certum tempus determinatum, vel ad nutum emptoris redimibilis, licet in

re

re ſit licitus, ſervatis certis conditionibus, eſt diſſuadendus. Vid. ſupra dicta de retrovenditione, & uſura.

Quær. 47. *Quanam requirantur conditiones, ut Cenſus ſit licitus?*

Dico. Quinque communiter requiruntur conditiones ad Iuſtitiam Cenſus, videlicet 1. ut juſtum ſervetur pretium juxta taxam Principis, vel prudentum æſtimationem, prout ordinarie ſunt quinque pro centum; nunc in Gallia a Rege tantum quatuor permittuntur 2. Ut res Cenſui ſubjecta in libera ſit vendentis diſpoſitione. 3. Ut res ſit frugifera, ſive perſona, in qua Cenſus fundatur. 4. Ut ceſſet cenſus ex parte, vel in toto, ſi res Cenſui ſubjecta ex parte, vel in toto pereat; vel fiat ſterilis bello &c. vel perſona, ejuſque hæredes nullos reditus labore, arte, officio, negotiatione &c. percipere valeant; per hujus conditionis obſervationem Cenſus eſſentialiter differt ab uſura, qua eſſentialiter ex re non frugifera aliquid ultra ſortem accipitur. 5. Ut non apponatur pœna commiſſi, ſaltem in Cenſu conſignativo, ita ut res Cenſui ſubjecta fiat Cenſoris, ſi Cenſurarius negligat ſolvere Cenſum; quia eſt pœna exorbitans: non vero in Cenſu reſervativo, in quo non ſoluto per triennium Cenſu, res domino reſtituatur, ait Gloſſa *in cap. quar. de Jurejur.* His additur in Gallia, ut emptor ſortem in perpetuum alienet, & venditor omni tempore Cenſum redimere poſſit, facta ante bimeſtre emptori de refundenda ei pecunia denunciatione, *Tourn.* & Cenſus ex aliqua ſumma debitus non poteſt exigi, niſi a quinque annis, niſi antea in Judicio fuerit petitus, *Ludov. XII.* 1512. & Cenſus prædialis a 29. annis, & ſi debitor eſt in mala fide, a pluribus annis repeti poteſt, *Pont. V. Præſcriptio caſ.* 14. *vide ſupra dicta de præſcriptione.*

Hinc: graviter peccat, & tenetur ad reſtitutionem damni, 1. cenſualiſta obligans Cenſuarium, ut Cenſum, v. g. vini, vel frumenti &c. contra conſuetudinem propriis ſumptibus in domicilium domini conferat, vel aliud onus ultra Cenſum indebitum imponens, obligando ad caſus fortuitos, vel non alienandam rem Cenſui ſubjectam, ad ſolvendum intereſſe ob lucrum ceſſans ultra Cenſum, vel ad augendam penſionem ob canones non ſolutos, vel ad reſtituendum capitale, niſi ſit Cenſus ad nutum redimibilis ex parte venditoris in locis, ubi eſt licitus, ut in

Ger-

Germania, & in his partibus; vel ad ſolvendam penſionem anticipate &c. vel neglecta collectione Cenſus in annis fertilibus, eum colligens in anno ſterili, & exigens, ut ſolvatur pretio illius anni Cenſus annorum præteritorum, cum deberet ſolvi pretio cujuslibet anni. 2. Accipiens decem pro centum, etiam cum renunciatione capitalis ad certos, v. g. viginti annos; eſt tamen licitus, ſi ſit vitalitius; quia ſors utriuſque eſt æqualis. 3. Exigens Cenſum re facta ſterili, v. g. tempore belli, perſona ad lucrandum facta inepta, niſi Cenſus ſuper perſona, & omnibus ejus bonis præſentibus, & futuris eſſet conſtitutus, prout ſolet fieri in Gallia, tunc deficiente uno, debet ſolvi ex alio, *Pont. V. cenſus caſ.* 6.

Quær. 48. *Quid ſit Emphiteuſis, & Feudum?*

Reſp. 1. Emphiteuſis eſt contractus, quo ſub onere penſionis transfertur rei immobilis dominium utile in perpetuum, vel ad tempus non minus decennio, retento dominio directo. Unde qui rem dat, eſt, & manet dominus directus, & qui eam accipit, vocatur emphiteuta, & qui eam accipit, vocatur emphiteuta, & penſio dicitur Canon.

2. Feudum eſt contractus, quo ſub onere fidelitatis, & obſequii perſonalis transfertur rei immobilis dominium utile, retento directo. Qui rem tradit, dicitur Infeudator, qui eam accipit, Vaſallus, ſeu Feudatarius; & res data, Feudum: differt ab Emphiteuſi 1. quia in Feudo imponitur onus perſonale, in Emphiteuſi penſio realis. 2. Feudum datur per inveſtituram, vel realem immittendo Feudatarium in poſſeſſionem Feudi; vel abuſivam traditione enſis, annuli &c.

Quær. 49. *Ad quid teneatur Emphiteuta?*

Dico. Emphiteuta tenetur 1. rem emphiteuticam reddere meliorem, vel ſaltem non deteriorem. 2. Solvere penſionem in pecunia, vel in frugibus ſtatuto tempore, etiam anno ſterili, vel parte rei flumine abrepta, vel fulmine conſumpta; poteſt tamen hoc in caſu rem relinquere, *Tourn.* 3. Non ſolvens penſionem per biennium pro Emphiteuſi Eccleſiaſtica, & per triennium pro ſæculari; accedente ſententia Judicis, rem emphiteuticam amittit cum impenſis pro ejus melioratione factis; debet tamen Judex; habita meliorationum ratione, congruam emphiteutæ dilationem concedere, ut vel ſolvere, vel Emphiteu-

teuſim alii vendere poſſit, *L.* 3. *Cod. de Jur. emphit. Tourn.*

Quær. 50. *Ad quid teneatur Vaſallus?*

Dico. Vaſallus, ſeu Feudatarius tenetur 1. præſtare juramentum fidelitatis. 2. Requiſitus præſtare obſequia promiſſa. 3. Ob neglecta ſervitia, vel crimen feloniæ, id eſt ob bellum contra dominum directum feudum amittit. 4. Tenetur non diſponere de feudo ſine conſenſu feudatoris. 5. Solvere in certis locis relevium, quod eſt quinta pars pretii, quo feudum venditur.

Quær. 51. *Quid ſit Societas, & Contractus triplex?*

Reſp. 1. Societas eſt duorum, vel plurium conventio contribuendi aliquid (ut pecuniam, operam, induſtriam, inſtrumenta, navem, equos &c.) ad commune lucrum, & damnum ſecundum proportionem rerum contributarum, quæ prius æſtimari debent; & fit tripliciter 1. contribuendo omnes æqualiter pecuniam, & induſtriam. 2. Inæqualiter, unus pecuniam, alter induſtriam, & laborem.

2. Societas animalium eſt conventio duorum, vel plurium, quorum alii certum quemdam animalium numerum in Societatem conferunt, alii vero animalia ſervant, & paſcunt, ut ex fructibus lucrum percipiant.

3. Contractus triplex eſt conventio, qua pecuniam in Societatem conferens paciſcitur cum altero ſocio, ut, quidquid contigerit, ſibi ſua ſors integra reddatur cum certo lucro; ſed minore eo, quod probabiliter ſperare potuiſſet; hic tres Contractus continet, 1. Societatis. 2. Aſſecurationis ſortis. 3. Venditionis lucri majoris incerti pro lucro minore certo.

Quær. 52. *An Contractus Societatis ſit licitus?*

Dico. Contractus Societatis in ſe præciſe, & ſolitarie ſumptus eſt licitus, quia quilibet ſociorum accipit, quod ſuum eſt; modo ſerventur ſequentes conditiones, 1. ut negotiatio fiat de re licita. 2. Ut ſit vera negotiatio. 3. Ut lucrum, damnum, ac impenſæ proxime pro bono Societatis factæ ſociis ſint communia, & pro rata æqualia, niſi conſuetudine, vel conventione aliter ſit ſtatutum. 4. Ut unuſquiſque ſubeat periculum rei ſuæ in Societatem induſtriæ, & operæ aliorum data poſt Societatem ſuperſtes, eidem reddatur, & reſtituatur, *S. Thom. S. Pius V. & alii*; niſi fuerit communicata in eandem maſſam cum aliorum pecunia, vel de illius diviſione cum collocanti-

bus

bus laborem, & induſtriam fuerit conventum; tunc enim inter eos dividenda eſt cum lucro, vel damno pro rata, *Tourn.*; dummodo juſta ſervetur æqualitas.

Hinc 1. Impenſæ a Societatis negotia curante factæ, ut itineris, tranſvectionis, ſolutionis vectigalium, conſervationis mercium, captivitatis, morbi, exſpoliationis a furibus in itinere Societatis cauſa facto, & alia damna proxime ob daram rebus Societatis operam paſſa ab aliis pro rata ſolvi debent, niſi ex ipſius culpa lata, vel levi eſſent ſecuta, quæ ipſe ſolus portare debet, ſicut & ea, quorum Societas eſt ſolum cauſa remota, ut ſi ob abſentiam non fuerit hæres, vel legatarius inſtitutus, patrimonium ſuum negligentius adminiſtraverit, &c. *L. 60. ff. pro ſocio*. 2. Si de portione lucri inter ſocios non ſit ſpecialiter conventum, debet eſſe æqualis omnium, *L. ſi non fuerint, 29. ff. pro ſoc.*

Quær. 53. An Contractus Societatis animalium ſit licitus?

Dico. Contractus Societatis animalium etiam eſt licitus ſervatis certis conditionibus, videlicet 1. ut animalia, quæ ſine dolo, vel culpa levi villici pereunt, non ipſi, ſed conferenti pereant, *S. Thom. S. Pius V.* 2. Ut villicus animalia curet, paſcat, conſervet, & accuratam reddat lucri rationem. 3. Ut in lucri diviſione ſervetur æqualitas commenſurata capitali conferentis, & labori, ac induſtriæ accipientis juxta peritorum æſtimationem.

Hinc: graviter peccat, & tenetur ad reſtitutionem, 1. conferens ſua animalia in ſocietatem cum pacto ea reſtituendi in eodem numero, bonitate, vel pretio in omni eventu, etiam fortuito cum certo lucro ſingulis annis, vel finita ſocietate, ſolvendo, vel incerto inter ſe dividendo, *S. Antoninus*; quia conferens, cum nullum habeat periculum, nullum poteſt percipere lucrum; non tamen videtur illicitum, addere pactum; ut in locum inutilium alia capita ex grege educantur, & ſubrogentur; quia cedit in utilitatem utriuſque; nec injuſtus eſt Contractus, quo villicus ſolvens pro quolibet animali ſingulis annis certum lucrum, acquirit ſingulis annis proprietatem duodecimæ partis capitalis, & poſt ſex annos fructus, & capitale dividitur, dummodo villico pereat ſolum pars, cujus proprietatem acquiſivit, & lucrum induſtriæ, & labori ipſius ſit commenſuratum, *Tourn.* 2. Graviter peccat

cum

cum onere reſtitutionis, animalia in ſocietatem accepta, non ut ſua curans; pinguiora ſubtrahens, & macilentiora, viliorisque pretii ſubſtituens, vel alio injuſto modo illa, vel lucrum alienans; nec conferens villico dicenti, lupi faucibus, vel caſu fortuito ſine ſua culpa periiſſe, fidem adhibere tenetur, ſed ea ſolvere tenetur, niſi probet allegata, *Pont. Tourn. & alii, ibid.*

Quær. 54. *An Contractus triplex ſit licitus?*

Dico. Contractus triplex, nempe ſocietatis, aſſecurationis ſortis, & venditionis lucri majoris incerti pro minori certo conjunctim inter ſocios eodem, vel diverſo tempore initus plane eſt illicitus. Patet *ex Bulla Sixti V.* & ex damnatione Facultatis Pariſienſis, ac ratione; quia per aſſecurationem ſortis ſocietas degenerat in mutuum, & ceſſat titulus lucrandi, qui eſt periculum ſortis. poſſunt tamen hi tres Contractus iniri cum perſonis diverſis extra ſocietatem; quia ſeorſim ſumpti nullam continent injuſtitiam, ut communiter docent Theologi, *Tourn.* quia poteſt emi a ſociis lucrum majus incertum pro minori certo omiſſo Contractu aſſecurationis, vel aſſecurari capitale, etiam per pignus, ſaltem ſi ſociorum culpa pereat, *Tourn.* non vero pro omni eventu, etiam omiſſo Contractu venditionis lucri; quia ceſſaret omne periculum, quod eſſentialis eſt titulus lucrandi, ut patet ex *S. Thoma, & S. Antonino. Pont.*

Hinc. licite dantur vaccæ villico cum obligatione ſolvendi ſingulis anni, quamdiu vivent, certum lucrum ſine aſſecuratione ſortis, retenta a villico majore lucri incerti parte. Non vero ſimul cum obligatione inſuper reſtituendi vaccas in omni eventu, etiam fortuito; quia tunc concurrerent tres Contractus mox rejecti.

Quær. 55. *Quid ſit Fidejuſſio, & Aſſecuratio?*

Reſp. Fidejuſſio eſt contractus, quo quis ſuſcipit obligationem ſolvendi debitum alterius, ſi debitor principalis non ſolverit. Aſſecuratio vero eſt contractus, quo quis alienæ rei periculum in ſe ſuſcipit, obligando ſe, vel gratis, vel pro pretio ad eam, ſi perierit, compenſandam.

Quær. 56. *An Fidejuſſio ſit licita, & quibus conditionibus?*

Dico. Fidejuſſio ſolum fieri poteſt ab iis, qui liberam bonorum ſuorum habent adminiſtrationem, & eſt licita,

etiam

etiam accepto pro ea pretio; quia eſt onus pretio æſtimabile, niſi omni moleſtia, & periculo vacet, *Sylv. & alii apud Tourn.*; Servatis tamen certis conditionibus, nimirum 1. ut Fidejuſſor non plus obligetur, quam principalis, & nulla, vel extincta principalis obligatione, liberetur, 2. Ut ceſſet Fidejuſſio, ſi fiat inter debitorem, & creditorem in principali obligatione, abſque Fidejuſſoris conſenſu, novatio; ut prolongando terminum, negligendo debiti petitionem, ſi propterea debitor factus ſit impotens; debet tamen creditori ſignificare, ſe nolle ultra tempus teneri, *Pont.* 3. Si plures ſint pro eodem debito Fidejuſſores, ut unuſquiſque pro rata ſolvat, niſi expreſſe huic diviſioni renunciaverit, & in defectum aliorum ſe ſolum obligaverit; tunc deficientibus aliis, tenetur in ſolidum. 4. Ut Fidejuſſoris obligatio tranſeat ad hæredes. 5. Ut non conveniatur, antequam principalis debitor declaratus ſit impar ſolvendo, niſi ſit abſens, nec habeat bona liquida, quibus creditori poteſt ſatisfieri; tunc enim tenetur ſolvere, etiam ante Judicis ſententiam, ſicut debitor, retenta actione in debitorem. 6. Ut ſervetur a debitore de impenſis, & damnis pro ipſo factis indemnis; modo non ſolverit ante terminum debitori conceſſum. 7. Ut pretium Fidejuſſionis ſit pro ratione quantitatis debiti, & periculi proportionatum; poteſt Fidejuſſor pro pretio a creditore liberari, quamvis creditor ſine uſuræ nota non poſſit Fidejuſſionem in ſe ſuſcipere pro pretio accepto a debitore.

Hinc 1. Fidejuſſores eſſe nequeunt pupilli, minores, filiifamilias, niſi pro patre incarcerato, vel ſi habeant bona caſtrenſia, vel ſint pubertati proximi, & bona habeant mobilia, quæ ſervando ſervari nequeunt, poſſunt obligari quidem naturaliter, ſed per reſtitutionem in integrum iterum liberari; nec Religioſi ſine licentia Superioris, imo nec Superiores ſine majori parte Capituli; nec mulieres nequidem pro filiis, & maritis, niſi a carcere ſint educendi; nec pro aliis ſine conſenſu mariti, niſi per inſtrumentum publicum cum tribus teſtibus; a qua tamen iterum liberari poſſunt privilegio Senatus conſultus Velleiani, niſi ei expreſſe renunciaverint, vel pro Fidejuſſione pretium legitimum acceperint, vel juramento firmaverint, & non alia obſtet conſuetudo, *Tourn.* 2. Fidejuſſor pro equo, v. g. commodato fulminis ictu pereunte

ad nihil tenetur, niſi commodatarius fuerit in mora tradendi, vel caſum fortuitum in ſe ſuſceperit conſentiente, & ſciente Fidejuſſore; nec Fidejuſſor pro mutuo a pupillo, a minore, vel filiofamilias accepto, maleque impenſo; bene autem obligatur pro aliis debitis, a quibus prædicti ſolum per reſtitutionem in integrum liberantur, *Pont.*

Quær. 57. *An Aſſecuratio ſit licita, & quibus conditionibus?*

Dico. Aſſecuratio quoque eſt licita; quia uterque contrahens damno, & lucro æqualiter exponitur, dummodo ſequentes ſerventur conditiones, 1. ut probabile periculum ſubeſſe judicetur. 2. Ut pretium Judicio prudentis periculo ſit proportionatum. 3. Ut aſſecurans ſufficientia habeat media ſolvendi, ſi res pereat. 4. Ut conditiones juſtæ appoſitæ ſerventur.

Hinc 1. Graviter peccat, & tenetur ad reſtitutionem aſſecurans pro pretio navim tempore, quo ſcivit illam jam in portu adveniſſe, vel aſſecurationem acceptans, ſi eam jam periiſſe ſciat. 2. Non tenetur ſervare cautionem, ſi navis perierit, quia aliam ſumpſit viam, vel aliis contra conventionem eam oneravit mercibus; quia non ſervatæ ſunt conditiones.

Quær. 58. *Quid ſit Pignus, Hypotheca, & Tranſactio?*

Reſp. Pignus eſt contractus, quo debitor rem aliquam mobilem creditori tradit ad ſecuritatem debiti, ut ex ea poſſit peti ſolutio, ſi debitor non ſolverit. Hypotheca vero eſt contractus, quo debitor rem aliquam immobilem creditori obligat ad ſecuritatem debiti, ut pariter ex ea ſolutio peti poſſit; ſæpe in jure iſti contractus confunduntur, & differunt ſolum, quia pignus eſt res mobilis, & Hypotheca immobilis. Tranſactio eſt conventio utrinque oneroſa, qua res dubia, & lite incerta componitur inter partes.

Quær. 59. *Quænam ſint obligationes dantis, & accipientis Pignus, vel Hypothecam?*

Dico. Obligationes dantis Pignus, vel Hypothecam ſunt ſequentes, 1. ut res eadem non detur pluribus in Pignus, ſeu Hypothecam, niſi pro plurium ſolvendis debitis ſufficiat. 2. Tenetur refundere creditori impenſas in conſervatione Pignoris factas. 3. Non debet vendere rem hypothecatam, niſi emptore prius monito de rei Hypotheca.

Acci-

Accipientis vero Hypothecam, vel Pignus ſunt 1. ut rem pignoratam diligenter cuſtodiat, ſecus tenetur de culpa lata, & levi, *Tourn.* poteſt tamen Pignus oppignerari alteri, *ibid.* 2. Ut eo non utatur; quia ad ſecuritatem, & non ad uſum eſt datum, & fructus tenetur in ſolutionem ſortis computare. 3. Non debet illud vendere, niſi debitor ſit in mora ſolvendi, eoque prius monito. 4. Ut ſtatim illud reſtituat, debito integre ſoluto. 5. Ut non apponat pœnam commiſſi, adſcribendo ſibi Pignus, ſi certo tempore non ſolverit; quia eſt exorbitans.

Quær. 60. Quid ſit Ludus, Sponſio, & Loteria?

Reſp. 1. Ludus, ut hic ſumitur, eſt contractus oblectantium animum, & deponentium aliquid ceſſurum victori, & eſt triplex, nimirum 1. qui a ſola fortuna regitur, ut ludus aleæ. 2. Qui ſola induſtria regitur, ut ludus pilæ. 3. Mixtus, qui a fortuna, & induſtria dependet.

2. Sponſio eſt contractus, quo duo, vel plures de veritate, vel eventu rei contendentes ſibi invicem aliquid ſpondent, ut ſit ejus, qui veritatem fuerit aſſecutus.

3. Loteria eſt pactum multorum aliquid in commune deponentium, vel ementium jus ſortiendi, & acquirendi, quod ſorte per felicem ſchedulam obtinuerit.

Quær. 61. An Ludus ſit licitus, & quibus conditionibus?

Dico: Nullus ludus, etiam a ſola fortuna pendens per ſe, & jure naturæ eſt illicitus, ſervatis conditionibus ſequentibus, 1. ut ludentes eorum, quæ exponunt, liberam habeant diſpoſitionem. 2. Ut ſumma ludo expoſita ſit moderata juxta cujuſque facultatem. 3. Ut abſit fraus, & dolus, coactio, & preces nimis importunæ. 4. Ut ſufficiens adſit inter ludentes æqualitas, & periculum perdendi. Per accidens vero eſt illicitus, 1. Si ludens principaliter lucrum intendat; quia honeſta recreatio propter Deum eſſe debet. 2. Si nimia quantitas pecuniæ exponatur cum detrimento familiæ, & creditorum. 3. Si nimium tempus in eo conſumat. 4. Si per illum ab officiis debitis notabiliter retrahatur. 5. Si peccandi periculo ſe committat. 6. Si conditiones ex juſtitia in ludo requiſitas non ſervet. Jure vero canonico, & civili cæſareo, & gallico etiam laicis ludus aleæ prohibitus eſt, etiam ſub mortali, ſaltem ſi ſit frequens, & eorum facultates notabiliter excedens, *S. Raymundus & S. Antoninus apud*

 Tourn.

Tourn. non vero, ſi raro, moderate, & recreationis cauſa fiat, *ibid.* Tenetur tamen ludens in eo amiſſa ſolvere, non vero, quæ lucratus eſt, reſtituere ante Judicis ſententiam; quia licet contractus ſit illicitus, nullo tamen jure eſt irritus, ſed ſolum irritabilis, & ab onere ſolutionis Jure cæſareo, & etiam in foro conſcientiæ liberari poteſt, *ibid.* & *P. Gerv.* in Regno vero Galliæ lucrum in ludo prohibito non ſolutum, non tenetur perdens, etiam in conſcientia ſolvere, niſi eſſet parva ſumma, qualis cenſetur ſumma centum libris minor, *de Ferrière*; ſed hæc videtur potius ex conditione ludentium dijudicanda; nec acceptum reſtituere ante Judicis ſententiam; quia Edictum Ludovici XIII. non ipſum ludi contractum, ſed debita duntaxat inde contracta facit irrita, *Tourn.* ſolent tamen Parlamenta commota lite occaſione ludi obligare ad reſtitutionem faciendam pauperibus, non vero ludenti, ut uterque puniatur, *ibid.* ludere pro precibus, non eſt prohibitum, *Tourn.*

Hinc: graviter peccat, & tenetur ad reſtitutionem, 1. lucrans a filioſamilias, non habente bona caſtrenſia, &c. ab uxore non habente paraphernalia, a Religioſo, &c. niſi conſentientibus, a quibus dependent, vel niſi ſit quid modicum, de quo eos conſentire præſumitur, *S. Antonin. Pont.* 2. Decipiens in numero calculorum, chartas abſcondendo, vel ſpecialiter notando, ſe inexpertum fraudolenter ſimulando, &c. non ſolum lucrum fraude acquiſitum, ſed etiam quod alter certo, aut probabiliter lucraturus fuiſſet, reſtituere tenetur, & in dubio quanti, ſpes valet; non vero illicitæ ſunt quædam aſtutiæ legibus ludi, vel conſenſu ludentium permiſſæ, ut aſpicere chartas a colluſore non bene cuſtoditas dignoſcere chartas a tergo caſu notatas, fingere metum, ut ſponſio augeatur, vel ſimulare bonas chartas, ut alter terreatur, *Tourn.* quamvis hæc vix omni culpa contra veracitatem vacent. 3. Sciens ſe alium notabiliter peritia excedere, exceſſumque ſilens, vel una poſitione plus lucrans, quam ſolvere, vel perdere potuiſſet. 4. Alterum ad ludum incipiendum, vel continuandum injuriis, convitiis, precibus nimis importunis, minis, ſe non ſoluturum, quod perdidit, niſi in ludo perſiſtat, aliiſve moleſtiis cogens, ita, ut mallet rem ſuam periclitari, quam ita affligi: ſi vero ipſe paſſus injuriam lucretur, non tenetur reſtituere; quia nulli injuriam

riam facit, *S. Antoninus*, *Pont. & alii*, *apud Tourn.* 5. Lucrans notabilem ſummam, crebro ludendo ludo prohibito, ac immoderato, graviter quidem peccat, non tamen tenetur ad reſtitutionem ante Judicis ſententiam, nec perdens, ſaltem in Gallia, ſolvere, niſi eſſet parva ſumma; aleatoribus tamen, & domum ipſis locantibus neganda eſt abſolutio, niſi reſipuerint, *S. Carol. Barom.*

Quar. 62. *An Sponſio ſit licita?*

Dico. Sponſio eſt licita certis conditionibus ſervatis, videlicet: 1. ut res, de qua agitur, in eodem ſumatur ſenſu. 2. Ut utrique ſit incerta, niſi unus alterum moneat de majori ſua certitudine, ſi autem omnino certus eſſet, ſpondere non poteſt, niſi alter certitudinem condonet.

Hinc: ſpondens cum tribus idem officium ſperantibus cum unoquoque contendens, eum eſſe excludendum, & ſic certus, contra duos ſe eſſe lucraturum, illicite ſpondet, niſi centum contra quinquaginta ſpondeat; quia adverſarius duplo majus ſubit periculum, *Lugo*.

Quar. 63. *An Loteria ſit licita?*

Dico. Loteria, ſeu ollæ fortunæ licitæ ſunt 1. ſi ſervetur proportio lucri, ita, ut non excedat illud, quod, merces vendendo, accepiſſet, niſi auctoritate Principis pro bono publico creatæ ſint. 2. Ut abſit fraus, & dolus. 3. Ne ſolo impulſu cupiditatis, vel avaritiæ pecunia in Loteriam conferatur.

QUÆSTIO VI.

DE INJUSTITIA, ET RESTITUTIONE IN COMMUNI.

Quaritur. 1. *Quid ſit Injuſtitia, & Reſtitutio?*

Reſp. INjuſtitia, ſeu Injuria, eſt voluntaria Juris alieni violatio abſque cauſa legitima. Reſtitutio vero eſt actus Juſtitiæ commutativæ, quo res alterius redditur, vel damnum ei illatum reparatur.

Quar. 2. *An volenti poſſit fieri Injuria?*

Dico. Scienti, & ſponte conſentienti in re, quam cedere poteſt, non fit Injuria, *Reg. 27. Jur. in 6.*

Hinc: Injuriam patitur 1. ſolvens centum, volens, ſed non recordans, jam quinquaginta ſolviſſe; quia non eſt ſciens. 2. Solvens uſuras, vel latroni burſam præbens; quia non eſt ſponte volens. 3. Pupillus conſentiens ablationi ſuorum bonorum, vel Clericus in ſui percuſſionem; quia in his jus ſuum cedere nequeunt.

Quær. 3. An Reſtitutio ſit neceſſaria?

Dico. Reſtitutio in re, vel in voto eſt neceſſaria ad ſalutem, non quidem in re neceſſitate medii, quia ſine ea ignorans invincibiliter, vel impotens ſalvari, poteſt; ſed præcepti negativi prohibentis ſemper, & pro ſemper retentionem rei alienæ invito domino; in voto vero, ſeu propoſitum reſtituendi eſt neceſſarium neceſſitate medii; quia ſine illo non poteſt haberi vera contritio.

Hinc: 1. Injuſtæ rei alienæ retentionis memor voluntatem non reſtituendi expreſſe, vel tacite renovans, aut occaſionem, vel media Reſtitutionem faciendi negligens, denuo graviter peccat, & in confeſſione tempus injuſtæ retentionis, & neglectarum occaſionum reſtituendi exprimere tenetur. 2. Abſolvi non poſſunt rei alienæ detentores; niſi firmum habeant reſtituendi propoſitum, quo carere judicantur, 1. qui media ad illam procurandam negligunt. 2. Qui in aliis confeſſionibus admoniti, promiſſis non ſteterunt. 3. Qui toti ſolvendo pares, non niſi partem reſtituerunt, etiamſi dominus nullum ex dilatione damnum patiatur. 4. Qui hæredibus, etiam in periculo mortis, Reſtitutionem faciendam committunt, quam per ſe facere poſſunt, *Tourn.* niſi certæ circumſtantiæ, ut propriæ diffamationis, ſpecialia ſinceræ promiſſionis indicia, &c ad aliter aliquando faciendum prudentiæ Confeſſarii ſuadeant, *ibid.*

Quær. 4. Quot ſint radices Reſtitutionis?

Dico. Quatuor ſunt radices Reſtitutionis, videlicet: 1. injuſta acceptatio. 2. Injuſta detentio. 3. Injuſta damnificatio. 4. Contractus, ſeu quaſi contractus, ut officia. De hac, & de multiplici culpa egimus ſupra de contractibus.

Quær. 5. Ex qua culpa oriatur obligatio Reſtitutionis?

Dico. Obligatio Reſtitutionis, extra caſum contractus, vel officii, oritur ex ſola culpa theologica adverſus Juſtitiam commutativam; quia, ſecluſa culpa theologica, dominus

minus non poteſt eſſe rationabiliter invitus, & deficit fundamentum radicis Reſtitutionis, nempe injuria formalis, quæ obligatio reſtituendi eſt gravis, ſi culpa ſit mortalis, vel dubia de gravitate; quia melior eſt conditio innocentis. Qualis autem ex culpa ſolum veniali oriatur obligatio reſtituendi, non conveniunt auctores; ex culpa veniali ob parvitatem materiæ injuſtæ acceptionis, vel detentionis oriri levem, & gravem ſi reiterata coaleſcat, videtur certum; ex culpa vero veniali ob inadvertentiam, licet damnum illatum ſit grave, non obligari ſub mortali ad damni reparationem communiter docent Doctores, *apud P. Gerv.* quia ex culpa levi, ſecluſo contractu non poteſt oriri obligatio gravis; cum radix Reſtitutionis ſit injuria, quæ pro gravi debet eſſe gravis, etiamſi fieret cum intentione interna graviter mala; quia jus proximi hac in re ſolum læditur per actionem externe damnoſam, licet propter internam, nempe malam voluntatem, & graviter peccet, *ibid.*; impedire tamen damnum tenetur, qui cauſam illius inadvertenter poſuit, etiam ex juſtitia, ſi poſſit ſine notabili ſuo incommodo; quia fortius obligatur, quam illi, qui ſolum ex charitate damnum proximi impedire tenentur; imo ad aliquid pro reparatione damni pro quantitate culpæ, & judicio prudentis, teneri, videtur rationi conveniens, *Tourn.*, *Thom. ex Charm.*

Hinc: juxta Auctores ſupra citatos, non tenetur ad reſtitutionem 1. dominus, cujus animal ſine ipſius culpa proximo damnum intulit, ante judicis ſententiam, licet damnum paſſus pro ſatisfactione illud retinere poſſit. 2. Nec ſubitanea ira inadvertenter alium occidens, ſegetes veniali negligentia comburens, in venatione mortaliter prohibita hominem ex inadvertentia levi occidens, furando præter intentionem, & abſque gravi negligentia domum comburens, arma militi vendens cum intentione, ut inimicum occidat, nihil de ea externe manifeſtans, avaro aliquos obulos auferens, ut mœrore rei amiſſæ ægrotet; quia cauſa externe in damnum influens eſt duntaxat venialis, licet aliunde graviter contra charitatem peccent: prædictos tamen ad partem damni pro quantitate culpæ, & judicio prudentis obligari putant *Tournely*, & *Thomas ex Charm.* ſed quanta veniali correſpondeat culpæ, difficulter dicitur; quia notabilis non eſt proportionata culpæ, & modica non æquivalet damno;

Digitized by Google

multi apud Billuart quinquageſimam, vel octogeſimam partem aſſignant pro quantitate culpæ, & judicio prudentis, ſic ſi pretium domus a fure inadvertenter combuſtæ ſint mille aurei, a fure reſtituendi eſſent viginti, vel minus, ſi minor ſit culpa; num autem obligetur ſub mortali, non conveniunt Doctores: obligari ſub mortali, ſi ſumma ſit notabilis, aſſerit continuator Tournely, quia non reſtituere aliquid gravis momenti, mortale eſt; ſub veniali tantum obligari putat Billuart; quia obligatio gravis Reſtitutionis non ex gravitate rei, ſed ex gravitate culpæ, ac injuriæ formalis oritur, quæ levis, ac imperfecta eſt, alias obligaretur ad totum damnum, quæ ratio videtur principiis Reſtitutionis conformior.

Quær. 6. *Quot ſint circumſtantiæ Reſtitutionis, quotuplex ſit poſſeſſor, fructus rei, impenſæ, & quis factus ditior?*

Reſp. 1. Circumſtantiæ Reſtitutionis ſunt novem his verſibus comprehenſæ.

> *Quis, quid reſtituat, quantum, cui, quomodo, quando.*
> *Quo ordine, quove loco, quæ cauſa excuſet iniquum.*

2. Poſſeſſor bonæ fidei eſt, qui rem alienam poſſidet, prudenter putans eſſe ſuam. Poſſeſſor malæ fidei eſt, qui per injuriam rem alterius accepit, retinet, vel damnum intulit.

3. Fructus rei alii ſunt naturales, qui natura ſola, vel fere ſola producuntur, ut fœdus animalium, herba pratorum. Alii induſtriales, qui per ſolam induſtriam, & laborem producuntur ex re mere ſterili, ut ex pecunia per negotiationem, rei venditione, & emptione, uſu inſtrumentorum &c. Alii mixti, qui partem ex natura, partim ex induſtria prodeunt, ut fructus agrorum, vinearum &c. Alii civiles, qui ex juris diſpoſitione, ex rei uſu oriuntur, ut ex domorum, jumentorum locatione, hi in jure cum naturalibus confunduntur.

4. Impenſæ circa rem factæ, aliæ ſunt neceſſariæ, quæ rei deteriorationem impediunt. Aliæ utiles, quæ rem meliorem faciunt. Aliæ voluptariæ, quæ ſpeciem duntaxat ornant, ut viridaria, picturæ &c. quæ ſæpe etiam pretium augent, & inter utiles numerantur.

5. Factus ditior dicitur ille, qui rem alienam conſumando, vel alienando ſuæ pepercit, vel pretium, vel ali-

aliquid acquiſivit; non vero ſi ſolum propter illam lautius vixit, quam ſine illa vixiſſet, vel donavit, quæ ſine illa non donaſſet.

Quær. 7. Ad quid teneatur poſſeſſor bonæ fidei?

Dico. Poſſeſſor bonæ fidei tenetur rem, quamprimum noverit alienam, reſtituere, & fructus ejus naturales, civiles, & mixtos quoad partem, qua ſunt naturales, niſi ſint præſcripti inſtar rerum mobilium poſſeſſione triennali cum titulo colorato. *Tourn.* ſecus efficitur malæ fidei poſſeſſor; & ſi res, vel fructus non amplius extent, tenetur ad id, ex quo factus eſt ditior, deductis laboribus, quæ a domino fieri debuiſſent, & impenſis neceſſariis, & utilibus, imo etiam voluptariis; quia cum ſit ſine culpa, debet indemnis ſervari; non vero tenetur ad fructus mere induſtriales.

Hinc 1. Emens equum furtivum etiam in foro publico, eum non furi, ſed domino comparenti, & illum exigenti reſtituere tenetur, niſi fuiſſet emptus in Nundinis in locis, ubi viget Lex ſtatuens transferri rerum in iis emptarum dominium ſine obligatione reſtitutionis, etiamſi poſtea deprehendantur, fuiſſe furtivas; quia ob bonum commune, & augmentum commercii, ac tranquillitatem emptorum poteſt eſſe juſta, ſicut Lex præſcriptionis, & ſervari in conſcientia, *Billuart.* Si autem illum emiſſet cum intentione eum reſtituendi domino, poteſt exigere pretium, dummodo viliori emerit, & domino gratum fore, aliaque via ad eum non perventurum crediderit; quia ejus negotium utiliter egiſſe cenſetur; nec tenetur de caſu fortuito, ſed ſolum ex culpa lata; ſi autem æquali, vel majori emerit pretio, non tenetur dominus ad exceſſum. Si ſecluſa prædicta Lege de Nundinis rem alteri bona fide revendiderit, & dominus reſciſſa venditione equum ſibi vindicaverit, tenetur emptorem indemnem ſervare, refundendo ei pretium; quia emptor habet actionem in venditorem de evictione; an autem teneatur reſtituere pretium domino, ſi emptor non amplius compareat, vel ſi dominus rem furtivam non repetat, vel ſi illam bona fide in ſuos uſus converterit; vide infra *Quær.* 13. *Hinc* 2. 2. Qui contrivit veſtem a fure bona fide emptam, tenetur quantum pro alia impendiſſet, licet furtiva fuerit longe pretioſior; ſi eam donaverit alteri alias non donaturus, ad nihil tenetur; ſi donaſſet, ſed aliam vilio-

vilioris pretii, ad illud duntaxat tenetur; quia tantundem ſuæ rei pepercit. 3. Emens bona fide vineam alienam, non tenetur reſtituere vinum per triennium bona fide poſſeſſum: quia illud præſcribit, nec illud, quod bibit cum amicis alias non bibiturus; nec illud, quod etiam ſua culpa periit, vel quod vineis melius cultis feciſſet; nec lucrum, quod vinum carius vendendo, habere potuiſſet, vel culpa lata amiſit; quia credens ſuum, illud negligere potuit; nec pretium, quod pro melioratione ejus adhibuit, licet dominus minoribus impenſis eam feciſſet; vel pro arboribus non fructiferis pro ſolo ornamento plantatis, vel pro picturis, fontibus &c. impenderit, licet dominus ea non feciſſet; quamvis Tournely putet, dominum non teneri refundere impenſas valorem meliorationis excedentes, nec exceſſum impenſarum, quibus ipſe eandem meliorationem feciſſet, nec pretium meliorationis, ſi excedat impenſas, ſed ſolum impenſas, quibus melioratio in re facta eſt, aut valet, vel a proprio domino facta fuiſſet. 4. Emens bona fide vaccam alienam in uno loco triginta lateris, & vendens alibi quinquaginta, non poteſt retinere lucrum, *Tourn.* quia eſt rei, quæ intrinſece & extrinſece creſcit domino ex circumſtantiis non perſonalibus; ſecus ſi carius vendiderit, ob ſpecialem affectum, vel ſuam neceſſitatem; quia hoc lucrum perſonale eſt.

Quær. 8. *Ad quid teneatur poſſeſſor malæ fidei?*

Dico. Poſſeſſor malæ fidei tenetur 1. reſtituere rem ipſam, ſi extet, vel ſi non extet pretium ſaltem medium, vel majus, ſi illud ipſemet dominus ex illa habuiſſet. 2. Compenſare omne damnum emergens, & lucrum ceſſans. 3. Omnes fructus naturales, civiles, & mixtos, quoad partem, qua naturales ſunt, etiamſi dominus eos non percepiſſet; quia res fructificat domino ſuo; etiam illos, quos poſſeſſor malæ fidei non percepit, modo eos dominus percepiſſet; quia omne damnum, cujus eſt cauſa, reparare debet; etiamſi ſint conſumpti, vel caſu fortuito amiſſi, & non factus ſit ditior; deductis tamen operibus, quæ a domino fieri debuiſſent ad illos percipiendos, & impenſis neceſſariis, & utilibus, quas rei dominus feciſſet; non vero voluptariis, niſi adhuc extent, & a re ſint ſeparabiles, quos ſubtrahere poteſt, vel ſi res propterea carius vendatur; non vero ſi dominus illam retineat: fru-

ctus

ctus autem mere induſtriales nullus reſtituere tenetur; quia non ſunt rei, ſed perſonæ.

Hinc 1. Qui furatus eſt equum, præter equum reſtituere tenetur impenſas, quas dominus pro alio conducendo fecit, vel lucrum, quod ex ejus locatione habuiſſet. 2. Qui furatus eſt pullum equinum a domino uſque ad annos equi perfecti valoris ſervandum, reſtituere tenetur valorem perfecti equi, ſi non amplius extet, deductis impenſis a domino faciendis. 3. Qui abſtulit frumentum, ſi non amplius extet, tenetur reſtituere pretium tempore ablationis; ſi ipſe carius vendiderit, vel dominus carius vendidiſſet, tenetur illud refundere; ſi vendiderit eodem pretio, quo dominus vendidiſſet, ſufficit illud reſtituere, licet ſit infimum. 4. Colens agrum alienum, ſciens, tenetur reſtituere fructus domino, deductis operibus, quæ a domino pro iis fuiſſent faciendæ, nihil vero pro fimo injecto a domino non injiciendo deducere poteſt, licet melior ſit effectus, nec pro arboribus in eo plantatis, vel pro domo in eo ædificata, vel pro tabellis, ſtatuis &c. in eo erectis, niſi agrum propterea dominus carius vendat, tunc æquitas refuſionem exceſſus dictat; ſecus ſi dominus illum retineat, ea tamen ante reſtitutionem ſubtrahere licet. 5. Ad reſtitutionem tenetur auferens rem apud dominum etiam certo ſed injuſte, vel fortuito perituram, v. g. equum ab alio fure ſurripiendum, frumentum ab hoſtibus injuſte devaſtandum, ovem a lupis devorandam, mobilia, alias incendio peritura, etiamſi poſtea alio caſu fortuito apud furem perierint; quia ipſe eſt auctor damni, & eſt in mora culpabili. An autem teneatur ad reſtitutionem, ſi eodem tempore, & eodem caſu fortuito apud dominum, & furem periiſſent, quia v. g. frumentum in agro vicini ablatum eadem inundatione, vel eodem incendio ſicut apud furem fuiſſet conſumptum, diviſi ſunt Theologi; alii affirmant, eum teneri, 1. quia eſt injuſta rei alienæ acceptio, ex qua oritur obligatio reſtitutionis. 2. Quia eſt in mora culpabili, & tenetur de caſu fortuito. 3. Quia vere damnum intulit, rem auferendo invito domino; alii negant, 1. quia fur non eſt abſolute cauſa, cur res pereat, ſed ſolum, ut potius hic, quam alibi pereat. 2. Quia damnum non efficaciter infert, cum ſine ipſo periiſſet. 3. Occiſor non tenetur ad impenſas funeris occiſi;

quia

quia alio tempore fuiſſent faciendæ, ergo a pari, &c. videtur huic adhærendum; quia videtur probabilior, licet Tournely priorem teneat opinionem,

Quær. 9. *Ad quid teneatur poſſeſſor dubiæ fidei?*

Dico. Poſſeſſor dubiæ fidei, qui inchoata bona fide de poſſeſſione, dubitare incipit, rem eſſe alinam, aut furtivam, factaque ſufficiente inquiſitione, dubio remanente ex utraque parte pene æquali, ad nihil tenetur; quia potior eſt ratio poſſidentis: ſi vero longe probabilius ſit, rem eſſe alienam, vel comparente domino certo, ei reſtituere tenetur, ut poſſeſſor bonæ fidei, & nullo comparente, pauperibus, vel ad pias cauſas; poſſeſſor autem dubiæ fidei, qui rem cum dubio poſitivo poſſidere incepit, peccavit graviter; quia ſe expoſuit periculo injuſte poſſidendi rem alienam; & ſi facta diligentia inquiſitione longe probabilius videatur, eſſe alienam, vel comparente domino certo, eidem reſtituere tenetur, ut poſſeſſor malæ fidei, vel pauperibus, ipſo non comparente: manente vero dubio ex utraque parte æqualiter fundato, dividenda eſt cum domino dubitante; quia utriuſque conditio videtur æqualis, & poſſeſſio cum dubio inchoata poſſidenti favere nequit; & nullo domino detecto, dividenda eſt cum pauperibus, *Lugo*, *&* *alii*.

Hinc: Emens rem, dubia, vel bona fide, & incipiens dubitare eſſe furtivam, tenetur, 1. veritatem omni, quo poterit, modo inquirere. 2. Durante inquiſitione non uti re illa, ſi ſit uſu conſumptibilis, ſi vero non ſit uſu conſumptibilis, ut equus, nonniſi ad uſus leves, ut ad modicum iter, & ad onuſtas vecturas cum intentione ſolvendi pretium conductionis. 3. Si longe probabilius ſit, eſſe alienum, tenetur cum fructibus eum reſtituere domino, ſi cognoſcatur; vel pauperibus, ſi ignoretur, & in quantum factus eſt ditior, ſi bona fide incepit poſſidere; ſi dubia, tenetur ad rem & omnes fructus, & dominum inſuper in omnibus indemnem ſervare: ſi econtra longe probabilius ſit, non eſſe alienam, poteſt eam uterque bonæ, & malæ fidei poſſeſſor, ut ſuam retinere; quia mala fides majori probabilitate purgatur; ſi autem idem maneat ex utraque parte dubium æquale, qui bona incepit fide poſſidere, poteſt illam retinere, quia melior eſt conditio poſſidentis; qui fide dubia incepit, tenetur pretium dividere cum domino æque dubio, ſi ſciatur, vel cum pauperi-

peribus, ſi ignoretur, quia poſſeſſio dubia ei non favet; ſi vendatur, monendus emptor de conditione dubii, pretiumque pro ratione hujus vitii erit minuendum, *Tourn.*

Quær. 10. *Quot modis aliquis poſſit efficaciter cooperari damno alterius?*

Dico. Novem ſunt modi, quibus efficaciter quis damno alterius cooperari poteſt, quorum ſex priores ſunt poſitivi, & tres poſteriores negativi his verſibus contenti.

Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus.
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Quær. 11. *Quiſnam cooperantium damnum reparare teneatur?*

Dico. Damnum reparare tenetur, qui cauſa illius fuit efficax, phyſica, vel moralis executorem vere movens, vel adjuvans; & quidem tenetur in ſolidum, ſi in totum damnum influxerit, vel ſi cauſa relationem ad alias habuerit communi conſenſu, conſpiratione, confidentia, opera; vel ad partem damni, ſi ſolum in partem influxum habuerit: non cenſentur autem cauſæ morales influxum in actionem damnificam habuiſſe, ſi executor jam determinatus erat, & æque facile, eodemque modo damnum illaturus erat, nec tenentur ad reſtitutionem, niſi ad promptius illud inferendum ab eis motus ſit; quia ſecus potuiſſet animum mutare vel impediri a damno inferendo.

Hinc 1. Duo mandantes ſimul mortem innocentis, vel ſuadentes bellum injuſtum, gabellas iniquas, &c. tenentur ambo ad reſtitutionem damni, etiamſi unius mandato, vel ſuaſione fuiſſet ſecutum; quia ambo influunt in eundem effectum; non tamen tenetur mandans, ſuadens, &c. fatente damnificatore, illorum mandato, vel conſilio non fuiſſe motum, vel ſi conſtet, homicidam jam antea capitali odio flagrantem mortem minatum fuiſſe, omnia ad executionem diſpoſuiſſe, poſt datum conſilium habita occaſione non occidiſſe, ſed poſt novas, & proprias cum ipſo rixas, & poſt vetera odia excitata; quia his in circumſtantiis mandatum, vel conſilium cenſetur non influxiſſe. 2. Dubitans poſitive, an cauſa data influxerit, tenetur de damno; quia præſumptio eſt pro damno; dubitans vero, an cauſam damni dederit, ad nihil tenetur, *Henric. de S. Ign. Lugo*; quia quilibet cenſetur bonus, & ſuæ obligationi ſatisfeciſſe, donec probetur malus, niſi aliunde habeat præſumptionem contra ſe, quia alias mala conſilia,

& cau-

& cauſam damni in ſimili occaſione dedit; plures autem ſimul dantes cauſam damni, v. g. explodentes ſclopetum erga hominem, & dubitantes cujus ictu fuerit occiſus, omnes tenetur ad partem damni, & deficiente uno, tenentur alii, *Tourn.*; non tamen tenentur domeſtici ſinguli ad partem damni ab uno eorum illati, niſi ſinguli cauſam dederint, *ibid.* 3. Impediens quocunque modo, blanditiis, vel fraudibus ab iis, quæ ex Juſtitia ſunt debita, tenetur ad reſtitutionem; non vero impediens ſolum ab acquirendis ex liberalitate, vel gratitudine, ut a legato; teſtamento, dono, officio, beneficio, matrimonio, utendo ſolum precibus, blanditiis, muneribus, ſuaſione, conſilio, etiam ex odio, ſine mediis tamen externis illicitis, *Leſſ.*, *& alii communiter apud P. Gerv.* quia libertas non violatur conferentis, & ex juſtitia non ſunt debita: impediens vero ab iſtis dolo, fraude, mendacio, metu gravi, &c. v. g. Notarium diſtrahens, ne moribundus Eccleſiæ legatum, pauperi famulo, Eleemoſynam, amico munus gratitudinis teſtamento relinquat, vel pauperi acceſſum ad parentes divites intercludens, ne Eleemoſynam impetret; niſi parentes eſſent prodigi cum præjudicio filiorum; tenentur prædicti ſaltem pro qualitate ſpei juxta prudentis arbitrium ad reſtitutionem; niſi ſolum effeciſſent, ut relicto digno, vel indigno, officium digniori conferatur: famam tamen læſam reſtituere tenentur. 4. Tenentur ad reſtitutionem in ſolidum plures ſcholaſtici eandem vineam ingreſſi, ſinguli partem ſurripientes; plures milites eandem urbem injuſto bello devaſtantes, ſi conſpiratione, mutuo conſilio, &c. vel etiam malo exemplo alios moverint; quia non minus movent exempla, quæ trahunt, quam conſilia, *Ethica amoris, P. Ant. apud Tourn.*; contrarium tamen, quoad mala exempla, tenent Molina, *Bonac. Sanch.*, & juniores communiter, *ibid.*; quia licet malum exemplum occaſionem det ad damnum, a ſe ſolo tamen quis ad illud inferendum, moveri ſolet, *ibid.*

Quær. 12. Quo ordine Cooperatores ad damnum reſtituere teneatur?

Dico. Cooperatores æqualiter ad damnum, ut duo mandantes, æqualiter tenentur ad reſtitutionem, quilibet ad ſuam partem, & deficiente uno, alii in ſolidum; quia ſinguli in totum influunt; cooperantium vero inæqualiter,

1. lo-

1. loco is, apud quem res aliena extat, vel qui eam mala, aut dubia fide conſumpſit, reſtituere tenetur, & ſi bona fide, tenetur ad id, quo factus eſt ditior. 2. loco in defectum priorum tenetur mandans, ſuadens, aut rogans, qui æquivalent mandanti, *Tourn.* 3. loco in defectum priorum executor, participans, ſeu adjuvans. 4. loco in defectum præcedentinm tenetur conſulens, conſentiens, palpo, receptans, eodem ordine, & quilibet pro ſua parte; quia eodem modo in damnum influunt, movendo, excitando, impellendo executorem; niſi unus præ alio fortius, vel efficacius moviſſet, tunc etiam plus reſtituere tenetur. 5. loco, defectu poſitive cooperantium, tenentur cauſæ negativæ, motus, non obſtans, non manifeſtans, eodem ordine; quia pari gradu cooperantur non impediendo; prius tamen tenentur cuſtodes particulares, v. g. vinearum, quam generales, ut Prætores, Magiſtratus, &c. niſi ſatis idoneos, & vigiles adhibere neglegerent, & ſic defectu aliorum tenentur ſinguli in ſolidum, & poſteriores jus retinent, exigendi refuſionem a prioribus, & facta reſtitutione a principali, vel prioribus, aut obtenta ab iis condonatione, liberantur etiam poſteriores; ſed non viciſſim; nec ſi ſint in eodem ordine, ſed liberato uno, tenentur alii pro ſua parte.

Hinc 1. Mandans expreſſe, vel implicite ſignis, nutibus, vel indicando, gratum ſibi fore, ſi famulus, quem novit furioſum, vicinum verberibus excipiat, domum aliis domibus vicinam comburat, tenetur non ſolum ad damnum, quod juſſit, ſed etiam de mutilatione, occiſione, combuſtione aliarum domorum, quæ damna ex ſuo mandato, utpote periculoſo, prævidere potuit, ac debuit, etiamſi contra ipſius intentionem, & prohibitionem evenerint, *Innoc. IV.*; & ſi ſervus propter executionem mandati domini bonis privetur, in exilium mittatur, &c. tenetur dominus eum indemnem ſervare; quia virtualiter ſe obligare videtur, eum a quocunque damno incolumem ſervare; non vero ſi alium non ſervum ſtipendio conduxerit ad damnum inferendum; quia conductus cenſetur pericula in ſe ſuſcipere; nec tenetur mandans ad exceſſum, ſi mandatum non fuerit periculoſum, ſed executor propria malitia plus fecerit; nec tenetur de damno, ſi mandatum revocaverit expreſſe, & mandatario innotuerit, vel implicite, quia amicitiam cum damnificando contraxiſſe, ſcivit:

vit: tenetur autem, ſi oblivione, vel defectu nuncii retractatio mandatario non innotuerit, vel amicitiam, ob doloſam domini ſui indolem, non ſinceram crediderit, vel ſi mandando modum, ac motiva indicaverit, quibus, etiam retractato mandato adhuc motus nocuit, vel ſi etiam peracta vera pœnitentia, & omni conatu, malum non amplius impedire potuerit; quia cauſa damni data vere influxit, & innocens illud paſſus eſt, & ſi mandatum non poteſt revocare, tenetur monere eum, qui injuriam paſſurus eſt, ut ſibi invigilet, & quidem cum æquali, non tamen longe majori detrimento, ut mortis, aut graviſſimæ infamiæ; tenetur tamen reſarcire damnum, & ſi mortem alterius non niſi propriæ vitæ diſpendio impedire queat, potius eſſet moriendum, *Lugo*; quia pejor eſſe debet nocentis, quam innocentis conditio. 2. Sciens damnum ab alio ſuo nomine inferendum, & non impediens, tenetur ad reſtitutionem; quia ſua taciturnitate cenſetur illud tacite approbare: non vero damnum ſuo nomine illatum abſque mandato, & notitia ratum habens, licet graviter peccet; quia ratihabitio eſt poſterior effectu, *Tourn.* 3. Auferens centum taleros, octoginta propriis manibus, & viginti mandans ſervo eidem auferre, reſtitutis viginti pro ſervo, & factus poſtea impoſens pro reliquis, non liberatur ſervus; quia non poteſt ſolvere pro ſervo, antequam integre pro ſe ſatisfecerit, & læſus habet jus exigendi reſtitutionem ab eo, qui damnum intulit, in defectum mandantis, *Tourn.*

Hinc 2. Conſulens tenetur, 1. ad reſtitutionem pro ratione damni illati conſilio, precibus, promiſſis, ſuggeſtione motivi impunitatis, delectationis, utilitatis, honoris, oſtenſione viæ, & modi nocendi, doctrina falſa; nec excuſatur, ſi revocet, ſi facta conſilii revocatione totum adhuc motivum, & cauſa nocendi impreſſa maneat, & in damnum influat; ſecus, ſi per revocationem omnia nocendi motiva efficaciter tollantur, vel ſaltem in quantum potuit, diſſuaſit, & eum, cui damnum imminet, moneat. *Tann. apud P. Gerv.* quia tunc cenſetur propria malitia inferre damnum. 2. Conſulens volenti auferre quinquaginta aureos, ut ſumat centum, tenetur ad quinquaginta; conſulens vero volenti auferre quinquaginta Petro, ut ſumat ſolum Petro viginti quinque, & alteri viginti quinque, tenetur ad viginti quinque alteri, quia non licet

cet damnum unius minuere cum damno alterius. 3. Conſulens decem aureos auferre in loco, ubi ſcit eſſe centum, tenetur ad centum, ſi omnes abſtulerit; quia dedit conſilium periculoſum, & totius ſummæ ablationem timere, ac prævidere potuit. 4. Conſulens volenti auferre vaccam, ut ſumat tantum vitulum, ad nihil tenetur, ſi animo diminuendi damnum fecerit, & integrum aliter impedire non potuerit; quia rem proximi utiliter egit; non vero excuſatur a reſtitutione ita conſulens ſocio in furto cooperans. 5. Conſulens volenti indeterminate auferre uvas, ut ſumat potius huic diviti, quam illi pauperi, tenetur de damno; non vero tenetur, ſi in genere conſulat, ut diviti potius, quam pauperi eas accipiat, vel non iſti ſuo amico, nihil dicendo de alio; quia impediendo damnum unius, non influit in damnum alterius. 6. Medicus, vel Advocatus bona fide dans malum conſilium ex officio, vel ſtatu, tenetur de damno ex culpa lata; ſi pro ſtipendio, ex culpa levi; ſi vero dicat, ſe dubitare, vel ita ſibi videri, ſed alios adhuc conſulendos, vel ſi non ex officio, vel profeſſione conſulat, ut mulier ægroto, ad nihil tenetur, niſi de dolo; quia damnum ſibi adſcribat conſilium non fundatum ſequens, cui prudenter fidere non potuit, *Reg.* 62. *Jur. in* 6. Si tamen agatur de damno tertii, ut diſſuadens reſtitutionem, cujus obligationem etiam inculpate ignorat, tenetur de damno tertii; quia licet ipſo invito inferatur, ſciens tamen, & volens, ſe exponit periculo nocendi tertio, dando conſilium in re non ſuæ profeſſionis, & non ſatis inſtructus, *Sylv. & alii apud Tourn.*; ſequens autem deciſionem Confeſſarii, vel Advocati bona fide id credens licitum, tenetur ſolum ad rei alienæ reſtitutionem, ſi extet, ſi non extet, ad id, quo factus eſt ditior; quia bona fides ſatis fundata eum excuſat.

Hinc 3. Conſentiens tenetur ad reſtitutionem damni ſuffragio, favore, approbatione externa efficaciter illati; cum ex officio non conſentire, vel malum impedire teneatur, ut Conſiliarii Principis conſentientes bello iniquo, Magiſtratus annonas juſto pretio carius vendi permittentes, ad electiones indignas, vel ad ſententiam damnoſam ſuffragium ferentes, re etiam numero ſuffragiorum jam ſufficienter deciſa, & a ſententia, vel electione indigna deterreri non valentes; quia negatione ſuffragii, ſuiſque rationibus non ſolum alios a ſententia, vel electione indi-

gna retrahere, ſed etiam impedire tenentur, ne eorum nomine fiat, & ne tanquam conſentientes eam roborent, ac ne alii a reſtitutione retineantur.

Hinc 4. Palpo tenetur de damo illato alium efficaciter movendo ad illud, ut laudando, murmurando, applaudendo, offenſum irridendo, non ulciſcenti ignaviam exprobrando, injuriam exaggerando; dicta contra alium, ut ſuſurro referendo, etiamſi damnum non intendat, ſed ſufficit, quod illud prævideat, vel prævidere debeat.

Hinc 5. Receptans, ſeu recurſum præſtans obligatur, ſi præbeat malefactori, quatenus eſt malefactor, ſecuritatem, fiduciam, & commoditatem, ut confidentius noceat, vel damnum illatum non reparet, ut caupones res furtivas, vel fures, ut fures recipientes, & occultantes, inſtrumenta nociva ſervantes, prædas ementes; Advocati injuſtitiam contra propriam conſcientiam tuentes, legionum præfecti milites rapinam exercentes, defendentes, Magnates, ſeu Magiſtratus ſuis famulis injuſtitias facientibus protectionem exhibentes; non tamen tenentur de damno fures recipientes titulo amicitiæ, conſanguinitatis, patriæ, &c. vel officii publici, ut caupones recipientes fures, ut hoſpites, vel a lictoribus quæſitos occultantes, licet liberati denuo ad latrocinia revertantur; quia relapſus eſt mere per accidens reſpectu hujus operis charitatis; niſi experientia conſtaret, eos inde ad alia damna occaſionem arrepturos, vel ex officio malefactores denunciare tenerentur, vel ſolum fugeren, ne reſtituere cogantur, quod hic, & nunc reſtituere poſſunt, *Tourn.*

Hinc 6. Participans, 1. rei jam acceptæ, ut manducans de vitulo ab aliis ablato, tenetur de ſua parte, ut bonæ, vel malæ fidei poſſeſſor, prout bona, vel mala fide participaverit. 2. Participans ratione actionis damnoſæ, ut inſtrumenta præbendo, ſcalas applicando, vel tenendo, claves adulterinas fabricando, excubias agendo, vel alio modo juvando, tenetur quilibet pro rata & deficientibus aliis, ad totum; quia in totum influxum præbuit, etiamſi damnum ſine ipſo æqualiter fuiſſet illatum; ſic duo venenum in cibos injicientes, quorum quælibet pars ad mortem inferendam ſufficit, vel duobus tignum auferentibus accedens tertius adjuvans, tenetur quilibet pro ſua parte, & deficientibus aliis in ſolidum; quia nulla eſt pars damni, in quam ſinguli non vere influxerunt, quamvis cujuſ-

cujuſlibet influxu fuiſſet æqualiter illatum; etiamſi ex metu mortis damnum intulerint immediate, & principaliter ad illud concurrendo, ut ruſtici metu gravi a militibus angariati fores effringentes, pecora e ſtabulo educentes, mobilia, e domo ejicientes, merces propria manu auferentes, & furi tradentes; Chriſtiani milites apud Turcas tormenta bellica contra Chriſtianos explodentes, eorum bona deprædantes, meſſes comburentes; quia ſicut non excuſantur a peccato, cum ſint intrinſece mala, ſic nec a reſtitutione, *Tourn.*, *Bill. & alii com.*; excuſantur vero a multis remote, & materialiter tantum ad damnum concurrentes ex metu gravi, ut inſtrumenta præbentes, ſcalas applicantes, vel tenentes, prædas ablatas vehentes, excubias agentes, Turcarum triremes contra Chriſtianorum turmas remigantes, arma parato ad occidendum vendentes, &c., quia ſicut materialiter tantum ex metu gravi peccato cooperantes a peccato excuſantur, ita etiam excuſari videntur a reſtitutione. *Vid. ſupra de met., & ſcand.*; nec videtur dominus rationabiliter invitus, nec exigere, ut quis ipſius bono cum diſpendio majoris boni, propriæ nimirum vitæ, conſulat.

Hinc 7. Mutus tenetur ſuo ordine de damno, 1. tacens, cum tenetur ex juſtitia, ut ex officio, ex pacto explicito, vel implicito loqui, contradicere, diſſuadere, prohibere, clamare, ut cuſtodes, ſervi, &c. videntes bona domini, vel ſuæ cuſtodiæ commiſſa dilapidari a conſervis, vel ab aliis, non impedientes, monendo, clamando, vel ſtrepitum faciendo. 2. Confeſſarius ad reſtitutionem ex culpa lata non obligans; excuſatur tamen diſtractione non voluntaria, vel ſi de reſtitutione ſine admonitione facienda prudenter ſit perſuaſus. 3. Impediens obligatum ex juſtitia quocunque modo, ne clamet, vel vi, aut dolo impediens volentem ex charitate contra furem; quia violat jus domini, quod habet, ne ipſius rei defenſio impediatur; 4. Non obligatus quidem ex juſtitia accipiens tamen pecunias, vel gratis promittens, ſe nolle clamare contra furem; quia illum facit ſecuriorem; vel teſtis citatus fugiens, aut verum tacens.

Hinc 8. Non obſtans ex juſtitia obligatus tenetur de damno, ſi omittat favorem, auxilium, operam ad damnum evitandum, ut, 1. Principes, Præpoſiti viarum, Belli Duces, Magiſtratus non impedientes latrocinia, rapinas,

 mono-

monopolia, uſuras, &c. 2. Cuſtodes vinearum, ſylvarum, gabellarum permittentes prædari ſuæ curæ commiſſa. 3. Conſiliarii, Canonici ſuo ſilentio, vel abſentia non impedientes conſtitutiones, vel ſententias nocivas, electiones indignas; tutores non impedientes damna pupillorum. 4. Domini non impedientes damna a feris, vel a beſtiis ſuis illata prædiis, agris, &c. ſubditorum, vel ob ferocitatem notam proximo cauſata; ſi tamen ſine eorum culpa noceant, non tenentur ante Judicis ſententiam; nec obligantur cuſtodes ex induſtria ſe occultantes, ut alios deprehendant; quia nemini injuriam faciunt; imo Sylvius eos etiam a peccato excuſat, ſi, ut deprehenſi efficacius corrigantur, id faciant.

Hinc 9. Non manifeſtans ex juſtitia, & ſimul juramento obligatus contra utrumque peccat, & tenetur de damno non denuncians damnificatorem, vel ante damnum illatum, ut evitetur, vel poſtea, ut factum reſarciatur; niſi damnum eſſet tam leve, & perſona ita pauper, ut dominus non rationabiliter invitus prudenter præſumatur, uti ſunt pauperes ligna caduca, & inutilia colligentes, ut alibi eſt dictum: cuſtodes vero ſylvarum, vectigalium alios non denunciantes, non ſolum ad reſtitutionem damni illati, ſed etiam mulctæ, & mercium Fiſco addictarum teneri videntur; quia non ſolum ex juſtitia damnum impedire, ſed etiam manifeſtando reos, procurare tenentur, ut damna per alios non deprehenſos illata per mulctas, & merces Fiſco addictas reparentur, *Tourn. P. Thom ex Charm.* licet Sylvius cum aliis id neget; quia ſolum ad damnum avertendum, non vero ad Rempublicam mulctis ditandam conſtitutos eſſe, aſſerunt, quod pro cuſtodibus vinearum, & agrorum facilius admittitur, quando mulctæ non damnificatis, ſed Fiſco adſcribi ſolent. Promulgato monitorio malefactorem non manifeſtans tenetur ad reſtitutionem, *Tourn. plura vid. de monit. p. 2.*

Quær. 13. *Cui Reſtitutio ſit facienda, quomodo, & quando?*

Dico. 1. Res aliena debet reſtitui ei, qui jus eam poſſidendi habet, etiamſi non ſit rei dominus; quia ei primario illata eſt injuria; vel domino directo, ſi jus habens poſſidendi nullum inde damnum patiatur; & ignoto domino, pauperibus, vel ad pias cauſas poſt factam diligentem (circiter per 15. vel 20. menſes) inquiſitionem,

Tourn.;

Tourn. ſi tamen ſciatur, pluribus certæ communitatis damnum eſſe illatum, eidem, & non pauperibus reſtituendum; ſi uni ex pluribus, inter eos reſtitutio eſt dividenda. 2. Reſtitui debet res eadem in individuo, vel ſi non extet, ad æqualitatem pro ratione bonæ, vel malæ fidei poſſeſſoris, tota ſimul per ſe, vel per alium; occulte ablata occulte, publice ablata publice, prout pro fama, v. g. reſtituenda, vel ſcandalo reparando neceſſarium eſſe judicatur. 3. Reſtituenda eſt ſtatim, quantum moraliter fieri poteſt, ſi res injuſte ſit acceptata, vel retenta; ſi vero ex contractu ſit debita, tempore per pactum, vel legem præfixo, & quando nullum eſt præfixum, eo, quo exigitur, vel commode fieri poteſt; ſi autem creditor ob metum, impotentiam, vel oblivionem non poſſet debitorem interpellare, tenetur de damnis ex mora, *Tourn.*; ratio prædictorum eſt, quia præceptum reſtitutionis primario negativum eſt, obligans ſemper, & pro ſemper; niſi extrema, vel etiam gravis neceſſitas corporalis, vel ſpiritualis propria, vel aliena a reſtitutione ſtatim facienda excuſet; quia tunc dominus non eſt rationabiliter invitus, niſi etiam eſſet in eadem neceſſitate, & tunc melior eſt conditio innocentis; nec tenetur de lucro ceſſante, vel damno emergente ex dilatione in extrema, vel gravi neceſſitate ſecuto; quia non eſt culpabilis, ea tamen finita reviviſcit obligatio reſtitutionis.

Hinc 1. Equus pro itinere conductus furto ablatus reſtitui debet conductori, veſtis apud ſartorem ablata, ſartori, farina in molendino, molitori; quia iſti per reſtitutionem domino directo factam ob negligentiæ ſuſpicionem inde oriendam damnum paterentur; vaſa autem aurea depoſitario ablata, domino directo reſtitui poſſunt.

Hinc 2. Res furtiva furi ablata, vel mala fide ab eo empta, 1. non furi, ſed domino eſt reſtituenda, etiam cum amiſſione pretii, & domino eam non repetente; quia, cum ſit in mala fide, dominus debet indemnis ſervari. 2. Res a fure bona fide empta etiam domino eſt reſtituenda, ſi dominus illam juridice, vel privatim exigat, non ſolum ſi nulla ſit ſpes recuperandi pretium a fure, vel fure non amplius comparente, vel nolente refundere pretium, ſed etiam, ſi rem furi reſtituendo, pretium recuperari poſſit, *Bill.*, *& alii communiter*; an autem etiam motu proprio rem furtivam bona fide emptam,

quamprimum innoteſcit, eſſe furtivam, teneatur reſtituere domino, cum periculo, vel amiſſione pretii, non conveniunt auctores; eam etiam periclitante, vel cum amiſſione pretii proprio motu domino eſſe reddendam, negant *Navarrus*, *Sylveſter*, *Leſſ. de Lugo*, *Vaſq.* & alii. 1. Quia rem furtivam reddens furi pro ſuo pretio recuperando, eam reponit in eo ſtatu, in quo antea fuit, ac proinde nemini facit injuriam. 2. Nemo tenetur damnum alterius avertere, vel procurare illius bonum cum æquali ſuo damno. 3. Dominus non poteſt eſſe rationabiliter invitus, quod emptor potius conſulat rebus ſuis, quam alienis. Econtra, eam domino non exigenti, & proprio motu eſſe reddendam, etiam periclitante, vel cum amiſſione pretii, aſſerunt *Cajetanus*, *Soto*, *Sylvius*, *Medina*, *Tournely*, *Henno*, *Billuart*, ac alii. 1. quia res ubicunque ſit, clamat domino ſuo. 2. Quia ſecuritas rei apud emptorem eſt rei melioratio quoad ſtatum ad dominum ſpectans, quæ ſine injuſtitia, ac domini injuria non poteſt ab ea tolli, reponendo eam in ſtatu priori periculoſo. 3. Non licet damno alterius cooperari rem in tuto poſitam reponendo in ſtatu priori periculoſo; imo periculoſiori; fur enim rem reſtitutam ob periculum probabiliter longius diſtrahet, & difficilius fit recuperabilis. 4. Quia non licet eam vendere alteri pro ſorte recuperanda, nec in ſuos uſus convertere; ergo nec reddere furi, quæ opinio videtur probabilior, & in praxi tenenda. Poteſt tamen res a fure bona fide empta, furi reſtitui pro recuperando pretio, ſi furi reddita probabiliter domino ſit ab eo reſtituenda, vel ſi in manibus furi a domino prudenter admonito probabiliter ſit deprehendenda, *Bill.*; quia dominus non poteſt eſſe rationabiliter invitus, ut emptor recuperet ſuum pretium ſine illius præjudicio; vel ſi ipſemet emptor in ſuſpicionem furti inde veniret; quia non tenetur cum amiſſione boni altioris ordinis damnum alterius avertere, vel bonum promovere; vel ſi res nondum furi eſſet ſoluta, & emptor eam furi deberet ſolvere, vel reddere, cum non poſſit probare eſſe furtivam; quia ſic auferens furi veſtem Petri, ut eam ipſi Petro reddat, & ſi fur ipſi auferat pallium, niſi veſtem Petri ei reſtituat, poteſt eam furi reſtituere; ſic res alienas ex naufragio in ſuam navim recipiens, poteſt illas exurgente nova tempeſtate iterum projicere in mare; quia poſſeſſor

bonæ

bonæ fidei non tenetur propriis impenſis, vel cum præjudicio ſuarum rerum, rem procurare alteri; econtra vero ſi res jam eſſet ſoluta, teneretur eam reddere domino, & non furi; quia poteſt ei reddi ſine impenſis faciendis, & damnum, quod emptor patitur, non ſequitur ex redditione rei, ſed jam antea eſt ſecutum ex malitia furis vendentis, quod non ſuum erat, vel ex imprudentia, aut adverſa fortuna emptoris. 5. Rem a fure emptam & bona fide vendens alteri, ſi dominus reſcindat contractum, ſuam rem revendicans, tenetur emptorem indemnem ſervare, refundendo ei pretium; ſi autem dominus venditionem ignoret, tenetur ipſemet revenditor reſciens, eſſe rem furtivam, eam repetere ab emptore, refuſo ipſi pretio, & eam reſtituere domino, *Billuart*; quia venditio fuit de re non ſua, & domino ſuo clamat, uti ſupra, nec ſufficit ei cedere actionem in furem; quia ipſe cum illo nullum habuit negotium, & venditor juxta jura tenetur de evictione rei venditæ, *Bill.* verum, ſi ſecundus emptor non amplius compareat, vel res apud eum bona fide fuiſſet conſumpta, vel ab ipſo primo emptore in ſuum uſum converſa, an pretium a primo emptore ſit domino reſtituendum, iterum duplex eſt opinio, utrinque probabilis. Eum non teneri reſtituere pretium multi docent, 1. quia dominus nullum habet jus; nec ratione injuſtæ acceptationis; quia eſt poſſeſſor bonæ fidei; nec ratione rei; quia non amplius apud ipſum extat. 2. Quia tantum accepit a ſecundo emptore, quantum dedit furi, & poſſeſſor bonæ fidei tenetur tantum ad id, ex quo factus eſt ditior, & ſi carius rem vendiderit, tenetur tantum lucrum accreſcens reſtituere domino. Eum autem teneri etiam reſtituere pretium domino aſſerunt *Bannes Sylvius*, ac alii apud *Bill.* 1. quia licet res non amplius extet, ipſius tamen valor, ac pretium adhuc apud primum emptorem rei furtivæ eſt exiſtens. 2. Primus emptor nullum acquiſivit dominium firmum iſtius pretii; non enim venditione; quia res vendita non fuit ſua; nec compenſatione; quia illa non a ſecundo emptore, ſed a fure eſt repetenda; nec ex intentione ſecundi emptoris, qui intendit transferre dominium pretii in dominium domini rei, & non venditoris rei non ſuæ. 3. Quia non ſolum fit ditior ex major pretio, ſed etiam ex toto; qui illud habet ex re non ſua, nec poteſt ſuccedere in locum pretii

 da-

dati furi, quod ipſi periit, & a fure repetendum eſt; unde, cum vix appareat, quænam ex utraque opinione ſit probabilior, in dubio ſecurior, quæ eſt ultima, tenenda videtur.

Hinc 3. Sciens 1. miles oppidum, vel Præfectus militiæ provinciam, ignorantes vero eos, quibus in illis damna intulerunt, tenentur reſtituere oppido, vel provinciæ. 2. Sciens fuiſſe Judeos, vel hæreticos, non poteſt reſtitutionem facere Catholicis. 3. Sciens uni ex tribus fraude lucratum fuiſſe, tenetur cuilibet dare partem lucri, & partem lucri, quod unus eorum lucratus fuiſſet, ſeclusâ fraude. 4. A diſſipatore prælato acquiſita Eccleſiæ, ſeu Conventui illius, non prælato, reddenda ſunt, & a marito diſſipatore accepta, uxori, non marito reſtituenda ſunt, *Pont.* 5. Ænopoli, laniones, mercatores, &c. minori menſura, ac pondere, &c. vendentes, tenentur in iiſdem locis vendere menſura, vel pondere majori, aut minori pretio, & partem reddere pauperibus pro extraneis non amplius ad eos redeuntibus. 6. Uſurarii publici tenentur reſtituere publice per Eleemoſynas publicas, ut ſimul ſcandalum reparetur; quia a Curia ſuprema in pœnam utriuſque, dantis, & accipientis, pro pauperibus obligantur. 7. Creditor tenetur acceptare ſolutionem debiti, etiamſi tempus ſolutionis ſit fixum, ſed in favorem debitoris, ſecus ſi in favorem creditoris ſit determinatum.

Hinc: 4. Excuſantur a reſtitutione ſtatim facienda, 1. qui non poſſunt reſtituere, niſi filii præ inopia latrocinentur, vel filiæ proſtituantur, vel domum, aut prædium multo minoris, quam valet, vendant, in fama, vel honore graviter lædantur, operariis in ſumma neceſſitate conſtitutis mercedem debitam negent, ſtatum juſte acquiſitum notabiliter diminuant; de decentia autem ſtatus, qui non conſiſtit in indiviſibili, aliquid detrahere tenentur, ut reſtitutio ſaltem ſucceſſive fiat, & injuſte acquiſitum diminuere, ſi ſciatur fraudibus fuiſſe acquiſitum, non vero ſi ignoretur, & ſine ſui diffamatione eum diminuere nequeant, *Thom. ex Charm.* 2. Nec debet reſtitui res, v. g. equus pro capienda in extrema neceſſitate fuga acceptus, & conſumptus, ſecus ſi illa tranſacta remaneat, vel antea injuſte fuiſſet ablatus. 3. Excuſatur a reſtitutione ſtatim facienda, ſi prævideat dominum ea abuſurum, v. g. pecunia reſtituta beneficium empturum, vel mulie-

mulierem depravaturum, reſtituta clave adulterina ad furta, vel libro de arte magica ad ſuperſtitionem uſurum.

Quær. 14. *Quo ordine debita ſolvenda ſint?*

Dico. Si bona debitoris ſufficiant pro omnibus debitis, cuilibet nullo ſervato ordine ſatisfaciendum eſt; ſi autem non ſufficiant, ſequentes ſervandæ ſunt regulæ. 1. res aliena adhuc exiſtens domino, & non in aliorum debitorum ſolutionem tradi debet, & ſi ignoretur, pauperibus, niſi ipſemet debitor eſſet impar aliis debitis, tunc ſub titulo paupertatis illam retinere, & aliis creditoribus ex illa ſatisfacere poteſt. 2. In Gallia venditor non accepto pretio pro re vendita, cæteris præfertur creditoribus, etiam Regi, habetque jus rem immobilem inſequendi quocunque tranſierit; quia ipſi tacite eſt hypothecata, non ita res mobiles, quas revenditas inſequi nequit juxta *Edictum Regis* 1669. *art.* 3. Niſi venditæ fuiſſent cum ſpe promptæ ſolutionis, nullo præfixo ſolutionis termino, *Tour.* Jure autem communi non præfertur venditor aliis creditoribus, ſi res vendita non amplius exiſtat apud emptorem, vel ſi emptor ſolutionem obtulerit, & non fuerit acceptata, vel ſi fidejuſſorem, aut pignus dederit, vel venditor promiſſione ſolutionis contentus fuerit; *Vaſquez*, *Lugo*, *& alii apud Tourn. contra alios*; niſi eſſent res ad Eccleſiam, Fiſcum, ſeu minores pertinentes; quia iſtarum dominia non ſecuta ſolutione non transferuntur, *ibid.* 3. Impenſæ pro funere, curatione, inventario, & alia debita privilegiata ſolvi debent ante non privilegiata. 4. Certa ante incerta. 5. Ex delicto, vel titulo oneroſo, ante debita ex titulo gratioſo; non vero ex delicto ante debita ex contractu oneroſo, ſed in eodem ordine, *Tourn. & alii ibid.* 6. Habentia hypothecam ſolvi debent ante non habentia, & inter hypothecaria priora ante poſteriora, ſive ſpecialia, ſive generalia, expreſſa, vel tacita ſint; niſi poſteriora eſſent privilegiata. 7. Inter perſonales, ſeu pure chirographarios creditores nullus eſt ordo, ſed ſingulis pro rata ſatisfaciendum, ſive priores, ſive poſteriores ſint; niſi ſint privilegiati, vel ſolutionem prius exigant in Judicio, *Lugo, & alii*; vel ut alii volunt, etiam extra Judicium, *Pont. Sylveſt. Nav. apud Tourn.* quia vigilantibus jura ſubveniunt; conſuetudo tamen in his, & ſimilibus eſt conſulenda; nec pauper diviti præferendus,

niſi

Digitized by Google

niſi in extrema, & ut alii volunt etiam in gravi neceſſitate, *Sylv. Med. & alii apud Tourn.*

Hinc: graviter peccat, & tenetur ad reſtitutionem, 1. depoſitum, pignus, commodatum, acquiſita furto, uſura, &c. pro ſolvendis aliis debitis impendens. 2. Legata, donationes, vota realia defuncti ſolvens, ſi ſucceſſio ſit impar aliis debitis, mutuo, emptione aliove titulo oneroſo contractis. 3. Solvens, vel acceptans ſolutionem debiti aliis prætermiſſis potioribus jure, vel privilegio, vel etiam æqualibus; quia cooperatur injuſtæ aliorum creditorum damnificationi, niſi illum inter æquales exigendo in, vel extra Judicium ſolutionem, vel in extrema, vel gravi neceſſitate charitas fecerit potiorem, ſecus inter æquales videtur ſolutio dividenda. 4. Accipiens aliquid a debitis gravato titulo gratuito, donatione per modum Eleemoſynæ, &c. ſciens eum propterea conjiciendum in impotentiam ad reſtituendum aliis; mutuo tamen data ad militiam proficiſcenti ſolvenda ſunt in gratiam Republicæ ante dotem, licet dote ſint poſteriora, *Tourn.* 5. Pecunia ad navem alteri creditori priori hypothecatam armandam, vel reficiendam accepta etiam ante dotem eſt ſolvenda, licet ſit prior; ſimiliter deponens pecuniam apud numularium ſine uſura præfertur aliis creditoribus perſonalibus, & ſponſa in bonis ſponſi ratione dotis traditæ non ſecuto matrimonio, *ita in Jure*. Plura vide apud Juriſtas.

Quær. 15. *Quo in loco, cujus impenſis, & periculo facienda ſit Reſtitutio?*

Dico. 1. Poſſeſſori bonæ fidei ſufficit, ut reſtituat rem ex re accepta debitam in loco, ubi illam poſſidet, non propriis, ſed domini impenſis, & periculo, adhibita tamen diligentia ordinaria; quia poſſeſſor bonæ fidei nihil tenetur pati, cum nulli fecerit injuriam; & ſi impenſæ majores eſſent faciendæ, quam res valet, ab eodem pauperibus, vel loco pio eſt tribuenda. 2. Res vero debita ex injuſta acceptione, detentione, vel damnificatione reſtitui debet propriis impenſis, & periculo, & in loco, ubi dominus eam, ſi non fuiſſet ablata, poſſeſſurus erat; quia dominus injuſte læſus nihil debet pati. 3. Res autem debita ex contractu impenſis illius, in cujus vergit utilitatem, & ſi in utriuſque cedat utilitatem, & illius impenſis, ad cujus exigentiam ſolet fieri, & periculo illius, cujus eſt dominium; niſi creditor mittenti perſonam

aſſi-

aſſignaſſet, in cujus manu periit, *ita in Jure*. 4. Res empta debet ſolvi, ubi emittur, niſi aliter ſit conventum, *Tourn*.

Hinc. 1. Talerus a poſſeſſore bonæ fidei debitus exiſtenti apud Indos probabiliter non amplius reverſuro pio loco, vel pauperibus erogandus; centum aurei eidem injuſte ablati, & ſine maximis impenſis, ac periculis non reſtituendi, debent in loco tuto reponi, vel differri reſtitutio, donec redeat, vel alio tempore minoribus, æque tamen certo, ac facile fieri poſſit, vel donec poſſeſſor malæ fidei a creditore ſciat, quid de iis faciendum, *Tourn*. ſi autem non ſit redditurus, vel poſtea non amplius fieri poſſet, tenetur malæ fidei poſſeſſor ad impenſas etiam ſummam debitam excedentes, etiam in quadruplum, *Cajet*, *apud Pont. V. reſtitut. caſ.* 189. Alii putant illus conſanguineis, aut pauperibus eſſe diſtribuendos, *apud Tourn*. quod verum videtur, ſi propter impenſas exceſſivas ad extremam, vel ſaltem gravem reduceretur neceſſitatem, vel alias res eſſet domino non adeo neceſſaria, pro qua chriſtiane, ac rationabiliter tantas impenſas exigere non præſumitur. 2. Donatarius, vel legatarius tenetur rem ſibi donatam, vel legatam ſibi ſuis impenſis procurare. Si hæres rem legatam alio tranſtulerit, tenetur eam ſuis ſumptibus eo reddere, ubi abſtulit, niſi alio translata fuerit in favorem legatarii, vel in ipſius commodum cedat, ſi ibi maneat. 3. Res bona fide poſſeſſa ratione rei acceptæ ad dominum miſſa perit domino, dummodo perſonam alias communiter pro fideli habitam adhibuerit; debita vero ex injuſta acceptione, retentione, vel damnificatione perit mittenti, quacunque adhibita diligentia, etiam per Confeſſarium, donec reddatur domino, *Reg. Jur.* 86. *in* 6. quia innocens nihil debet pati. 4. Equus conductus, vel commodatus, debet propriis impenſis reſtitui; quia ad petitionem accipientis fuit conceſſus; depoſitum vero impenſis depoſitoris, licet depoſitarium ſolverit; quia ad petitionem deponentis fuit acceptum; res tamen depoſita, locata, vel commodata perit creditori; quia illius manet dominus. 5. Pecunia mutuo accepta perit mittenti, nempe mutuatario; quia illius eſt dominus; niſi mutuans pro illa tranſmittenda perſonam deſignaverit, vel mittenti deſignandam commiſerit, vel Judicis auctoritate determinata fuerit; pallium vero mutuo acceptum perit mutuanti; quia illius manet dominus, *Tourn*.

Quæ.

Quær. 16. *Quotuplex ſit ordo bonorum?*

Reſp. Bonorum ordo triplex eſt, ſupremus, medius, & infimus, 1. in ſupremo ordine ſunt vita, membra, ſanitas, libertas, virginitas, ad quæ revocantur bona animi naturalia, ingenium, memoria, uſus rationis, ſcientiæ, artes, officia, beneficia; & ſupernaturalia, gratiæ, virtutes, dona ſpiritus ſancti. Status Religionis ſaltem mediate. 2. In medio honor, & fama. 3. In infimo bona fortunæ, divitiæ, &c.

Quær. 17. *Quænam ſint cauſæ excuſantes a Reſtitutione?*

Dico. Cauſæ excuſantes a Reſtitutione ſunt 1. præſcriptio, de qua ſupra. 2. Compenſatio a debitore facta, de qua infra. 3. Creditoris condonatio libera, a lege non prohibita, nec jure invalida, etiam virtualis prudenter præſumpta, ſaltem in rebus parvi momenti uſu condonari ſolitis. 4. Si ſine notabiliori bonorum ordinis ſuperioris diſpendio fieri nequeat; non vero excuſatur quis a reſtitutione, 1. ſi damnum in bonis inferioris ordinis æquivalere, vel prævalere prudentum æſtimatione judicetur jacturæ bonorum ſuperioris ordinis, & ſi damnum illatum ſit in bonis ſuperioris ordinis, compenſari debet bonis infimi ordinis, ſaltem quoad damna realia inde ſecuta, ſi aliter compenſari nequeant. 2, Nec excuſatur per ceſſionem omnium bonorum, etiam in judicio factam; neceſſaria tamen ad parcam ſui, ſuorumque ſuſtentationem retinere poteſt. 3. Nec per condonationem dubiam, ſeu non moraliter certam. 4. Nec per donationem æquivalentem creditori factam ſine memoria debiti, vel intentione pro eo ſatisfaciendi. 5. Nec ſolvendo debita creditoris apud alium facta, ſaltem in foro externo, niſi propter eundem debitorem eſſent facta, v. g. pro pecunia ipſi mutuo data; imo nec in foro conſcientiæ, ſi fiat in præjudicium aliorum creditorum, privilegium, hypothecam, præcedentiam habentium, & ſine aliorum præjudicio ſaltem eſt illicita. 6. Nec quis liberatur ob ingreſſum Religionis. 7. Nec ob rei interitum, niſi ſit bonæ fidei poſſeſſor. 8. Nec ob privationem lucri proprii etiam magni licet eam differre; niſi per illud aliorum creditorum ſolutionem intenderet, ad quam alias fieret impotens; quia tunc creditor ex charitate erga alios dilationem concedere debet, ſicut pro ſe fieri vellet.

Hinc. 1. Invalida eſt remiſſio reſtitutionis diſtributionum facta

facta a Capitulo Canonico a Choro abſenti, vel Officium non recitanti, *Conc. Trid. & Later.*; vel remiſſio facta Epiſcopo viſitanti, & accipienti aliquid ultra victum, vel facta Judici delegato præter modicas expenſas aliquid accipienti a partibus, vel facta ab ebrio, furioſo, pupillo, vel ex errore, vi, metu, fraude; quia jure eſt irrita; excuſantur tamen ſæpe a Reſtitutione filiifamilias parentibus valde chari in furtis pravi momenti, famuli dominis amici, vel conſanguinei eſculenta, vel poculenta ſurripientes, & pro ſe utentes, præcipue ſi domini ſint liberales; non vero a reſtitutione excuſantur capitanei minorem numerum militum habentes, & pro integro ſtipendium accipientes; quia Rex non ſolet condonare, *Pont. caſ.* 1. *V. Capitaine*; nec ruſticus, vel alius infimæ conditionis auferens centum aureos, ſed tenetur eos reſtituere, quamvis notam raptoris incurrat, vel iter pro ea facienda morbum facile curandum cauſet, *Lugo*, *Tourn.*; quia licet fama, & ſanitas ſint ſuperioris, ac diverſi ordinis, æſtimatione hominum æquiparantur reſpectu perſonæ infimæ ſortis; non vero periculo amiſſionis vitæ, libertatis membrorum; nec tenetur adultera revelare crimen, ne in diviſione bonorum filii legitimi damnificentur. 2. Conducens domum ab eo, qui illam ab alio conduxit, poteſt alteri, nempe proprio domino ſolvere pretium; quia eſt quaſi idem debitum.

QUÆSTIO VII.

DE RESTITUTIONE IN PARTICULARI.

Quæritur. 1. *Ad qualem teneatur Reſtitutionem bona animi lædens?*

Reſp. Præn. Damnum aliud eſt naturale, ſeu perſonale, quod afficit perſonam privatione bonorum animi, vitæ, membrorum, &c. aliud reale, quod ex amiſſione perſonalium, ut occiſione, mutilatione, &c. oritur. Hoc notato.

Dico. Qui vi, metu fraude, mendaciis in bonis animi naturalibus, vel ſupernaturalibus alicui nocuit, inducendo

do eum in peccatum, vel errorem, vel male inſtruendo doctrina proximo nociva, vel a Statu Religioſo avocando, tenetur ex juſtitia eum libertati reſtituere, tollendo vim, minas, fraudem, detegendo errorem, & mendacium, aliaque reparare damna inde ſecuta, compenſando Religioni ſpem commodi temporalis ex Novitii donatione, labore, induſtria; & ſi fuiſſet jam profeſſus, tenetur ad omnia damna, & emolumenta, quæ docendo, concionando, domus negotia agendo erat procuraturus, & ad damna profeſſi, eumque in priorem ſtatum reſtituere; quia ipſi, & Religioni fecit injuriam; qui vero ſolum precibus, muneribus, conſilio, ſnaſione alium in peccatum induxit, vel non profeſſum a Religione revocavit, ex juſtitia ad nihil teneri videtur; quia relicta ipſis libertate ſua ſponte peccaſſe cenſentur, niſi eſſet ſuperior; quia ex juſtitia ſalutem ſuorum ſubditorum procurare tenetur; vel in peccatum proximo nocivum induxiſſet; ex charitate tamen, contra quam peccavit, tenetur, omni, qua poterit, via niti, ut eum, cui petra ſcandali fuit, Deo reconciliet, & Religioni, vel cui peccato nocuit, ex juſtitia ſatisfacere, *Tourn.*

Hinc 1. Ratione ſtipendii, vel officii etiam gratis aſſumpti obligatus male, vel negligenrer docens ſcientiam, vel artem, tenetur reſtituere partem ſtipendii accepti negligentiæ proportionatam, & alia damna ſuis alumnis, & aliis inde orta, ut mortis, tardæ curationis, ſententiæ injuſtæ ex male, vel negligenter docta arte Medicamentaria, Medicinæ, Chirurgiæ, Juris, &c. niſi diſcipulum de errore edocto monuerit ante damnum ſecutum, vel ignorantiam, & obligationem artem melius addiſcendi ipſe diſcipulus agnoverit, non vero tenetur, ſi nec ratione ſtipendii, nec officii docere, fuerit obligatus; bene autem animadvertens, ſe ex ignorantia male docere, *Tourn.* 2. Graviter, vel leviter peccant pro gravitate, vel levitate damni, vel injuria graduati ſine competente ſcientia vi graduum beneficia obtinentes, vel Univerſitatum Rectores, aut Profeſſores gradus imperitis conferentes; quia publicam fallunt fidem in re gravi, ac aliis diurno ſtudio graduatis injuriam faciunt; vel juvenum fraudi patrocinantes, atteſtantes, eos exacte interfuiſſe lectionibus, qui bis ad ſummam in hebdomade frequenta vere, licet domi ſtuduiſſent; quia ſpiritum, & li-

& literam legis implere tenentur; nec videntur abſolutione digni, niſi beneficia dimittant, qui, cum per requiſitum tempus in Univerſitate non ſtuduerint, virtute graduum ſub falſis atteſtationibus obtentorum, beneficia ſibi compararunt; quia patrono, aut collatori, aliiſque, qui ſedulo ſe applicarunt, injuriam faciunt. 3. Prælati ad facilius ſuis conſanguineis, vel amicis beneficium procurandum viros capaciores a concurſu excludentes; vel iis, quos noverint obtinendi beneficii cauſa Romam ſcripſiſſe, literas intercipientes, vel retardantes, tenentur ad reſtitutionem ſaltem pro ratione ſpei, non vero, ſi ſolum ſine fraude eos prævenire, vel precibus, conſilio, ſuaſione, blanditiis officium, beneficium procurare conarentur, vel ſolum indignum, vel etiam dignum vi, metu, dolo ac beneficio arcerent, ut dignior promoveatur, *Tourn.*; famam tamen læſam reſtituere tenentur. 4. Artifices alios dolo, &c. ab acquiſitione ſuæ artis impedientes, qua ſe, ſuoſque alere potuiſſent, tantundem iis reſtituere tenentur, niſi idem alio modo lucrari poſſint. 5. Philtro, vel veneno alium uſu rationis, memoriæ, &c. privans, ne officium, debitum conjugale, & ſua negotia, &c. peragere, & alimenta pro ſe, & ſua familia lucrari valeat, præter reſtitutionem ſanæ mentis, tantum tenetur refundere, quantum officio, arte, labore, lucrari potuiſſet, vel alteri pro ſuis negotiis agendis ſolvere debuit. 6. Superior, pater, dominus ſua auctoritate, vel alius falſa delatione inimicitias cauſans, vi, metu, ſuos ſubditos in hæreſi, ſchiſmate retinens, alios hæreſim docens, vel juvenis puellam ſeducens, tactus, pollutiones eſſe licitas, docens, tenentur ex juſtitia reconciliationem procurare, vim, metum tollere, errorem revocare, etiam publice, ſi opus fuerit, etiamſi quis bona fide falſum docuiſſet, quod poſtea ab Eccleſia reprobatum fuit, & ſi ſine fraude, vel metu prædicta fecerit, tenetur ſaltem precibus lacrymis, jejunio, & omni, qua poteſt, via ad meliorem frugem ſaltem charitate, & ſi eſſet ſuperior, vel parentes, reſpectu ſubditorum ex juſtitia revocare, *Tourn.*; inducens in veniale tantum venialiter peccat. 7. Alium vi, metu, fraude, &c. impediens a profeſſione, præter libertatem, tenetur ad damna pro ratione ſpei hæreditatis, dotis, &c. & Religioni ut ſupra. Ad nihil tamen tenetur, ſi remotus adhuc fuiſſet a profeſſione, & ob natura-

turalem inconſtantiam probabiliter ſponte erat receſſurus, vel per ejus profeſſionem Religio plus damni percepiſſet, vel Religioni ineptus, vel in ſæculo plus boni operaturus, vel parentibus neceſſarius eſſet, vel in Religione vigeret ſæculi amor, mores mundani, ſpiritus ſchiſmatis, & erroris, ac proinde ipſe Religioni, ac Religio ipſi nociva eſſet: ſi autem jam fuiſſet profeſſus, tenetur ad omne damnum emergens, & lucrum ceſſans, ſive, vi metu, dolo, ſive blanditiis, conſilio, ſuaſione, ejus egreſſum cauſaverit.

Quær. 2. Quid ſit Homicidium, & ad qualem Homicida teneatur reſtitutionem?

Dico. Homicidium eſt voluntaria, ac injuſta hominis occiſio; nec licet occidere, vel mutilare malefactores, niſi auctoritate publica, quæ Dei Auctoris vitæ, ac mortis perſonam gerit, & injuſtus homicida, vel vulnificus; tenetur 1. ad omnia damna tam ſpiritualia per Preces, Sacrificia, Eleemoſynas, quam temporalia hæredibus neceſſariis, parentibus, uxori, & infantibus inde ſecuta; quia ſunt quaſi una cum occiſo perſona. 2. Ad damna perſonalia, & omnium, quorum eſt cauſa, non quidem ad æqualitatem, quoad damna mortem ſecuta, ſed ſecundum moralem prudentum æſtimationem juxta conditionem occiſi, ætatis, induſtriæ, ſanitatis, officii, profeſſionis, artis, &c. 3. Quoad perſonalia, vitæ, & membrorum aliqua ſaltem debet fieri compenſatio pro injuria, & contemptu veniam petendo, vel ſi eſſet longe ſuperioris conditionis, dolorem exhibendo: an autem etiam teneatur mortem, membra, ac dolores pecuniis compenſare, diviſi ſunt Auctores; eum teneri aſſerit *Tournely*, *Thomas ex Charm.*, *Cajet.*, *Valent.*, & multi alii; quia omne damnum debet compenſari, ſi non poſſit ad æqualitatem, ſaltem in quantum fieri poteſt, ſicut qui non poteſt reſtituere totum reale, tenetur ad partem. Non teneri probatur 1. *Exod. 21. v. 19.*; ubi pro vulnere ſolum requiritur, ut operas ejus, & impenſas in Medicos reſtituat. 2. Ex Jure civili. 3. Quia bona ſuperioris ordinis ſunt incompenſabilia per bona inferioris ordinis. 4. Quia homo non eſt dominus vitæ, & membrorum; ergo nihil pro ipſis, ſed ſolum pro eorum uſu debetur, *ita Leſſius*, *Nav.*, *Rannet*, *Paul. Lugd. & Recentiores communiter apud P. Gerv.*; pro occiſo vero Sacrificia, & pre-

ces

ces offerre, ſi non teneatur ex juſtitia, ſaltem æquitati eſt conſentaneum.

Hinc 1. Graviter peccat auctoritate privata occidens latrones, & fures, licet morte dignos, vel alios pro conſervatione bonorum fortunæ, *Innoc. XI. in damnation. propoſ.* 30. & 32.; vel pro defenſione honoris, & famæ, *Alex. VII. in damnat. propoſ.* 30.; quia vita eſt ſuperioris ordinis; vel pro tuenda pudicitia; quia ſufficienter conſervatur, reſiſtendo omnibus aliis modis, *S. Aug.* vel accuſatorem, vel falſos teſtes, aut Judicem injuſtum, licet quis vitam alia via ſervare non poſſet, *Alex. VII. in damn. propoſ.* 18.; quia non ſunt actuales aggreſſores, ſed ſolum calumniatores; vel injuſtum invaſorem, niſi ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, pro quo requiritur; 1. ut non mortem alterius, ſed vitæ ſuæ conſervationem intendat; & ſuam, vel proximi vitam alio modo, v. g. fugiendo, &c. ſervare nequeat. 2. Ut defenſione non excedat, v. g. occidendo, cum ſe ſervare poſſet vulnerando. 3. Ut aggreſſor ſit actualis; non tenetur tamen exſpectare primum ictum, ſed videns latronem, vel inimicum parare catapultam, ſtringere enſem, Poteſt illum prævenire; quia ſufficit, ut aliquid agat, quo certo cenſetur moraliter aggrediens, & niſi præveniat, ipſe ſit occidendus. Sic uxor deprehendens maritum ſub cervicali habere pugionem latentem ad ipſam dormientem occidendam ſine alia ſpe evadendi, niſi ipſum occidat, poteſt eum occidere, *Billuart*, ſervus ſciens a domino vocari, ut ipſum occidat, vel ab inimico exſpectari ad necem, nullo alio apparente effugio, niſi eos occidendo præveniat, poteſt eos prævenire, eos occidendo, *Billuart*; quia non eſt actio aggreſſiva, ſed defenſiva; quamvis in his major ſit difficultas, cum aggreſſio ſit remotior; nec vulgo rudi dicendum, ne abutatur, *Henno*; poteſt etiam ſe defenſione occiſiva defendere filius contra patrem, laicus contra Clericum, ſubditus contra Superiorem, ſervus contra dominum, modo illius vita ob neceſſitatem Reipublicæ non prævaleat propriæ, *Billuart*; etiamſi invaſor eſſet materialiter tantum injuſtus, ut amens, furioſus, vel invincibiliter exiſtimans, bannitum, qui non eſt, *Billuart*; quis licet vim vi repellere, etiamſi invaſor, ut ebrius, furioſus credatur in ſtatu peccati mortalis, & aggreſſus in ſtatu gratiæ; quia licet aggreſſor videatur eſſe in extremo ſalutis

 peri-

periculo corporali præferendo, aggreſſus eidem, quamvis non tam certo, exponitur; quia quamvis nullius peccati ſit conſcius, propterea tamen juſtificatus non eſt, nec mors propria remedium eſt efficax ſalutis aggreſſoris, nec ideo certo ſalvabitur: virtutem tamen non exiguam exerceret ex vero Dei amore, & proximi exponens animam ſuam pro inimico. Item poteſt ſe defendere defenſione occiſiva, etiamſi cauſam dederit invaſori per calumniam, adulterium &c. *Bill. & comm. contra Pont.* quia invaſor per crimen alterius non acquirit jus privata auctoritate eum occidendi, niſi eſſet bannitus, vel proſcriptus; quia tunc ageret ex auctoritate publica, ubi jus permittit cuilibet occidere bannitum; imo etiamſi invaſus non poſſet ſe defendere contra injuſtum invaſorem, niſi cum occiſione tertii innocentis, quem invaſor ante ſe ponit, vel fugiendo, conculcando equo, vel curru in via jacentem, v. g. claudum, vel infantem; quia mors innocentis eſt per accidens, & ex occurſu innocentis non privatur jure ſuo, & plus ſe, quam proximum amare debet; niſi infans nondum eſſet baptizatus; quia tunc vita illius æterna corporali propriæ eſſet præferenda. 4. Ut conſtet invaſorem velle occidere; quia volentem tantum mutilare per ſe non liceret occidere: quia non ſervaretur æqualitas, & moderamen inculpatæ tutelæ; ordinarie tamen, cum ex mutilatione immineat ſimul mortis periculum, poſſe occidere invaſorem mutilare volentem, putat *Billuart*; non vero tenetur pro defenſione propriæ vitæ occidere invaſorem, præcipue ſi ſit in bono, & invaſor, ut ſupponitur, in malo ſtatu; quia bonum virtutis, ac ſalus proximi poteſt præferri vitæ propriæ particulari; nec tenetur ita defendere vitam proximi; quia debet æqualiter utrumque amare invaſorem, & aggreſſum, & ſi melior ſit conditio innocentis, melior eſt conditio vitæ æternæ nocentis; niſi id exigat efficium, ut Principis, & Magiſtratus, qui tenentur ex juſtitia: vel ſi invaſus eſſet pater, mater, proles, vel conjux; quia ex charitate ſpeciali titulo his ſubvenire tenetur, poteſt tamen ita defendere proximum; quia, cum teneatur eum diligere ſicut ſeipſum, poteſt ei, ut ſibi ipſi, ſuccurrere defenſione occiſiva, niſi invaſor eſſet pater, mater, filius, vel conjux; quia eos occidere repugnat naturæ, rationi, & ordini charitatis.

Hinc

Hinc 2. Graviter peccat 1. directe procurans abortum, ſive fœtus ſit animatus; quia tunc eſt homicidium cauſans irregularitatem; *cap.* 20. *de Homic.* quod ſolet contingere in maſculo poſt 40. dies a conceptione, & in fœmina poſt 80. dies, uti Jura ſtatuunt; ſive non ſit animatus, etiamſi fieret, ne puella deprehenſa occidatur, vel infametur; quia fœtus non eſt injuſtus aggreſſor, *Innoc. XI. in damnatione propoſ.* 34; vel indirecte, ſumendo pharmacum in curationem matris pro ſalvanda ejus vita, ſi fetus ſit animatus, vel dubitetur an ſit animatus; quia ſalus æterna prolis per baptiſmum, vitæ matris eſt præferenda; ſecus ſi conſtet, fœtum non eſſe animatum, vel ſine pharmaco non vivum pariendum; nec excuſantur negligentia, ſaltando, inordinate laborando, grave pondus ferendo, violenter iraſcendo, vel percutiendo a viro ex ira, vel laſciviendo, vel in lecto parvulos ſecum dormientes ſuffocantes; hi tamen indirecte abortum cauſantes non incurrunt cenſuras contra abortum procurantes, *Bill.* quia ſtricte procurare abortum eſt ſtudioſe, ac ex induſtria agere ad ejectionem fœtus, quod prædicti non faciunt. 2. Graviter peccat occidens Principem tyrannum, *Conc. Conſt.*; vel Regni, aut Status uſurpatorem, vel tradens iis innocentem, vel filiam violandam, niſi fiat indirecte, eos excludendo extra civitatem ad evitanda graviſſima mala. 3. Graviter, vel leviter peccat pro quantitate exceſſus, alium verberans, etiam correctionis cauſa, niſi ſit pater reſpectu filii, dominus reſpectu ſervi, magiſter reſpectu diſcipuli, maritus reſpectu uxoris, ſi graviter delinquat, & corrigi nequeat, modo fiat moderate; quia vir caput eſt mulieris, vel niſi ſit frater natu major reſpectu minoris, mortuo patre, vel illo abſente, gubernans familiam, vel ex commiſſione patris; quia alias primogenitura non confert illi tale jus; non tamen licet mutilare, niſi auctoritate publica, vel quando membrum toti corpori eſt nocivum pro totius conſervatione.

Hinc 3. Tenetur 1. injuſtus homicida hominis non liberi, ſeu mancipii illius pretium refundere domino, & eum vulnerans, alia reſarcire damna. 2. Homicida, ſeu vulnificus hominis liberi, etiam morte damnati, tenetur ſolvere neceſſarias curationis impenſas, reſarcire damnum emergens in bonis propriis, & lucrum ceſſans ex indu-

ſtria, officio, labore, non deducendo laborem lucrando adhiberi ſolitum, *Tourn.*, *Lug.* quia a damnificante non ſuppletur labore, uti in aliis damnis, ac proinde tenetur alere eos, quos occiſus, vel mutilatus jure ſtricto induſtria, labore alere ſolebat, ut parentes, uxorem, & infantes; quia ſunt quaſi una cum ipſo perſona; non vero fratres, & nepotes pauperes, quos alebat, niſi expreſſe eum occidiſſet, ut ipſius beneficiis priventur, *Tourn.*; quia jus habent, ne vi, dolo, &c. a bono, etiam gratuito conſequendo, impediantur; nec obligatur parentibus, uxori, & infantibus, ſi occiſus eos ſolum ex bonis ipſis relictis alebat, nec ſi vulneratus adhuc tantundem poſſit lucrari, vel occiſus tantum conſummare ſolebat, quantum lucratus eſt? ſed ſolum ad impenſas, & damna tempore curationis ſecuta; quia nulla alia patiuntur; nec tenetur ad impenſas funeris occiſi; quia aliquando erant faciendæ, niſi propterea factæ eſſent majores; nec ſi occiſus alias brevi fuiſſet moriturus morte naturali, vel per ſententiam Judicis, puta, quia morbo deſperato ægrotabat, vel carceri ob crimen capitale fuit incluſus, vel ſi mutilatus alio morbo, vel incuria Chirurgi ſit mortuus, ſed tenetur duntaxat ad impenſas, & ad damna uſque ad obitum; quia alia damna pariter, & juſte fuiſſent ſecuta; ſi autem brevi ab alio injuſte fuiſſet occidendus, tenetur ad omnia damna; quia tenetur ad id, ad quod alius injuſtus homicida tenebatur; nec tenetur creditoribus, ſi omne hæredibus ſolverit damnum emergens, & lucrum ceſſans; quia ad hæredes recurrere poſſunt, ac debent creditores; niſi forte prævideret, illos ab hæredibus non eſſe ſolvendos, v. g. ob debitum non ſatis iis probandum; an autem teneatur reſtituere creditoribus, ſi nulli adſint hæredes neceſſarii, quibus reſtitutio fieri debet, non conveniunt Auctores: obligari aſſerit *Scotus*, *Mol.*, *Maſtr.* & alii; quia eum per vim impedit, ne ſolvat, quod creditoribus ex juſtitia eſt debitum; obligari negant *Soto*, *Banneſ.*, *Sylv.*, *Leſſ.*, & alii; quia hoc damnum evenit creditoribus per accidens, ſicut ſi fuiſſet mortuus morte naturali, niſi eum occidiſſet ea intentione, ne ſolvat creditores, & tunc in omnium ſententia tenetur reſtituere; quia per hanc intentionem damnum fit homicidæ voluntarium, & jus creditorum, quod habent, ne vi, vel dolo impediantur a ſolutione, violatur,

ſicut

ſicut occidens collatorem paratum conferre cuidam beneficium tenetur ad reſtitutionem pro ſpe, ſi hac intentione eum occidit, non vero ſi ira occidiſſet; quia eſt per accidens, quod alter propterea beneficio privetur; deinde creditores non habent jus ſtrictum, ne debitor occidatur, nec in foro externo datur illis actio pro ſolutione adverſus homicidam debitoris, nec judicio communi hominum, nec uſu in foro interno videtur receptum, homicidam creditoribus obligari, *Bill.*; quæ rationes videntur prævalere; nec hæredibus obligari videtur, ſi læſus ante mortem omnia damna remittat, *Soto*, *Banneſ.*, *Leſſ.*, *& alii communius*; quia eo ipſo, quod læſus remiſerit injuriam, & damna, hæredes nullum amplius jus habent, nec tenetur provocatus ad duellum lædens, vel occidens; quia provocans cenſetur cedere juri ſuo; nec ſi duo ſe mutuo provocent; quia uterque cenſetur renunciaſſe juri ſuo; nec occidens injuſtum invaſorem; quia non eſt occiſio injuſta, niſi excedat, tunc videtur obligari ſecundum proportionem exceſſus, *Soto*, *Sylv. & alii*; niſi cum Billuart, & Ethica amoris, ac aliis velis dicere, invaſorem æquiparari provocanti, & ceſſiſſe juri ſuo.

Quær. 3. *Quid ſit Stuprum, & ad qualem Stuprator teneatur Reſtitutionem?*

Dico. Stuprum eſt defloratio virginis præſertim invitæ per violationem clauſtri virginalis; & tenetur 1. ſtuprator ipſa conſentiente ſolum alere prolem a tertio anno, & in defectum matris a partu; quia conſentienti nullam facit injuriam. 2. Ipſa diſſentiente vi, fraude, vel metu, etiam reverentiali, minis, precibus nimis importunis oppreſſa, tenetur omnia reparare damna inde ſecuta, videlicet eam ita dotare, ut æque bene nubat, vel eam ducere; quia injuria ipſi illata ita exigit. 3. Ipſa ſub promiſſione vera, vel ficta matrimonii decepta, tenetur eam ducere, niſi ſola dote eſſet contenta; quia contractus eſt oneroſus, in quo non fingere licet.

Hinc 1. Stuprator deflorans virginem, ſive conſentientem, ſive invitam, ſi res maneat occulta, ad nihil tenetur; quia damnum reale nullum patitur, & perſonale eſt irreparabile; ſi vero res fiat manifeſta, conſentienti ſolum muneribus, blanditiis, & precibus ordinariis corruptæ nihil tenetur; quia ſcienti, & volenti nulla fit injuria, ſed ſolum alere prolem a tertio anno, vel a partu in de-

fectum matris; pro injuris tamen parentibus illata ſatisfacere tenetur, vel eos ſaltem placare, *S. Antoninus*, petendo veniam, vel dolorem exhibendo, *Decoq. & P. Antoine*; an inſuper teneatur ad augmentum dotis a parentibus ob ſtuprum tribuendum, ut juxta ſuam conditionem nubat, diviſi ſunt Auctores; alii non teneri, aſſerunt; quia parentes illud dare non tenentur, & poteſt manere innupta, & ſibi volenti adſcribat, ſi juxta ſuam conditionem non nubat; teneri putant alii, quia eſt cauſa augmenti dotis pro matrimonio dandi, *Tourn., & alii ibid.* ex charitate ſaltem videtur obligari ad dotem, vel illius augmentum, ſi ſtuprator ſit dives, deflorata vero egena, & periculum ſit, ne amiſſo pudore eidem vitio ſe dedat, *Tourn.* & in foro externo ſolet ad illam dotandam condemnari; quia vulgo virgo, & ſeducta præſumitur, ſed ipſa in conſcientia tenetur ad reſtitutionem, ſi ſe nec virginem, nec ſeductam ſciat; tenetur ſtuprator etiam in foro conſcientiæ eam ducere, vel dotem dare, vel ſaltem eam ita augere, ut ſicut antea nubere poſſit, ſe de crimine adhuc occulto jactando, vel alio injuſto modo eam diffamaverit, *ibid.* 2. Deflorans virginem, vel ab alio corruptam, ſed paſſim pro virgine habitam, vel honeſtam viduam invitam ſimpliciter, vel ſecundum quid, metu etiam reverentiali, minis, precibuſque nimis importunis deceptam, præcipue, ſi fiat a domino, Principe, &c. tenetur ad omnia damna inde ſecuta, videlicet eam ita dotare, ut æque bene nubat, vel eam ducere, & in foro externo ſolet ad utrumque, nempe ed eam dotandam, & nubendam condemnari; imo etiam in foro conſcientiæ ad eam ducendam obligari multi docent, *Tourn.*; quia alio modo vix omne damnum, ut contemptus, faſtidii alterius mariti reparari poteſt. 3. Deflorans virginem ſub promiſſione vera, vel ficta matrimonii, tenetur eam ducere, niſi ſola dote fuerit contenta; quia contractus oneroſus etiam cum fictione obligat; non tenetur tamen eam ducere, 1. ſi fictionem promiſſionis potuerit cognoſcere ex diſparitate magna conditionis, ex nobilitate, divitiis, exaggeratione, inconſtantia, & ambiguitate verborum. 2. Si notorie corrupta ſe virginem finxerit, vel nobilem, aut divitem, cum non ſit. 3. Si poſtea fornicetur cum alio. 4. Si; ex tali matrimonio gravia timeantur incommoda, ut ſcandala, rixæ, diſcordiæ familiarum &c. 5. Si interveniat impedi-

pedimentum dirimens, in quo Papa diſpenſare non ſolet, ut ſi ſacros Ordines ſuſceperit, alteri nupſerit &c. tenetur tamen eam dotare non ſolum pro viro ſuæ conditionis, ſed etiam in quantum ei intereſt ipſum habere, ut divitem, talis conditionis, *Tourn.* ſi vero impedimentum ſit diſpenſabile, ut votum caſtitatis antea, vel poſtea emiſſum &c. diſpenſationem procurare tenetur, niſi ipſa ſola illud ſciverit; quia tunc ſibi imputet; vel ſi ambo illud ignoraverint; quia tunc non cenſetur ſe ad illam petendam voluiſſe, obligare; niſi vi, metu, dolo puellam defloraſſet, & damnum non niſi eam ducendo reparari poſſet; tunc petenda eſſet diſpenſatio, etiam ab ignorante impedimentum; quia, qui tenetur ad damnum, tenetur etiam ad media illud reparandi. 6. Si ipſa nollet ei nubere, vel parentes ejus conſentire, nec tenetur ei in hoc caſu dare dotem, ſi fere æqualis ſit conditionis, niſi eum ſine novo ſui, vel familiæ opprobrio non poſſet ducere, *Tourn.*

Quær. 4. *Quid ſit Adulterium, & ad qualem Adulter, & Adultera teneantur Reſtitutionem?*

Dico. Adulterium eſt conjunctio carnalis inter perſonas, quarum una, vel utraque eſt juncta matrimonio cum alia, & tenetur, 1. Adulter a tertio anno, & deficiente matre, a partu alere prolem, donec ſe ipſam alere poſſit, & utroque conſentiente in Adulterium uterque reparare damna inde ſecuta, quilibet pro ſua parte, alteri conjugi, ac hæredibus. 2. Adultera invita ſimpliciter, quæ totis viribus reſtitit, ad nihil tenetur; quia non fuit cauſa libera damni. Invita vero ſecundum quid, quia reſtitit, ſed non totis viribus, tenetur primo loco Adulter, & ipſo deficiente Adultera; quia abſolute adhuc fuit libera.

Hinc 1. Nulla ex Adulterio ſecuta prole, Adulter, & Adultera ad nihil tenentur; quia nullum damnum eſt ſecutum; ſi tamen Adulterium fieret notum, ad aliquam tenetur Adulter ſatis actionem honorariam marito exhibendam per veniæ petitionem, vel alia ſigna doloris ob illius ignominiam. 2. Utroque conſentiente Adultero, & adultera, & prole ex Adulterio certo nata, puta, quia maritus fuit abſens, vel impotens, aut ægrotus, præter ſuſtentationem prolis, tenetur uterque pro ſua parte reliqua reparare damna marito, ac hæredibus legitimis ſecu-

ta propter ſpurii ſuſtentationem, & hæreditatis partitionem, & deficiente uno alter tenetur ad totum; deficiente vero utroque, non tenetur Adultera ad manifeſtationem ſpurii; quia ordinarie eſt nociva, vel inutilis, niſi forte Adulterium fiat publicum; nec tenetur filius credere matri eum illegitimum declaranti, tenetur tamen mater res familiæ diligentius adminiſtrare, de corporis ornatu, aliiſque propriis ſumptibus detrahere, poteſtque ſtatum Religioſum ſuadere, ſi indicia vocationis, & idoneitatem habeat, *Tourn.*; ſi vero de prole dubitetur, an ſit ex Adulterio, vel a marito, diviſi ſunt Theologi; eos teneri ad mediam partem damni, ſi dubium ſit æquale, vel pro ratione dubii, ſi ſit inæquale, videtur probabilius; quia, cum cauſa, nempe Adulterium ſit certum, præſumptio eſt contra ipſos, & iis incumbit probatio influxum non habuiſſe; non excuſatur tamen Adulter, ſi Adultera totum reparet damnum.

Quær. 5. Quid ſit Fama, Honor, Detractio, & Calumnia, & quotuplici modo crimen poſſit eſſe publicum?

Hinc: 1. Fama eſt interna æſtimatio de alicujus excellentia; & violatur detractione, calumnia, judicio temerario, mala opinione, ſuſpicione, dubio, ſuſurratione, & murmuratione. Honor vero eſt externa teſtificatio excellentiæ alterius, & violatur per contumeliam & irriſionem.

2. Detractio eſt injuſta, & occulta famæ alienæ denigratio, falſo, vel vero, ſed occulto crimine, & committitur octo modis his verſibus contentis.

Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens.
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatve remiſſe.

3. Calumnia eſt falſi criminis, vel defectus naturalis, & infamis impoſitio; ſi ſit defectus naturalis, dicitur convitium, & ſi ſimul fiat in faciem, dicitur improperium, ut vocando gibboſum, &c.

4. Crimen poteſt eſſe tripliciter publicum, 1. ipſo jure, quod per Judicis ſententiam conſtat. 2. Ipſo facto, quod coram ita multis eſt factum, ut nulla tergiverſatione celari queat. 3. Communi fama, quod rumore ad aures majoris partis communitatis pervenit.

Quær. 6. Quale ſit peccatum Detractio, & Calumnia?

Dico. Detractio, & Calumnia etiam aliquando ſine animo nocendi, ſolum ex levitate, vel loquacitate prolatæ,

etiam

etiam contra defunctos, *Tourn.* ex natura ſua ſunt peccata mortalia contra charitatem ſimul, & juſtitiam, quorum gravitas non præciſe ex gravitate criminis revelati, ſed ex notabili famæ diminutione deſumitur, quæ ex circumſtantiis perſonæ, loci, criminis, ſeu defectus revelati dijudicari debet. Detractio proveniens ex falſi criminis impoſitione graviſſima eſt, nullaque ratione cohoneſtari poteſt; quia eſt mendacium, & intrinſece malum; fit tamen veniale ob defectum ſufficientis advertentiæ, vel parvitatem materiæ, ſeu levis famæ diminutionis; proveniens vero ex veri criminis, vel defectus revelatione ab omni excuſatur peccato, ſi juſta de cauſa fiat, quales ſunt juſtitia, & charitas, ut ſi quis revelet alterius crimen ex Officio pro illius punitione, correctione, & damni reparatione, vel pro damno proprio, vel alieno avertendo.

Hinc: 1. Graviter peccat contra juſtitiam, 1. dicens de Epiſcopo, vel Sacerdote coram plebe, vel de Superiore coram ſubditis, eſſe mendaces; quia mendaces in iſtis dignitatibus notabiliter vilipendi ſolent; non vero graviter peccat id dicens de puero, famulo, plebejo; quia hi propterea non graviter deſpici ſolent; ſic a mortali excuſari poteſt dicens de milite, habuiſſe duellum, decepiſſe virginem, adoleſcentem deditum eſſe amoribus, fœminam rixari, de ſtili plebejo eſſe ſpurium, ipſius patrem patibulo eſſe ſuſpenſum; quia ordinarie ſimilia in iſtis, & hujuſmodi parvi penduntur; econtra reſpectu viri valde honeſti poſſunt graves, eſſe detractiones; ſic inter pueros, mulierculas, & infimæ ſortis viros cognomina quædam, & convitia cenſentur levia, quæ in aliis melioris conditionis poſſunt eſſe gravia; ſic dicere in Germania, Belgio, &c. de viro etiam honeſto, habuiſſe crapulam, non habetur pro gravi infamia; quia ibi etiam inter valde honeſtos eſſe ſolet valde communis; in Gallia vero, in Italia, Hiſpania poſſet gravem cauſare infamiam. 2. Peccat contra juſtitiam ſibi, vel alteri crimen falſum imponens, etiamſi fiat pro tortura evitanda, vel alteri pro mutilatione, vel morte evitanda, & ſi mutilationis, vel mortis eſſet cauſa, in utroque caſu, quocunque tormentorum periculo eſt revocandum, ſi ſpes liberationis ſit. 3. Verbis generalibus, vel dubiis gravis ſceleris, & famæ notabiliter diminutivi ſuſpicionem movens, vel ca-

dentibus in totom communitatem, v. g. dicendo, omnes in hac communitate eſſe uſurarios, fures, &c. non vero, ſi non cadant in omnes, nec in particulares, dicendo, multi ſunt uſurarii, vel ſcelerati, niſi diceretur de Communitate Religioſa; quia omnes propter aliquos ſolent deſpici. 4. Libellos famoſos crimina falſa, vel vera, ſed occulta continentes conſcribens, ſpargens, aut inventos divulgans præter peccatum, ſolent inſuper ſpargentes, pœna mortis plecti, & ſolum legentes ſaltem peccant, *Tourn.* 5. Graviter peccat alterius dicta ita referens, ut ei merito credatur, vel credi poſſit, non vero peccat, ſi ita referat, ut rei non credatur, nec rationabiliter credi poſſit; ſi tamen crederetur, peccat contra charitatem, ſi præviderit. 6. Audiens detrahentem ita, ut ſit ipſius cauſa, hortando, incitando, ſignificando ſibi arridere, interrogando, mandando, &c. audiens vero ſolum cùm delectatione mere interna, vel ſine delectatione, ſed non impediens, cum ſine notabili incommodo, & cum utilitate poſſit, ſaltem peccat contra charitatem detrahentis, illius peccatum non impediendo; & illius, cui detrahitur, damnum non avertendo; non tamen tenetur ad reſtitutionem, niſi ex officio malum impedire teneatur, ut Superiores, Domini, Parentes, Magiſtratus, &c. ſi eorum ſubditis, vel aliis ab eorum ſubditis detrahatur; quia eorum famam, ſicut alia bona defendere, & ne aliis noceant, ex officio impedire tenentur; famam tamen ſubditorum defendere contra extraneos non videntur obligari Superiores, niſi infamia ſit magni momenti, nec Magiſtratus, niſi a læſo poſtuletur ſatisfactio, & dictum a diffamante non probetur; etiam inter æquales, rara eſt obligatio impediendi detractionem, ac rarior in ſubditis, *P. Gerv. Lug.*; & hoc ob plures rationes excuſantes a mortali, videlicet 1. ſi audiens prudenter præſumat, rem eſſe publicam, vel falſam eſſe, oſtendere intendat; vel ſi reſiſtendo graviorem mali ſuſpicionem audientibus ingerendam timeat; vel detractorem juſtam revelandi cauſam habere, vel graviſſime offenſum iri, vel auditoribus efficacius malum ſuaſurum, vel omnino reſiſtentiam inutilem fore credat, *Tourn.* 2. Si res ſit levis, vel veriſimiliter non credatur, *P. Gerv.*; vel ſi ob reverentiam, vel ut ait S. Thomas, ex timore, vel negligentia, vel etiam ve-

Digitized by Google

verecundia omittat repellere detrahentem, plerumque venialiter peccat; vel ob rei præcipitationem, perplexitatem, vel quia modus prudenter, & fructuoſe reſiſtendi non incidat; ſi tamen reſiſtere non audeat, diſcedat, vel ſermonem alio vertat, vultum triſtiorem exhibeat, *Tourn.* quia *facies triſtis linguam detrahentem diſſipat*, Prov. 25.

Hinc 2. A peccato detractionis excuſantur 1. *Juſtitia*, officiales, cuſtodes, &c. Judici denunciantes fures, latrones, aliaſve perſonas Reipublicæ nocivas, vel incapacitatem ad officia Reipublicæ promovendorum. 2. Excuſatur *Charitate erga ſeipſum*, revelans alterius crimen pro ſalvanda propria vita, etiamſi illud ſub ſigillo naturali habeat, vel alter eandem ſubire debeat pœnam; vel illud revelans pro conſilio, vel auxilio petendo, vel pro cavendis, vel reſarciendis ſibi damnis; non vero ſi fiat pro ſolo ſolatio, etiamſi unico, & taciturno illud revelet, *Tourn.*; quia apud Deum, vel ſine perſonæ declaratione ſolatium quæri poteſt; nec excuſatur, ſi crimen ſciat ſub ſigillo confeſſionis, vel alia via injuſta, ut aperiendo ſine cauſa literas, vel vi, aut fraude veniens in illius cognitionem. 3. Excuſatur *Charitate erga alios*, aperiens vitia infantum parentibus, peccata ſubditorum ſuperioribus, ut corrigantur; furta domeſticorum dominis, ne amplius noceant, vel vicino, aut amico, ne cum damno in domum ab iis ſuſcipiantur; vel corruptelam puellæ alias cum præjudicio in conjugem ducendæ, vel adoleſcentis alias honeſtam puellam decepturi, ſociorum, ne alii eorum converſatione ſeducantur; vel revelans ignorantiam candidati incapacis alias ad officium, vel beneficium promovendi; vel incuriam Advocati, Medici, vel aliis noceant. Cavendum tamen, ut ſervata Lege Evangelica fraternæ correctionis, & habita defectuum morali certitudine non plus, nec pluribus reveletur, quam pro proprio, vel alieno damno avertendo neceſſe ſit. 4. *Publicitate Criminis*, excuſatur revelans crimen jure, facto, vel fama publicum, etiam injuſte divulgatum, etiam ignoranti in eodem loco; quia reus non habet jus famæ, niſi in quantum manet occultum, *Tourn.*; & ſi ſit publicum jure, excuſatur illud etiam in locis vicinis, ubi brevi criminis notitia ſit perventura; quia publicitas eſt pars pœnæ tranſeuntis aliis in exemplum; peccat tamen contra charitatem, qui in locis vicinis primam criminis nunciam

ciam fert ex odio; vel cum gravi damno ex anticipatione revelationis in officiis, vel bonis ſecuto, alias non ſecuturo; vel in loco, ubi crimen moraliter loquendo ignotum erat manſurum, niſi ex legitima cauſa, ne hæreticus, fur, &c. ibi noceant, *Tourn.* non vero contra juſtitiam; quia jure privatur fama pro omni loco. Crimen autem ſolo facto, vel rumore, aut ſententia injuſta notum revelans in loco, quo fama non erat perventurum, peccat contra charitatem, & juſtitiam; quia alio retinet jus famæ, *Tourn.*, *Tolet.*, *& alii*; vel Religioſum diffamatum in una Religione, vel conventu diffamans in alio, vel apud ſæculares; quia Religioſi unius Religionis, vel conventus ſunt quaſi una perſona, & ſuas res nolunt fieri publicas, apud alios: etiamſi paulo poſt in alio loco injuſte ſit diffamandus; quia non magis licet diffamare paulo poſt per alium injuſte diffamandum, quam occidere paulo poſt per alium injuſte occidendum, *Tourn.* vel eadem de cauſa divulgans filiorumfamilias, aut domeſticorum peccata ſine juſta cauſa extra familiam, vel diffamatum de uno crimine, v. g. ebrietate, diffamans de alio non affine, v. g. de adulterio, vel diffamatum de uno adulterio diffamans de alio; quia relapſus auget infamiam; non vero dicens de ebrio, habuiſſe cum uxore rixas, negligere ſuam familiam, &c. quia hæc ſunt communia huic vitio; vel revelans peccatum olim ſola fama publicum, ſed oblivione, vel bonis moribus deletum; quia æquivalet occulto; ſi vero ſententia fuerit publicum, peccat contra charitatem, & ſi daretur occaſio, & cauſa rationabilis credendi, eum etiamnum eſſe talem, peccat contra juſtitiam, *Baſſ.*, *Leſſ. apud P. Gerv.*; quia famam bonis moribus videatur recuperaſſe; excuſat tamen Tournely crimen hominis olim infamis revelantem, ne quis ſe opeſve ſuas, vel infantes ei, quaſi viro omni exceptione majori, committat.

Quar. 7. Quiſnam famam reſtituere teneatur?

Dico. Famam efficaciter reſtituere tenetur, quamprimum fieri poteſt, omnis, & ſolus, qui famam vere, & injuſte abſtulit, 1. crimen falſum, ut calumniator, vel verum, ſed occultum revelans. 2. Detractioni moraliter, ac efficaciter cooperans, mandando, conſulendo, interrogando, avide, & cum delectatione externe exhibita audiendo ad detractionem movens, 3. Non obſtans, cum ex officio eam impe-

impedire teneatur, ut Superiores, &c. ſive ſcienter, & ex malitia, vel ex ignorantia, & inadvertenter id fecerint; quia, cum vere cauſa ſint damni, illud, ſi adhuc poſſint, impedire ex juſtitia tenentur 1. calumniator revocando falſum etiam coram Notario, & teſtibus, & juramento, ſi opus fuerit, etiam cum periculo bonorum fortunæ; quia ſunt ordinis inferioris, & propriæ famæ, & vitæ, ſi infamatus idem periculum ſubire debeat, & ſpes ſit liberationis; quia melior eſt conditio innocentis; non ſolum apud immediatos, ſed etiam apud mediatos, quibus crimen divulgandum ab immediatis prævidit, vel prævidere debuit; quia illius divulgationis eſt vera, & culpabilis cauſa, *Tourn.* nec debet abſolvi, niſi facta prius reſtitutione, vel proxime faciendæ habita morali certitudine, *ibid.* 2. Crimen verum, ſed occultum revelans faciendo, ne audita credant, apud plebejos dicendo, ſe male, ex paſſione fuiſſe locutum, non eſſe credendum; apud peritos infamatum laudando in quantum ſine mendacio poteſt, ut una ex parte famam ſenſim tantundem illuſtret, quantum ex altera obſcuravit, *Sot. Nav. Leſſ. apud P. Thom. ex Charm.* vel condonationem petendo, ſi illius ſpes ſit; vel ſi aliter nequeat, pecuniis compenſando, ſaltem poſt Judicis ſententiam, ut omnes fatentur; imo etiam ante illam, docet *Tournely* citans *S. Thomam*; raro tamen, vel nunquam, videmus famam pecuniis compenſari; quia probroſum eſt inter homines famam pecuniis venalem habere, vel pecuniam pro illa exigere, vel accipere. 3. Uterque reparando omnia damna realia ex detractione ſecuta pro ratione ſpei, boni alia acquirendi, vel pro amiſſione boni acquiſiti, ad quæ etiam tenetur hæres detractoris, non vero ad famæ reſtitutionem; quia hæc obligatio perſonalis eſt.

Quær. 8. Quanam ſint cauſæ excuſantes a reſtitutione?

Dico. Cauſæ a reſtitutione famæ excuſantes, ſunt 1. infamati condonatio, niſi cedat in damnum tertii. 2. Compenſatio per æqualem diffamationem utrinque factam; non licet tamen diffamare diffamantem pro compenſatione; quia eſſet vindicta. 3. Si fama aliunde ſit reparata; quia v. g. a Judice innocens declaratus 4. Si infamia penitus abierit in oblivionem, nec ſit periculum reviviſcentiæ. 5. Si crimen alia via factum ſit publicum. 6. Si reſtitutio phyſice, vel moraliter ſit impoſſibilis, & ſine amiſſione famæ lon-

longe præſtantioris, vel vitæ, fieri nequeat, niſi læſus iisdem exponatur incommodis. 7. Si audientes jam antea ſciverint, vel non crediderint; quia infamia nulla eſt ſecuta; vel ſi facta ſit pro defenſione propriæ, vel alienæ vitæ, famæ, bonorum fortunæ, vel aliis damnis avertendis; quia tunc non eſt injuſta. 8. Si ſit fruſtranea, quia auditores nullam fidem ſunt retractationi adhibituri; in dubio tamen eſt facienda. 9. Si audiens detractionem non fuerit cauſa illius efficax, nec ex officio obligatus, ad eam impediendam.

Hinc: graviter peccant, & tenentur ad reſtitutionem 1. Superiores famam ſubditorum in re magni momenti læſam non defendentes, vel ſubditos non impedientes, ne aliis detrahant. 2. Magiſtratus non impedientes libellos famoſos, & poſtulantibus ſatisfactionem de eorum fama læſa, eam non procurantes. 3. Religioſi propria auctoritate condonantes famæ graviter læſæ reſtitutionem; quia eorum infamia cadit ſimul in ordinem ſuum; vel viri publici, ut Epiſcopi, Parochi, quorum diffamatio nocet eorum ſubditis, & impedit, ne illis utiliter proſint. 4. Accuſati recriminantes ſuos accuſatores, cum alio modo per teſtes, juramento, &c. ſe juſtificare poſſint, vel diffamatus diffamans reciproce diffamantem ſe ſine juſta cauſa; ſecus, ſi pro labefactando diffamantis teſtimonio eum mendacem, perjurum probare, neceſſe ſit. 5. Hæres non reparans damna realia per depoſitionem, vel impeditionem ab officio a defuncto ob injuſtam criminum revelationem aliis cauſata. 6. Revelans crimen occultum, quod putavit publicum, vel publicum de uno narratum putans dici de alio, illudque de eo per errorem referens aliis, & comperto errore inadvertenter commiſſo famam non reſtituens, tenetur ad omnia damna ex dilatione reſtitutionis ſecuta; non vero ad præcedentia inculpabiliter cauſata; & narrans animadvertens de alio intelligi, tenetur ſaltem ex charitate monere, & damna avertere. 7. Revelans, etiam ſolum uni, & taciturno, & ſub ſecreto crimen occultum, vel etiam Confeſſario ſine neceſſitate nominando complicem. 8. Reſtitutionem ſine juſta cauſa protrahens de novo peccat, teneturque ad damna inde ſecuta; quia v. g. propterea ab officio depoſitus, vel ad beneficium non fuit promotus.

Quær. 9. Quid ſit Judicium temerarium, opinio, ſuſpicio, ac dubium?

Reſp.

Reſp. Judicium temerarium eſt aſſenſus abſolutus, & firmus de proximi improbitate ex levibus, & inſufficientibus indiciis ortus. Opinio eſt aſſenſus infirmus intellectus propter formidinem oppoſiti. Suſpicio eſt inclinatio intellectus magis in unam partem ſine determinatione ob formidinem partis oppoſitæ. Dubium eſt ſuſpenſio judicii in neutram partem inclinantis.

Quær. 10. Qualia ſint peccata judicium temerarium, opinio, ſuſpicio, ac dubium; & ad quid obligent?

Dico. Judicium, & opinio temeraria ex genere ſuo ſunt peccata mortalia contra juſtitiam; quia ſine ſufficienti cauſa proximo auferunt bonam, quam apud temerarie judicantem, vel opinantem habuit, æſtimationem. Sunt autem veniale 1. ſi quis non advertat, ſe male judicare, vel non habere indicia ſufficientia. 2. Ex levitate materiæ. 3. Ex levitate temeritatis, ſi non ſit pertinax, & indicia parum diſtent a ſufficientibus. Suſpicio vero, & dubitatio temeraria ordinarie ſunt peccata venialia, ſi ex ſolo errore intellectus apprehendentis indicii ſufficientia, & gravia, cum in re non ſint, oriantur, paratoque animo ea deponendi cognita indiciorum inſufficientia; quia leviora ad ſuſpicionem, & dubium ſufficiunt indicia: ſunt tamen mortalia, ſi ex pravo affectu, & malevolentia proveniant in re gravi, & ſine alio fundamento; quia ſine ratione famam proximi faciunt dubiam, & obligant ad reſtitutionem, deponendo judicium temerarium, opinionem, ſuſpicionem, & dubium de proximi fama.

Hinc: graviter peccat ſubditus de Superioris probitate, vel Parochi ſui, aut alterius virtute præſtantis ſine ratione dubitans, vel ſuſpicionem, &c. habens, *P. Paul. Lugd.*; quia quillibet præſumitur bonus, præcipue Superiores, donec probetur malus. Excuſatur autem 1. male de eo judicans, quem vidit furtive cubiculum ingredientem; de veritate illius dubitans, quem deliberate mendacem deprehendit; vel de probitate illius, quem fornicatum eſſe agnovit; vel de fidelitate ejus, quem in furto invenit; quia, *qui ſemel malus, ſemper præſumitur malus, Reg. 8. jur. in 6.* videlicet in *eodem genere delicti*, ſaltem ut dubitari poſſit. 2. Superior, dominus, &c. interne ſuos ſubditos credens bonos, externe tamen ſe caute gerens, quaſi eſſent mali, media ad malum avertendum adhibens; vel recipiens ignotum in domum, omnia bene clau-

claudens, & cuſtodiens, ac ſi de ejus probitate eſſet dubius; quia licet maioris perfectionis cauſa dubium in meliorem partem ſit interpretandum, vel ſaltem negative, non inclinando in deteriorem partem; quia in dubio non eſt præſumendum delictum, *L. merito ff. pro ſoc.* ſi tamen agatur de damno avertendo, poteſt in malam partem ſinterpretari ſuppoſitive, ſe ita gerendo, res ſuas cuſtodiendo, ac ſi eſſet malus, dummodo interne credat probum; quia non tenemur indiſcriminatim omnibus fidere.

Quær. 11. Quid ſit Suſurratio, Murmuratio, Contumelia, & Irriſio?

Reſp. Suſurratio eſt oblocutio mala, & ſecreta ad diſſeminandam diſcordiam inter amicos, Murmuratio eſt injuſta quærela, vel quoad ſubſtantiam; quia fit de re juſta; vel quoad modum, quia fit de re quidem injuſta, ſed cum impatientia in his circumſtantiis, ubi, & quando homo patienter deberet ferre. Contumelia eſt injuſta, & aperta honoris alieni violatio in faciem alteri irrogata. Irriſio eſt jocus de proximi defectibus, ut rubore afficiatur.

Quær. 12. Qualia ſint peccata Suſurratio, Murmuratio, Contumelia, ac Irriſio, & ad quid obligent?

Dico. Suſurratio, Murmuratio, Contumelia ex genere ſuo graviora ſunt detractione peccata: Suſurratio quidem; quia famam ſimul, & proximi amicitiam violat; Murmuratio; quia ſi fiat contra Deum, vel Dei Judicia, ut contra Superiores, vel cum ſcandalo, Dei auctoritatem impugnat, & charitatem lædit; & Contumelia, quia præter famam etiam honorem violat, & pro dignitate perſonæ, v.g. Patris, Superioris, &c. creſcit; poteſt tamen Murmuratio eſſe levis ratione rei injuſtæ, vel ratione modi, ſi fiat contra homines; vel ob inadvertentiam, vel ratione motus primo primi, ſi fiat contra Deum. Peccant quoque audientes, ut audientes detractionem, & non impedientes, & quidem Superiores contra juſtitiam, & alii contra charitatem, vel etiam juſtitiam, ſi audiendo ſint illarum cauſa, & tenentur ad reſtitutionem, 1. Suſurro falſa revocando, laudando, reconciliationem meliori modo, quo poteſt, procurando, aliaque damna reparando. Scandalum, & charitatem læſam reintegrando. 2. Contumeliator famam reſtituendo, ut detractor; & honorem veniam petendo, quoad ſubditum erga ſuperiorem,

vel

vel honorifica ſalutatione nobilis erga plebejum, vel dando locum honorificum, vel invitando ad menſam, quoad æquales. Irriſio vero ordinarie ex genere ſuo eſt veniale; quia ordinarie non graviter ſolet proximum offendere; fit tamen ex circumſtantiis mortale, 1. ſi fiat de pietatis, vel virtutis exercitio; quia habet rationem ſcandali impediens virtutis exercitium. 2. Si fiat erga parentes; quia eſt impietas. 3. Si fiat in Deum, & Sanctos, ac cæremonias Eccleſiæ; quia eſt blaſphemia. 4. Si fiat animo graviter confundendi, vel ſi grave vitium, & defectus infamis objiciatur proximo; vel leve cum prævisione gravis perturbationis, vel triſtitiæ, iræ, &c. ſi autem ſolum corrigendi, vel honeſtæ recreationis cauſa fiat, ſecluſis prædictis circumſtantiis, nullum eſt peccatum; tenetur autem culpabilis deriſor ad reſtitutionem famæ, honoris, & damnorum, ut contumeliator, in quantum illius vitium importat.

Quær. 13. *Quid ſit Furtum, & Rapina?*

Reſp. Furtum eſt occulta rei alienæ ablatio invito rationabiliter domino; Rapina vero eſt manifeſta, ac violenta rei alienæ ablatio, domino, exterius, vel interius renitente, differt a Furto ratione violentiæ.

Quær. 14. *Quale peccatum ſit Furtum, ac Rapina, & quænam materia utriuſque ſit notabilis?*

Dico. Furtum ex genere ſuo eſt grave, & Rapina adhuc gravius, ac ſpecie diſtinctum peccatum ob violentiam, & perſonæ inhonorationem. Materia Furti notabilis æſtimatur ex gravi damno, quod infert, vel notabili incommodo, quo privat, prout communiter, & per ſe æſtimatur id, quod pro victu unius diei perſonæ juxta ſuum ſtatum ſufficit; per accidens vero aliquando minor quantitas ad mortale ſufficit, 1. propter damnum emergens, & lucrum inde ceſſans. 2. Ob intentionem, vel attentionem perveniendi ad notabilem quantitatem. 3. Ratione modi, ut Rapina facta perſonæ valde illuſtri ob illius graviorem inhonorationem: aliquando major requiritur, 1. ratione perſonæ magis dilectæ, ut in furtis uxorum, vel filiorum, quibus dominus ordinarie minus eſt invitus. 2. Ratione rerum ablatarum, ut in eſculentis, & poculentis. 3. Ratione temporis, ut tempore recreationis, publici gaudii, aut feſtivitatis, quo a dominis in eſculentis, & poculentis plus indulgeri ſolet.

Digitized by Google

Hinc 1. Rapinam committit defraudans decimas; mercedem operariorum, vectigalia, juſta tributa; accipiens uſuras; ad contractus inæquales, injuſtos cogens; aliquid ultra ſuum ſtipendium publice aſſignatum exigens; qui foro cedunt; creditores defraudantes (gallice *banqueroutiers*) exactores injuſtorum tributorum; vel vectigalium, & operarum (gallice *Corvées*) quia læſi ſaltem interius renituntur. 2. Furtum grave committit reſpectu cujuſcunque perſonæ etiam Regis, auferens tres libras gallicas; quia in ſe eſt materia gravis; & Rex octo, vel decem milites illis aleri poteſt; reſpectu perſonæ, quæ ex ſuis reditibus non ita ſplendide vivit, auferens duas libras; reſpectu mercatoris, vel opificis majoris lucri unam libram; minoris lucri decem aſſes, reſpectu pauperum quinque, vel ſex aſſes, & ſæpe minus; *Tourn.*; quæ tamen non ſine exceptione ſunt intelligenda. 3. Furtum per accidens grave committit auferens ſartori acum, defectu cujus una; alterave die laborare nequit, vel avem ei; quem magno dolore ob illius amiſſionem affici, in gravem iram, blaſphemias prorumpi, prævidet; famuli, ancillæ, infantes, ne domini, vel parentes advertant, ſingulis diebus aſſem auferentes; vel cum intentione perveniendi ad notabilem quantitatem; vel ea ſecluſa; quamprimum animadvertunt; ſe notabilem quantitatem attigiſſe, ſive parva furta ſint ejuſdem ſpeciei, ſive diverſæ, vel eidem, vel diverſis perſonis fiant, *Tourn.* quia alias per parva furta iiſdem, vel diverſis facta poſſet quis ſine mortali ditari; requiritur tamen paulo major quantitas, ſi diverſo tempore; vel in diverſa ſpeciei, & adhuc major, ſi diverſis perſonis fiant; quia non ita ſenſibiliter dominos affligunt, & in diverſa ſpecie non ita faciliter coaleſcunt, modo non ſint moraliter interrupta; ut per annum, *Sanch.* vel per unum menſem, vel dimidium, ut alii volunt apud *P. Gervaſium*; vel juxta prudens judicium, *ibid.* an autem completa notabili materia quodlibet leve furtum ſuperadditum ſit novum mortale, quia novum eſt notabilis ſummæ complementum, ut putat Tournely, non adeo conſtat; ſi enim completa notabili materia ſupponatur interruptio moralis, quia habet ſuum terminum, videtur parva furta de novo uſque ad notabilem ſummam eſſe continuanda pro novo mortali; ſi autem nulla ſit interruptio facta, videtur idem peccatum continuari, & aggravari

per alia parva furta ſubſequentia; nec graviter peccat ſciens, v. g. alicui artifici jam ab alio octodecim aſſes fuiſſe ablatas, eidem duas adhuc auferens; quibus grave illius damnum completur; quia pro ſua parte nonniſi leve intulit, *Tourn.*

Quær. 15. *Quando res furto, vel rapina ablata reſtitui debeat, & quanam ſint cauſa excuſantes a reſtitutione?*

Dico. Res furto, vel rapina ablata; quamprimum fieri poteſt, reſtitui debet cum omni damno inde ſecuto, *vide de poſſeſſ. mala fidei.* Excuſatur tamen a reſtitutione, & furto, 1. Si res aliena ſit accepta pro juſta compenſatione; a Confeſſario tamen non conſulenda, & raro permittenda, ad quam requiritur, 1. ut res ſit certo; & ex juſtitia debita: 2. Ut alio modo recuperati nequeat ſine gravi difficultate, moleſtia, inimicitia; impenſis; amiſſione favoris: 3. Ut amoveatur periculum ſpirituale; ac temporale debitoris, eum monendo; ſe nihil amplius prætendere, 4. Ut fiat ſine damno tertii. 5. Ut fiat ex bonis propriis debitoris. 2do excuſatur a reſtitutione, ſi rem ſibi propriam adhuc apud alium exiſtentem ſibi vindicet; ut autem fiat licite, requiritur, 1. ut in judicio commode obtineri nequeat: 2. Ut aliæ mox dictæ conditiones juſtæ compenſationis ſerventur: 3. Ut alius eam non juſto titulo commodati pignoris &c. poſſideat. 3tio excuſatur, ſi res in extrema neceſſitate ſit ablata, & conſumpta; ut vero licite fiat, debet, 1. dominus non in eadem neceſſitate verſari: 2. Requiritur, ut rem convenienti modo petendo obtinere nequeat; nec tenetur eam reſtituere, etiamſi ad meliorem ſtatum redeat, niſi; 1. res adhuc extet. 2. Si fuerit in extrema neceſſitate empta vel mutuo accepta; quia contractus juſte initus debet ſervari. 3. Si bona alibi tempore neceſſitatis habuit in re, vel certa ſpe; quia tunc non eſt abſolute pauper; & poteſt mutuo accipere.

Hinc 1. Graviter peccant, & tenentur ad reſtitutionem, & quidem in ſolidum, plures eidem per parva furta grave damnum inferentes, ſi fiat relatione ad invicem mutuo conſilio, conſenſu, &c. ſecus quilibet pro ſua parte. 2. Accipiens pretium pro re ex juſtitia debita, vel omittenda, ut pro reſtitutione rei inventæ, pro ſententia juſta, ne danti pretium furetur, vel contra eum falſum teſtimonium dicat, vel indignum eligat, niſi omni-

no gratuito donetur, & a Lege donatio non ſit prohibita, ut munera Judici quæcunque, etiam eſculenta, & poculenta Lege Romana, & Gallica prohibita ſunt; quia excœcant oculos judicum, *Eccleſ.* 20. vel niſi pretium donetur per modum allicientis, ut infantibus, ut Miſſam audiant, malos ſocios evitent. 3. Accipiens pretium pro re ex charitate communi uſu hominum gratis debita, v. g. ut domum proximi ab incendio liberet, rem a furto ablatam oſtendat, pauperi in extrema neceſſitate ſuccurrat; quia hæc non cenſentur pretio æſtimabilia, & pretium quaſi coacte datur; ſecus ſi ſine labore, impenſis &c. fieri nequeant, vel uſu ſolvi ſoleant, ut Medicus, pharmacopola ſuccurrentes extreme ægrotanti. 4. Reſtituere tenetur accipiens pretium pro crimine ante crimen commiſſum acceptum, imo etiam multi exiſtimant, pretium crimine commiſſo acceptum eſſe reſtituendum, vel ſaltem dandum pauperibus, *vid. de oblig. promiſſ.* 5. Faciens compenſationem occultam pro re ex charitate vel gratitudine tantum debita, vel ſi propterea alius creditor habens jus præcedentiæ ſua parte privetur. 6. Non ſervans alias conditiones juſtæ compenſationis ſaltem peccat contra charitatem, & in extrema neceſſitate ſurripiens neceſſaria, quæ petendo accepiſſet, peccat ſaltem venialiter contra eandem virtutem, *Leſſ.* 7 Nec tenetur ad reſtitutionem accipiens aliquid pro actione, vel omiſſione, quæ ſibi prodeſt, v. g. ut fiat Chriſtianus, in Paſchate Communionem ſumat, a blaſphemia abſtineat; nec Judex accipiens, ut recte judicet, abſtrahendo a tertii damno, & ab eo, qui ſolum Judicis ſalutem intendit; quia cenſetur in ſimilibus circumſtantiis gratuito dari ex charitate Dei, vel proximi, *Tourn.* 8. Nec tenentur ad reſtitutionem uxores, vel filii, quorum parentes ſine eorum culpa ad extremam penuriam ſunt redacti, ſi poſt mortem occultent ex bonis parentum, vel mariti, quantum ad aliqualem ſui ſtatus conſervationem ſufficit, nec ſub juramentum, vel excommunicatione interrogati occultata fateri, & reſtituere tenentur, *Dian. apud P. Gerv.* quia dominus non eſt rationabiliter invitus, & juramentum poteſt intelligi de rebus, quæ retinere non licet, & videntur adhibita reſtrictione mentali in hoc caſu ſenſibili a perjurio excuſari.

Quær. 16. *An quid teneatur revelans ſecretum?*

Dico.

Dico. Revelans ſecretum tenetur ad omnia damna famæ, & fortunæ ex illius revelatione ſecuta, excepto; 1. ſi ſecretum commiſſum ſit nullius momenti. 2. Si jam aliunde ſit prolatum. 3. Si cuſtodia cedat in damnum communitatis, vel tertii innocentis. 4. Si ſervari nequeat ſine gravi damno committentis ſecretum, vel illud recipientis.

TRACTATUS VII.

DE PECCATIS.

Hic Tractatus dividitur in quatuor Quæſtiones, 1. de Peccatis in communi, 2. de Peccatis in particulari, 3. de Peccatis capitalibus, 4. de Peccato originali.

QUÆSTIO I.

DE PECCATIS IN COMMUNI.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit peccatum?

Reſp. 1. PEccatum definitur a S. Aug. *factum, vel dictum, vel concupitum contra Legem æternam*; ſubintelligitur facti, vel dicti, vel concupiti omiſſio: & dividitur, 1. in originale, quod aliena voluntate, nempe Adami commiſſum eſt, & per generationem in poſteros transfunditur; & in perſonale, quod propria peccantis voluntate committitur.

2. Perſonale dividitur in actuale, quod eſt ipſe actus, vel omiſſio deformis regulis morum; & habituale, quod eſt macula ex Peccato actuali in anima remanens.

3. Actuale ulterius dividitur 1. ratione præcepti in Peccatum commiſſionis, quo quis præceptum negativum, ſeu prohibens tranſgreditur, ut furtum; & omiſſionis, quo præceptum affirmativum, ſeu præcipiens violatur, ut

ut omiſſio Miſſæ in Dominica. 2. Ratione cauſæ, in Peccatum infirmitatis, quod procedit a paſſione antecedente voluntatem ad conſenſum trahente; & ignorantiæ, quod ex ignorantia culpabili oritur; & malitiæ, quod ex plena libertate abſque ignorantia, & paſſione committitur. 3. Ratione modi, dividitur in Peccatum cordis, quod ex natura ſua in corde conſumitur, ut odium; oris, quod ex ſe ore perpetratur, ut perjurium; & operis, quod opera externa perficitur, ut fornicatio. 4. Ratione objecti dividitur in Peccatum contra Deum, quod ſpecialiter reverentiæ Deo debitæ opponitur, ut blaſphemia; contra proximum, quod proximo nocet, ut homicidium; contra ſe ipſum, quo ordo rationis, rectaque ſui gubernatio violatur, ut ebrietas. 5. Ratione effectus, in mortale, quod graviter Deum offendit, & mortem animæ infert; & veniale, quod Deum leviter offendit, quocum vita animæ, & gratia ſanctificans conſiſtere poteſt; horum alia ſunt venialia ex levitate materiæ, ut leve furtum; alia ex imperfecta deliberatione, ut pollutio in ſemidormiente continuata; alia ex natura ſua, ut mendacium jocoſum, vel officioſum.

4. Alia ſunt in cœlum clamantia, quæ præ cæteris divinam vindictam provocant, quorum ſunt quatuor, homicidium, ſodomia, oppreſſio pauperum, mercedis operariorum defraudatio. Alia in Spiritum ſanctum, quæ ipſius donis ſpecialiter repugnant, & ſunt ſex, præſumptio, deſperatio, impugnatio agnitæ veritatis, invidia fraternæ charitatis, obſtinatio, & impœnitentia finalis. Alia ſunt capitalia, quæ aliorum Peccatorum ſunt radix, & cauſa impulſiva, & ſunt ſeptem, nempe: ſuperbia, ira, avaritia, invidia, acedia, gula, luxuria, & hæc dividuntur in corporalia, quæ conſiſtunt in aliqua delectatione corporea, ut luxuria, & gula; & ſpiritualia, quæ ſpirituali voluptate conſumuntur, ut ſuperbia, & reliqua capitalia.

6. Denique dividitur Peccatum in ſpecie diverſum, cujus malitia, ſeu deformitas ad legem eſt rationis eſſentialiter diverſæ, ut furtum, & adulterium; & numero diverſum, cujus malitia eſt ejuſdem naturæ cum alio, ut duo adulteria.

Quær. 2. In quo conſiſtat ratio formalis Peccati; & an detur Peccatum philoſophicum?

Z 4 Dico.

Dico. Materiale Peccati eſt ipſe actus humanus, formale vero, ſeu malitia eſt ipſa repugnantia illius cum Lege æterna; unde ratio formalis Peccati non conſiſtit in aliquo poſitivo, alias Deus eſſet illius Auctor; ſed conſiſtit in ſola privatione conformitatis cum Lege æterna; quia ea poſita recte intelligitur Peccatum commiſſionis, & omiſſionis; nec datur peccatum mere philoſophicum, quod præciſe rectæ rationi adverſatur, non vero Legi æternæ; quia nemo poteſt agere contra rectam rationem, quin agat contra Legem æternam per dictamen rectæ rationis intimatam.

Hinc infertur, nullum eſſe ita barbarum, qui agnoſcens ſe agere contra rectam rationem, non timeat entis alicujus ſupremi punitionem, & agnoſcat ſaltem confuſe, & implicite, ſe ſimul agere contra aliquam Legem ſupremam naturæ rationali impreſſam, quæ eſt Lex æterna.

Quær. 3. Qualem Peccata inter ſe habeant connexionem, & unde inæqualitas eſſentialis deſumatur?

Dico. Non habent omnia Peccata connexionem inter ſe, niſi generalem ratione finis Legis, qui eſt charitas, & offendens in uno generaliter duntaxat ratione finis, fit omnium reus; quia omnium tollit finem, nempe charitatem habitualem; non vero ſpecialem habent connexionem; quia unum ſine alio poteſt committi, licet ordinarie plura ſoleant inter ſe uniri, nec omnia Peccata ſunt æqualia; quia magis, minuſve regulis morum ſunt deformia; inæqualitas eorum eſſentialis deſumitur ab objecto, & circumſtantiis ſpeciem eorum mutantibus; accidentalis vero a circumſtantiis malitiam intra eandem ſpeciem aggravantibus, vel minuentibus; & augetur, vel minuitur malitia, prout majori, vel minori virtutis bono opponitur, magis per defectum, quam per exceſſum.

Hinc 1. Cum ſuperbia invenitur ordinarie invidia, triſtitia de bono proximi, gaudium, vel deſiderium de illius malo, averſio, detractio, vituperatio &c. 2. Cum fornicatione pollutio, procuratio abortus, ſeductio &c. Cum furto deſiderium, vel propoſitum novi furti. 4. Cum ebrietate, præcipue in popina commiſſa, turpiloquium, jurgia, diſcordiæ, neglectus officiorum. 5. Cum ira improperia, imprecationes, ſcandalum, voluntas ulciſcendi, aut nocendi, damnum proximo illatum, diuturna animi aver-

averſio, ſignorum communium dilectionis, & ſpecialium erga Superiores omiſſio, debiti conjugalis negatio. 6. Cum avaritia omiſſio, vel negatio Eleemoſynæ debitæ, modus lucrandi illicitus, & in Eccleſiaſticis effectus ſimoniacus circa functiones ſacras, ſcandalum &c. de quibus nonnunquam pœnitentes examinandi ſunt.

Hinc 2. Peccata ſecundum ſuam ſpeciem, & eſſentialiter graviora ſunt, 1. contra Deum, ſic blaſphemia gravior eſt homicidio ratione objecti, non vero damni. 2. Homicidium gravius eſt furto; quia vita eſt nobilior aliis bonis. 3. Peccata contra perſonas publicas, ut ſuperiores, ſunt graviora, quam contra alios, ſic Regicidium longe gravius eſt, quam privati. 4. Peccata oppoſita virtutibus perfectioribus, & oppoſita per defectum ſunt graviora, quam per exceſſum, ſic deſperatio eſt gravior, quam præſumptio, avaritia gravior, quam prodigalitas. 5. Spiritualia ſunt graviora per ſe, quam carnalia; per accidens tamen ratione periculi, conſuetudinis, difficilioris emendationis, poſſunt carnalia eſſe graviora, vel ſaltem ſaluti magis nociva.

Hinc 3. Gravitas accidentalis augetur intra eandem ſpeciem, 1. ex circumſtantia actus peccaminoſi; ſic graviora ſunt Peccata malitiæ; quia fiunt majori libertate, intenſione, &c. quam infirmitatis, ignorantiæ, vel ex metu. 2. Ex circumſtantia perſonæ peccantis, ſic Peccata perſonæ in dignitate ſunt graviora ob majorem, quam cenſetur habere ſcientiam, & virtutem; ob majorem ingratitudinem erga Deum; ob majorem deformitatem ſtatui perfectiori; ob malum exemplum, & majus ſcandalum: ſic ebrietas in Epiſcopo, fornicatio in Parocho, concubinatus in Principe, vel Superiore ſunt longe graviora, quam in aliis. 3. ex circumſtantia perſonæ, in quam peccatur, quæ pertinet ad objectum, & ſpeciem Peccati, de qua ſupra. 4. Ex circumſtantia nocumenti, ſic directe intenti ſunt graviora, quam indirecte in cauſa intenti.; ſic prævisi, vel per ſe ex cauſa ſecuti, graviora, quam non prævisi ex culpabili negligentia.

Quær. 4. *Unde deſumatur diſtinctio ſpecifica Peccatorum?*

Dico. Diſtinctio ſpecifica Peccatorum, non eſt repetenda a pluribus præceptis materialiter duntaxat diverſis; quia non cauſant diſconvenientiam ſpecie diverſam; ſed idem, vel plures actus ſunt plura ſpecie Peccata, quando oppo-

opponuntur pluribus præceptis formaliter diverſis, vel eidem præcepto modo ſpecie diverſo, quod ſit quadrupliciter, nimirum, 1. quando idem, vel plures actus opponuntur diverſis virtutibus. 2. Quando opponuntur diverſis ejuſdem virtutis functionibus. 3. Quando eidem virtuti diverſo modo opponuntur, nempe contrario per exceſſum, vel defectum. 4. Quando eidem virtuti diverſo modo non contrario opponuntur, quod fit, cum aliquis poſſit eſſe proclivis ad unum ratione objecti formalis, quin ſit ad aliud; quia ex quadruplici hanc oppoſitione nova, & ſpecie diverſa oritur diſconvenientia ad rectam rationem. Præcepta autem materialiter ſolum diverſa ſunt, quæ eandem rem ſub eodem motivo præcipiunt, vel prohibent: & præcepta formaliter diverſa ſunt, quæ rem diverſam, vel eandem diverſo motivo præcipiunt, vel prohibent.

Hinc 1. Unum tantum ſpecie Peccatum committit, non jejunans feria quarta quatuor temporum, in quam incidit Vigilia S. Matthæi; vel non audiens Miſſam in Dominica, in quam cadit Feſtum Aſſumptionis B. V. Mariæ; vel exercens uſuram Lege Naturali, Divina, eccleſiaſtica, & Civili prohibitam, licet diverſis pœnis, æterna nimirum, & temporali corporali, & ſpirituali prohibeatur, *Tourn.* quia ſolum præceptis materialiter diverſis, idem, & eodem motivo præcipientibus, vel prohibentibus opponuntur; ſic blaſphemiæ contra diverſa attributa non differunt ſpecie; quia eidem virtuti Religionis, ac eidem illius functioni, reverentiæ nimirum Deo debitæ opponuntur; ſic duo furta, pecuniæ, & equi non ſpecie differunt; quia eidem virtuti juſtitiæ, & eodem modo opponuntur, ſaltem ratione objecti formalis, quatenus eſt ablatio rei alienæ invito domino, quamvis in objecto materiali poſſit eſſe diverſitas, & quis eſſe proclivis ad furtum pecuniæ, quin ſit ad furtum equi; ſic frangens votum caſtitatis ſæpius reiteratum, unum ſpecie committit Peccatum: quia contra eandem virtutem, nempe caſtitatem reiteratur.

Hinc 2. Duo committit ſpecie Peccata, 1. non obſervans jejunium in die ab Eccleſia, & a Confeſſario præceptum propter diverſa motiva, temperantiæ, & pœnitentiæ. 2. Sic. Fr. Minorita non jejunans die Veneris incidente in aliqua vigilia, vel quadrageſima, duo committit

ſit Peccata juxta communiorem Doctorum ordinis, *Tourn.* quia Præceptum Eccleſiæ, & obligatio voti in diverſo fundantur motivo Religionis, & temperantiæ, & ſunt formaliter diverſa. 3. Infidelitas, deſperatio, odium Dei, ſuperſtitio ſunt plura ſpecie Peccata; quia diverſis ſpecie virtutibus, fidei, ſpei, charitatis, ac Religionis opponuntur. Sic percuſſio Clerici eſt duplex ſpecie peccatum; quia licet unicus ſit actus, diverſis opponitur virtutibus, nempe juſtitiæ, & Religioni. 4. Idololatria, ſuperſtitio, blaſphemia ſpecie differunt; quia diverſis ſpecie functionibus ejuſdem virtutis Religionis opponuntur, cujus munus eſt unum verum Deum colere, cultum illegitimum vitare, irreverentiam erga Deum præcavere. Sic odium Dei, & omiſſio actus charitatis Dei, dum præceptum obligat, ſunt duo ſpecie Peccata; quia duabus virtutis charitatis functionibus, ſeu obligationibus opponuntur, cujus eſt Deum certo tempore diligere, & nunquam odiſſe. Sic in die jejunii ſecundam ſumens refectionem in carne, duplex committit Peccatum; quia contra duas ejuſdem præcepti obligationes agit ſpecie diverſas. 5. Prodigalitas, & avaritia; deſperatio, & præſumptio ſpecie differunt; quia eidem virtuti liberalitatis, & ſpei, ſed diverſo modo contrario per defectum, & exceſſum opponuntur. 6. Furtum, rapina, detractio, homicidium ſpecie diſtinguuntur; quia eidem virtuti juſtitiæ; ſed modo diverſo, licet non contrario opponuntur, quia poteſt quis eſſe proclivis ad furtum, quin ſit ad vi rapiendum, ad detrahendum, quin ſit ad occidendum. Sic vovens, & jurans audire Miſſam in Dominica triplex committit illius omiſſione ſpecie Peccatum; quia licet eadem omiſſio eidem virtuti Religionis, diverſo tamen modo non contrario opponitur, non exhibendo cultum Deo debitum, frangendo Deo fidem per votum promiſſam, & Deum teſtem falſum efficiendo per perjurium.

Quær. 5. *Unde deſumatur diſtinctio numerica Peccatorum?*

Dico. Diſtinctio numerica Peccatorum deſumitur ex ſequentibus regulis, 1. Peccata ſunt numero diverſa, quando ſpecie differunt; quia quæ ſpecie differunt, non poſſunt eſſe unum numero. 2. Quando opponuntur Legi æternæ modo numero diverſo; quia numero diverſa inde oritur diſconvenientia ad rectam rationem. Quæ propoſitio numero diverſa fit, 1. quando idem actus tendit in

plura

plura objecta, fines, vel circumſtantias numero ſolum diverſas, ut plura ſunt, ita, ut cujuslibet jus ſpeciale læ-datur: 2. Quando ſunt plures actus non ſolum phyſice, ſed etiam moraliter; ſunt autem plures actus moraliter, quando quilibet actus habet ſuum terminum ſine ſubordinatione ad alium, vel quando ſunt moraliter interrupti, quæ interruptio fit tripliciter, 1. per revocationem prioris actus per pœnitentiam veram, vel voluntatem contrariam. 2. Ceſſatione voluntaria, vel converſione ad aliud incompoſſibile cum priori actu. 3. Per ſomnum, vel naturalem diſtractionem, aut oblivionem ſatis longam, ita, ut quis a priori actione ceſſaſſe, & aliam incepiſſe prudenter judicetur, quando nimirum nec in ſe, nec in aliquo effectu, ſeu actionum ſerie virtualiter continuatus eſt, *Tourn.*

Hinc: 1. Furtum, & homicidium numero differunt ſaltem æquivalenter, quia differunt ſimul ſpecie. 2. Uno actu moroſe de duplici fornicatione ſe delectans duo committit numero Peccata. 3. Uno ictu, vel una veneni potione plures occidens, vel uno actu plures odio habens, vel eodem ſermone, vel actu turpi pluribus ſcandalum præbens, vel eodem actu duodecim Apoſtolis blaſphemans, vel pluribus, ſeu toti familiæ, etiam Religioſæ eodem actu detrahens, vel centum aureos ad centum pertinentes ſimul auferens, plura, & totidem committit numero Peccata; quia idem actus tendit in plura objecta, ut plura ſunt, & cujuslibet jus ſpeciale læditur, etiam in detractione toti familiæ Religioſæ non minus, ac in illius occiſione, *Tourn.* 4. Conjugatus cognoſcens alterius uxorem eodem actu duo numero committit adulteria; quia ratione circumſtantiæ perſonarum ligatarum cujuslibet jus, propriæ nimirum uxoris, & mariti adulteræ læditur. 5. Qui furatur ad fornicandum cum tribus Monialibus, præter furtum tres numero fornicationes ratione finis, & tria numero ſacrilegia ratione circumſtantiæ perſonarum ſacrarum committit. E contra qui furatur integrum gregem ad unum pertinentem, vel totam Bibliothecam, vel acervum frumenti, vel viatori equum ſimul, & veſtes, & pecunias; vel qui comburit totam domum, licet conſtet pluribus ædificiis, vel cum decem ſimul converſatur excommunicatis, vel cogitans, ſe nolle totam ſervare quadrageſimam, modo non cogitet 40. jejunia diſtincta, vel

pro-

proponens totum omittere officium, in quolibet actu unum tantum numero committit Peccatum; quia idem actus tendit in plura objecta per modum unius, & unius tantum jus læditur; in praxi tamen transgreſſio totius quadrageſimæ, vel omiſſio totius Officii vix ſine interruptione morali, & multiplicitate numerica fieri poteſt. 6. Ter ſe polluens, vel fornicationem ſucceſſive ter committens, vel in ſtatu diſgratiæ abſolvens, baptizans, vel Euchariſtiam adminiſtrans, vel tres Miſſas in Nativitate Domini ſucceſſive in mortali dicens, totidem committit numero Peccata; quia quælibet pollutio, Sacramenti adminiſtratio, vel Miſſa eſt opus integrum nulli alteri ſubordinatum; in eadem tamen Miſſa in ſtatu Peccati mortalis duplici Conſecratione Panis, & Vini, & Communione unum tantum numero videtur committere Peccatum; quia eſt eadem numero actio, æquivalens tamen pluribus. 7. Mane furari ſtatuens, poſtea pœnitens, & poſt aliquod tempus priorem voluntatem reſumens, duo committit Peccata; ſic inimicum mane odio habens, poſtea diligens, & iterum odio habens duo committit numero Peccata; ſic puellam concupiſcens, poſtea ad alias agenda, vel cogitanda ſponte ſe convertens, eaque ſtatim viſa iterum concupiſcens, duo committit Peccata; ſic per horam moroſe delectans, & diſtractione, vel ſomno interruptam reſumens, duo committit Peccata; ſecus ſi interruptio breviſſima fieret diſtractione, vel ſi intentione fornicandi puellam ſollicitet, impudice reſpiciat, oſculetur, tangat & completa fornicatione immediate gaudeat, unicum numero committit Peccatum, & ſufficit in confeſſione dicere, ſe fornicatum fuiſſe; quia omnes actus præcedentes, licet phyſice diſtincti, ad principalem vi intentionis tanquam media ordinantur, & ſatis a Confeſſario intelliguntur: ſi tamen ſine intentione actus principalis, & ob propriam eorum delectationem fierent, plura eſſent peccata, & in confeſſione explicanda, licet poſtea copula fuiſſet ſecuta, ſicut & actus turpes copulam ſequentes; quia nec ſunt illius partes, nec complementa, nec eam ex natura rei ſequuntur, *Suar*, *Vaſq*. *Tourn*. excepta complacentia copulam proxime ſecuta; quia eſt quaſi naturalis criminis commiſſi effectus, *Tourn*. 8. Uno, ac eodem venereo impetu ſe, vel alium pluries ſucceſſive tangens, vel plura ſucceſſive carnis fercula in die jejunii in eadem refectione man-

Digitized by Google

manducans, vel uno rixæ impetu pluribus ictibus eundem verberans, vel plura in eum convicia proferens, in quolibet horum caſu unum duntaxat numero committit peccatum; quia non ſunt actus moraliter interrupti; modo convicia non ſint ſpecie diverſa, vel ſi ſint ſpecie diverſa, non niſi ut ſigna iræ, vel ad iram provocantia proferantur; ſic etiam qui voluntate occidendi inimicum accipit gladium, proficiſcitur per plures horas eum quærens, repertum aggreditur, vulnerat, occidit, unicum numero committit peccatum; etſi in via confabuletur, de aliis rebus cogitet; ſæpius voluntatem occidendi renovet, *Tourn.* imo etiamſi inimicum per aliquos dies quærat, interea aliquoties dormiat, literas ſcribat, &c. & ſufficit in confeſſione dicere, ſe hominem occidiſſe, *P. Gerv.* quia eadem voluntas in actionum externarum ſerie virtualiter; ac proinde moraliter perſeverat, licet phyſice ſit interrupta; & diverſi actus phyſice in eundem ordinentur; ſic animo fornicandi per plures dies iter conficiens; frequenter ſollicitans, licet in itinere dormiat; manducet, de aliis rebus cogitet, unicum numero ob eandem rationem committit Peccatum; *Paul. Lugd.* in confeſſione tamen tempus durationis odii, vel delectationis venereæ videtur explicandum; ſaltem tanquam circumſtantia aggravans; etiam tutius eſt addere quoties actum Peccati renovaverit, *Tourn.* Peccata etiam mere interna facilius interrumpuntur; & multiplicantur numero, quam ſi ſimul ſint in opere externo; in quo virtualiter diutius perſeverant, & continuantur ſine interruptione morali.

Quær. 6. Quinam ſint effectus Peccati?

Dico. Effectus præcipui ſunt reatus culpæ, & reatus pœnæ; reatus culpæ, qui etiam Peccatum habituale dicitur, eſt macula, qua peccans inficitur, & conſiſtit non præciſe in privatione gratiæ habitualis; quia alias venialia, & mortalia ſubſequentia nullam cauſarent in anima maculam, cum venialia gratia non privent, & mortalia ſubſequentia animam jam gratia privatam ſupponant; ſed conſiſtit in privatione nitoris; & rectitudinis antea per conformitatem cum lege in anima exiſtentis, & in deformitate ad legem reſultante ex Peccato commiſſo moraliter perſeverante quamdiu non fuerit remiſſum; quia ſic melius concipitur Peccatum habituale in ſtatu naturæ puræ, & quomodo de facto per veniale macula contrahatur, &

per

per mortalia repetita multiplicetur, nempe per repetitas novas, & majores deformitates ad leges tranſgreſſas. Reatus pœnæ vero eſt obligatio ad pœnam, vel jus, quod Deus habet ad ſumendam de peccatore vindictam.

QUÆSTIO II.

DE PECCATIS IN PARTICULARI.

Quæritur. 1. An detur omiſſio pura ſine actu poſitivo voluntatis?

Dico. POteſt dari omiſſio pura, id eſt libera, & peccaminoſa abſque omni voluntatis actu; modo interveniat actus intellectus proponentis objectum, & obligationem præcepti urgentis; quia voluntas eſt libera libertate contradictionis, poteſtque ſuſpendere omnem actum voluntatis poſitivum, & ad peccatum ſufficit poſſe, teneri, & non facere.

Hinc: animadvertens obligationem præſentem audiendi Miſſam, illam non audiendo peccat abſque omni alio actu poſitivo voluntatis illam omittendi, ſicut explodens ſclopetum animadvertens periculum occidendi hominem peccat, licet non velit poſitive occidere hominem.

Quær. 2. An, & quomodo actus incompatibilis cum obſervatione præcepti ſit peccaminoſus?

Dico. Actus incompatibilis cum obſervantia præcepti, etiamſi in ſe ſit bonus; vel indifferens, eſt peccaminoſus, ſi ſit cauſa, vel occaſio omiſſionis; quia tunc influit in omiſſionem; non vero ſi mere per accidens, ac concomitanter ſe habeat; & non ſolum peccat ſcienter, vel ex ignorantia culpabili cauſam omiſſionis ponens, vel morali illius periculo ſe exponens, quamvis omiſſio actu non ſequatur; ſed etiam quando de facto omiſſio ponitur, etiamſi tempore omiſſionis præ ſomno, vel ebrietate non ſit ſui compos; quia indirecte in ſua cauſa eſt volita; actus tamen, qui eſt cauſa, vel occaſio omiſſionis non eſt peccatum diſtinctum ab ipſa omiſſione; quia tanquam medium ordinatur ad omiſſionem, quacum eſt unum numero peccatum, & ſufficit in confeſſione aperire omiſſionem;

nem; niſi actus, qui eſt cauſa omiſſionis, eſſet in ſe malus, vel ſi omiſſio non ſit ſecuta, vel ſublata jam cauſa omiſſionis; quia tunc cauſa, & omiſſio moraliter interrupta duo conſtituunt numero peccata. Peccatum omiſſionis & commiſſionis per ſe non differunt ſpecie, niſi præceptis, aut virtutibus formaliter diverſis, vel eidem diverſo modo oponantur.

Hinc 1. Venatio, luſus, ſtudium, &c. ſi ſint cauſa omiſſionis Miſſæ in Dominica, ſunt peccaminoſa, & ludentes, vel venantes tempore Miſſæ cum omittente Miſſam, peccant; quia illius peccato cooperantur; non vero, ſunt malum, ſi tædio ſpiritualium, vel ex negligentia ad illam omittendam determinatus ludat, aut venetur; nec cum eo ludentes, vel venantes peccant; quia tunc luſus, vel venatio ſe tantum concomitanter ad omiſſionem habent, niſi ob longum interpoſitum tempus inter omiſſionem, & propoſitum Miſſam omittendi animum probabiliter mutaturus, & Miſſam auditurus fuiſſet, tunc ſicut ipſe de novo peccat, actu venando, vel ludendo; quia retractationem mali propoſiti probabiliter futuram reddit inutilem, ſic ipſi cooperantes ſe illius peccati faciunt participes. Sic Sacerdos firmum habens propoſitum non dicendi Breviarium toto navigationis tempore, non ſolum peccat proponendo illius omiſſionem, ſed etiam in hunc finem projiciendo Breviarium in mare; quia veriſimiliter ob maris periculum animum mutaſſet, & malitioſe occaſionem illud poſtea recitandi ſibi ademit. Similiter reſolutus, non ſervare votum caſtitatis emiſſum, peccat nubendo novo numero peccato; quia etiam facti pœnitens voti adimpletionem ſibi reddit moraliter impoſſibilem. 2. Horis matutinis in Dominica in albis ſe ſomno tradens, vel inebrians cum prævisione omiſſionis Miſſæ, vel Communionis Paſchalis, peccat, licet per accidens evigilatus poſtea Miſſam audiat, vel communicet, vel tempore omiſſionis ob ſomnum, vel ebrietatem non ſit ſui compos; cenſuras tamen omiſſioni miſſæ in certis locis, vel omiſſioni Communionis Paſchalis annexas non incurrit, niſi dum de facto omiſſio fiat; ſi vero evigilatus, Miſſam tamen non audiat, novo numero peccato ob moralem interruptionem peccat. 3. Bacho, vel Veneri nimium indulgens, ita: ut debilitatus Miſſam audire, vel jejunare nequeat, non audiendo Miſſam, vel non jejunando peccat,

donec

donec ſincere facti pœnitens, cauſam omiſſionis voluntarie, & cum illius prævisione poſitam reddat involuntariam, *Tourn.*, *Paul. Lugd. Thom. ex Charm.* ſi nimirum cauſa data ſit propinqua omiſſioni; nam propria culpa in morbum incidens, vel in carcerem conjectus non cenſetur velle Miſſæ omiſſionem inde ſecutam, *P. Gerv.* quia cauſa omiſſionis non cenſetur propinqua, & raro eſt moraliter certo prævisa. 4. Furtum, & illius reſtitutionis dilatio ſunt duo peccata numero tantum diverſa, quamvis unum ſit commiſſionis, & alterum omiſſionis; quia non diverſo modo opponuntur juſtitiæ.

Quær. 3. An dentur peccata infirmitatis, malitiæ, ac ignorantiæ, & an ignorantia ſit peccatum diſtinctum?

Dico. Dantur peccata infirmitatis, ac malitiæ; & peccata ex habitu, quem peccans emendare non curat, inter peccata malitiæ numerantur; quia ex habitu vitioſo peccans, ex certa malitia peccat, ait S. Thomas; plena enim voluntate, & libertate volendo habitum pravum, eodem modo vult peccatum inde ſecutum. Dantur etiam peccata ignorantiæ, ut fides docet; & non ſolum ignorantia, vel inadvertentia culpabiliter commiſſa, ſed etiam tranſgreſſio inde ſecuta peccatum eſt! ignorantia tamen practica, qua quis ignorat, quod pro vitando peccato ſcire tenetur, non eſt peccatum diſtinctum ſpeciale a peccato, quod ex ea ſequitur; quia non eſt peccatum, niſi ratione operis faciendi; bene autem ſpeculativa, qua quis ignorat, quæ ſpeciali præcepto ſcire debet, ut myſteria fidei, *Tourn. & alii ibid.* quia ex ſe eſt contra præceptum ſciendi ſine relatione ad opus.

Hinc 1. Ex Ignorantia vincibili accedens ad non ſuam, vel non jejunans in die jejunii unicum numero committit peccatum adulterii, vel contra præceptum jejunii, & ſufficit ſe accuſare, ſe commiſiſſe adulterium, vel non jejunaſſe in die jejunii; quia ignorantia eſt cauſa, quæ unum cum effectu facit peccatum. 2. Medicus, vel Judex quamvis peccet non ſolum negligendo ſua ſtudia animo practicandi, ſed etiam cum Medicus ſua ignorantia ægroto mortem cauſat, vel Judex injuſta ſententia proximo damnum infert; attamen uno ſolum numero peccato, negligentia addiſcendi inchoative, & inferendo damnum conſummative; ita tamen, ut nullo ſecuto damno, ignorantia tamen ſit peccatum ob periculum, cui ſe ignorans exponit.

Digitized by Google

3. Ex ignorantia vincibili blaſphemans Chriſtum, vel non eliciens actum fidei in Chriſtum in articulo mortis, duplex committit peccatum, nempe contra ſtudioſitatem per negligentiam addiſcendi, & contra præceptum fidei, vel blaſphemiæ, *Tourn.*, *Vaſq.*

Quær. 4. *Qualis ad peccatum formale requiratur conſenſus, & advertentia?*

Dico. Ad peccandum formaliter non requiritur conſenſus actualis, vel advertentia actualis malitiæ, vel actuale de ea dubium; quia contra legem agentes ex ignorantia vincibili, vel ex conſcientia vincibiliter erronea, vel ex pravo habitu, & ex conſuetudine voluntaria, vere peccant, ut communiter docent Theologi, & tamen, dum actu legem tranſgrediuntur, perjurant ex conſuetudine, vel blaſphemant, de malitia actu non cogitant, imo in ſomno ſe polluentes ex cauſa antea voluntarie data, & in ebrietate jurantes, aut blaſphemantes, nec de malitia cogitare poſſunt, & tamen vere peccant: ſed ſufficit, & requiritur cognitio, vel advertentia virtualis, & interpretativa in cauſa, ſeu cognitio, vel advertentia malitiæ habita, vel illius dubium, aut ſaltem cognitio obligationis rem melius examinandi, vel inquirendi, cum cauſa peccati fuit poſita; quia, ſi malitia actus nullo modo, nec dubie fuerit cognita, nullo modo eſt volita, & eo ipſo eſt ignorantia, vel inadvertentia invincibilis; quia nulla ratione potuit, ac debuit excitari ad melius inquirendum, vel actionem omittendam; nec dignum eſſet divinæ Clementiæ, punire malum nullo modo præcognitum, ac proinde nec volitum: & quidem ad mortale requiritur conſideratio plena malitiæ gravis, vel periculi ejus, aut gravis obligationis melius inquirendi, ut docet Rhodius, & communiſſima apud *P. Gerv.* quia peccatum non eſt alio modo volitum, quam eſt præcognitum, & malitia creſcit pro ratione cognitionis offenſæ, ut docent Theologi; non tamen neceſſe eſt, ut cognoſcatur expreſſe, ut inferens mortem; quia ad culpam non neceſſario requiritur cognitio pœnæ gravis: cogitans vero de malitia ſolum in genere, vel de illius periculo, quin cogitet, an levis, vel gravis ſit, nonniſi venialiter peccat, *Nav. Rhod.*, *Valent. apud P. Gerv.* quia ut gravis non eſt cognita; ergo nec ut talis volita; niſi paratus eſſet illud committere ſive grave ſit, ſive leve; quia graviter per-

ver-

verſa eſt ipſius voluntas, & periculo ſe voluntarie exponit, graviter peccandi. Impedimenta plenæ conſiderationis ſunt 1. habitus, vel conſuetudo involuntaria. 2. Vehemens paſſio antecedens. 3. Varii motus, & occupationes animum valde diſtrahentes.

Hinc 1. Graviter peccat 1. Judex advertens obligationem melius ſtudendi, cauſam exactius examinandi, licet, dum actu ſententiam injuſtam profert, nullam actu injuſtitiæ cogitationem, vel advertentiam habeat, ſed ſe juſte procedere, credat. 2. Sciens, ex ebrietate ſua lites, homicidia, blaſphemias oriri, vel ex turpi colloquio, & impuris cogitationibus ante ſomnum voluntarie admiſſis pollutionem ſequi; quamvis in ebrietate, vel ſomno de malitia prædictorum non cogitet, nec cogitare poſſit, & cenſuras, ſi ſint annexæ, incurrit; *Tourn. de Cenſ.* ſic motus inordinati imputantur ad culpam, licet ratio actu non advertat ad malitiam, quando exurgunt modo cauſa illorum, ut lectio librorum amatoriorum ſcienter, & voluntarie fuerit poſita, & ponendo cauſam periculum adverterit; econtra vero non peccat alicui objecto, v. g. alicui malæ cogitationi, mutui iræ, vel libidinis inhærens delectabilitatem ſolum, vel utilitatem advertens, nullo modo vero turpitudinem illius, nec ſe male agere dubitans, ſicut non peccat comedens carnes in die jejunii non advertens obligationem, quamvis attendat ad delectationem, vel utilitatem carnis, modo, ut dictum, malitia, aut illius periculum non fuerit antecedenter in cauſa prævifum. 3. Graviter peccat ob ebrietatem in Feſto Miſſam omittens, vel hominem inadvertenter abſque debita cautione pro fera occidens, licet actu de homicidio, vel omiſſione non cogitet; ſic impudici, blaſphemi, perjuri ex pravo habitu voluntarie contracto verba impudica, blaſphemias, perjuria proferentes, licec actu, dum talia agunt, de malitia eorum non cogitent, nec illius conſiderandæ dubium, vel ſcrupulus occurrat, modo in cauſa, & conſuetudine contracta aliquomodo illam præviderint; excuſantur tamen, ſi conſuetudinem involuntariam reddant, contra eam proteſtantes, media a Confeſſario præſcripta adhibentes, & invite in ſimiles actus erumpentes.

Quær. 5. Quid, & quotuplex ſit mendacium, amphibologia, & reſtrictio mentalis?

Reſp. 1. Mendacium eſt locutio, aut quælibet ſignificatio contra mentem cum intentione fallendi; poteſtque fieri nutu, ſcripto, geſtu, vel facto; & eſt triplex, nempe officioſum, jocoſum & pernicioſum. Officioſum eſt locutio contra mentem utilitatis alienæ cauſa. Jocoſum eſt locutio contra mentem voluptatis propriæ, vel alienæ cauſa. Pernicioſum eſt locutio contra mentem nocumentum proximo, vel Eccleſiæ inferens.

2. Amphibologia, ſeu æquivocatio eſt ſermo ambiguus habens duplicem ſenſum, quem proferens prævidet ab audiente accipiendum in alio ſenſu, quam ipſe intelligit. Reſtitutio vero mentalis eſt æternæ locutionis interna limitatio ſubaudita. Utraque amphibologia, & reſtrictio mentalis eſt duplex, nempe pure mentalis, cujus ſenſus intentus, nec ex modo loquendi, nec ex ſignis, aut circumſtantiis, neque ex uſu communi ab audiente poteſt deprehendi; & late mentalis, vel ſenſibilis eſt, cujus ſenſus a loquente intentus, vel ex modo loquendi, vel ex ſignis, & circumſtantiis, vel ex communi uſu ab audiente poteſt deprehendi.

Quær. 6. Quale peccatum ſit mendacium, & an amphibologia, ac reſtrictio mentalis ſint licita?

Dico. Omne mendacium eſt intrinſece malum: quia repugnat rectæ rationi; & mendacium perniniosum ex genere ſuo eſt mortale; jocoſum vero, & officioſum ſunt tantum venialia; quia pernicioſum grave ex genere ſuo damnum infert, non vero officioſum, vel jocoſum. Amphibologia, reſtrictio pure mentales, & inſenſibiles ſunt vera mendacia: quia aliud habetur in animo, & aliud in verbis, dicit S. Auguſtinus, ac proinde in nullo caſu ſunt licita; reſtrictio vero late mentalis, & ſenſibilis non eſt mendacium, ſed aliquando prudens veritatis occultatio ex juſta, & gravi cauſa licita; quia verus ſenſus etiam externe exprimitur, licet ab audiente non advertatur, & ea utens proximum non decipit, ſed eum decipi permittit; non tamen eſt licita abſque juſta cauſa; quia non licet alteri præbere occaſionem errandi, & repugnat legibus ſocietatis, fidelitati, & ſinceritati; niſi veritatem celandi gravis urgeat cauſa.

Hinc 1. Si quis non poſſet baptizari, niſi cuſtodibus mendacio deceptis, baptiſmus potius eſt prætermittendus, *S. Auguſt.*; vel ſi non poſſet audire Miſſam, niſi hero men-

mendaciis decepto, potius a Miſſa abſtinendum. 2. Graviter peccat inter concionandum falſa miracula, vel falſas indulgentias, vel reliquias annuncians, vel alicujus Sancti vitam fingens; quia ſunt mendacia Religioni perniciosa. 3. Graviter peccat in confeſſione falſum ſibi crimen imponens, vel verum ita minuens, ut mortali fiat veniale; quia Sacramento gravis infertur injuria; venialiter vero, ſi mentiretur ſolum circa circumſtantias leves. 4. Graviter peccat a Judice, vel Superiore legitime interrogatus, non ſincere, ſed cum reſtrictione late mentali reſpondens; vel æquivocatione etiam ſenſibili veritatem celans, cum bonum Reipublicæ, vel Eccleſiæ exigit, ut veritas palam proferatur, ut pro extinctione hæreſis, vel machinationis contra Rempublicam, aut Principem; non vero peccat reus illegitime interrogatus negans, ſe crimen commiſiſſe, ſubintelligendo, quod manifeſtare tenetur, vel exemptus a gabellis negans, ſe habere merces, ſubintelligendo, de quibus gabellas ſolvere tenetur; vel Confeſſarius negans, ſe ſcire crimen in confeſſione auditum, ſubintelligendo, quod revelare poſſit; quia in his circumſtantiis audientes ſciunt, ſic interrogatis permitti, veritatem celare pro evitandis gravibus pœnis, & integritate ſigilli; nec peccat famulus interrogatus ab aliquo inviſente ipſius dominum, an adſit dominus, reſpondendo, non adeſſe, ſubintelligendo, ut videatur; quia ex uſu communi audiens intelligit dominum non poſſe videri, nec ſit animo fallendi.

Quær. 7. Quid, & quotuplex ſit delectatio moroſa, quotuplex illius objectum, & conſenſus?

Reſp. 1. Delectatio moroſa eſt actus ſibi complacentis in malo, vel diſplicentis in bono abſque intentione malum exequendi; differt a deſiderio; quia deſiderium eſt actus voluntatis, ſibi complacentis in malo cum intentione illud exequendi, ſi poſſet.

2. Delectatio in materia luxuriæ duplex eſt, nempe ſpiritualis, quæ in ſola voluntate conſiſtit ſine ulla motione ſenſibili in corpore; & venerea, quæ ſentitur circa partes venereas ex commotione ſpirituum generationi inſervientium.

3. Objectum delectationis moroſæ eſt duplex, primum eſt ipſa cogitatio, vel artificium operis cogitati; ſic, ſi quis delectetur de notitia, quam habet rerum turpium, vel

vel de modo ridiculo, quo quis cadens, vel rixans læſus fuit. Secundum eſt ipſa res mala cogitata, quæ parit voluptatem.

4. Conſenſus in delectatione moroſa eſt triplex, nempe poſitivus, negativus, virtualis. Poſitivus, qui etiam expreſſus, & formalis dicitur, eſt ille, quo voluntas per actum expreſſum approbat delectationem pravam ab intellectu propoſitam. Conſenſus negativus, qui etiam interpretativus dicitur, eſt ille, quo voluntas delectationem quidem non poſitive approbat, ſed eam advertens, non repellit, mereque negative circa illam ſe habet. Virtualis eſt ille, quo voluntas delectationem approbat, non quidem in ſe, ſed virtute cauſæ illius voluntarie poſitæ, ex qua delectatio ſequitur, quæ cauſa delectationis duplex eſt, una per ſe, quæ ad delectationem malam cauſandam ordinatur, aliumque effectum ex ſe non habet; ut tactus venerei, oſcula libidinoſa, &c. Alia per accidens, quæ ex ſe non ordinatur ad talem delectationem, ſed ad alium effectum, ut vinum, cibus nimius, vel nimis calidus, tactus in partibus inhoneſtis medendi cauſa facti ex ſe non ad delectationem veneream, ſed cibi ad roborandum corpus, & factus ad illud ſanandum ordinantur.

Quær. 8. *Quale peccatum ſit delectatio moroſa de ſola cogitatione, notitia, vel modo rei illicitæ?*

Dico. Delectatio moroſa de ſola cognitione, vel notitia rei illicitæ, vel inſolito, ac mirabili illius modo, vel ſolum de bono illius effectu per ſe non eſt moraliter peccaminoſa; quia cognitio rei illicitæ, vel illius modus mirabilis, aut artificium non eſt malum, ac proinde nec illius delectatio, ſic Eccleſia gaudet de bono effectu peccati Adami, cantando: *o felix culpa*, &c. poteſt tamen eſſe mala venialiter, ſi in ea deliberate ſiſtat non tendendo in finem honeſtum, vel mortaliter per accidens ob periculum delectationis rei mortaliter malæ, ut venereæ, vel ob periculum illius conſenſus.

Hinc: Non graviter peccat, videns ex equo cadentem, vel verbis, ac verberibus ſe male tractantes, ridendo, ſeque oblectando, non de vulneribus cauſatis, ſed de ridiculo modo cadendi, vel rixandi; nec graviter peccat, ſe delectans de mira inventione virginem, vel alienam uxorem decipiendi, vel de arte in literis amatoris, vel de

arte

arte furandi, pingendi imagines nudas, vel artificio ſtatuæ nudæ, carminis, muſicæ, cantilenæ turpis, de ſcientia diſputandi, vel diſcurrendi de rebus venereis, matrimonialibus, magicis &c. ſi ſolum modus, notitia, artificium ſint objectum delectationis; venialiter tamen peccant; ſi in ſola delectatione deliberate ſiſtat, ob defectum finis honeſti, & in materia luxuriæ ſæpe ſunt mortalia ob periculum turpis delectationis, & poſſunt præſumi eſſe de ipſa re turpi, 1. ſi motivum delectationis ſit res vana, inutilis, & non neceſſaria, ut ſunt colloquia ſine bono fine de uſu, & debito matrimonii, vel occultis corporis partibus inſtituta, lectio curioſa de amatoriis, comœdiæ de cultu amoris inhoneſti, artes, & dolos illius exhibentes; ſecus ſi eſſet ſtudium moralis, medicinæ ad corpus ſanandum; conciones faciendas, caſus reſolvendos &c. 2. Si oriatur ex affectu turpi, ut ſi in alia materia pia, vel indifferenti de eodem artificio, muſica, poeſi, modo, & cogitatione non eadem, ſed in re turpi major percipiatur delectatio. 3. Si caſus conſcientiæ ad luxuriam ſpectantes qui curioſius præ cæteris perquirat, & minutiſſima perſcrutetur, confeſſiones fœminarum libentius, quam virorum audiat.

Quær. 9. *Quale ſit peccatum delectatio moroſa de ipſa re illicita, & quando, ac quomodo aliquis teneatur ei reſiſtere?*

Dico. Delectatio moroſa de ipſa re illicita in quacunque materia, ſive ſpiritualis, ſive venerea, eſt peccatum mortale, ſi res mortaliter mala, & veniale, ſi ſit venialiter mala; quia de ea delectando malum amat, quod eſt peccatum; eodem modo peccat de bono proximi, vel virtutis diſplicentiam habens; quia bonum odit, & contrariorum par eſt ratio; etiamſi nulla adſit operis faciendi voluntas; vel ſolum adſit conſenſus negativus, nullumque ſit periculum conſenſus poſitivi in delectationem; quia voluntarie delectationem malam amat, & raro, vel nunquam eſt ſine periculo conſenſus poſitivi, præcipue in materia luxuriæ; unde delectationem de re illicita animadvertens tenetur poſitive reſiſtere 1. deferendo objectum, vel actionem inhoneſtam, & inutilem, unde naſcitur. 2. Per actum formalem diſplicentiæ, & mentem alio vertendo; vel orando, niſi juſta a poſitiva reſiſtentia excuſet cauſa, qualis eſt 1. probabilis timor, ne depulſa gra-

Digitized by Google

vior exurgat, vel per reſiſtentiam concupiſcentia magis augeatur; quia hoc eſſet potius ei cooperari. 2. Si ad illam repellendam quis deberet deſerere aliquam actionem honeſtam, utilem vel neceſſariam; quia, cum quis talem actionem non teneatur relinquere, nec delectatio inde ſecuta cenſetur voluntaria; modo tamen abſit periculum conſenſus poſitivi, qui eſt intrinſece malus, & pro ſemper prohibitus, & adſit vera delectationis diſplicentia. 3. Excuſatur, ſi quis ob magnam animi ad opus honeſtum applicationem, vel attentionem non reſiſtat poſitive, *Habert.* quia æquivalet averſioni poſitive ad alia; ſumitque delectatio moroſa ſuam ſpeciem ab objecto, & circumſtantiis; quia inde oritur diverſa ſpecie oppoſitio ad rectam rationem, & regulas morum.

Hinc: graviter peccat, 1. ſe delectans de vindicta habita, vel habenda, de homicidio, fornicatione, vel copula, etiamſi eſſet viduus ſe delectans de copula præterita, vel ſponſus de futura: an autem etiam in cujugatis abſente comparte delectatio moroſa de copula præterita, vel futura ſit peccatum mortale, non conveniunt Auctores. Eſſe mortale, ſi ſit venerea, & in carne præſens, etiam ſecluſo periculo pollutionis, aſſerit *Tournely*, *Vaſquez*, & *alii*; quia omnis delectatio venerea ordinatur ex natura ſua ad pollutionem, & juxta Medicos eſt quædam illius inchoatio, quæ, cum extra actum conjugalem ſit mortalis, etiam omnis actus ad illam ordinatus, vel ex ſe ad illam tendens extra uſum conjugalem, & ſine ordine ad illum eſt mortalis, etiam in conjugatis, uti ſunt impudici proprii corporis tactus in abſentia compartis ſolius delectationis carnalis cauſa facti; & altera ratio eſt, quia delectatio illa venerea eſt de actu conjugali tanquam præſenti, cum fiat cum motione carnis, & in abſentia compartis eſt lethaliter prohibita. Delectationes vero moroſas in conjugatis de copula habita, vel futura etiam in abſentia compartis ſecluſo periculo pollutionis non eſſe mortales, docet cum aliis *P. Gervaſius*; quia copula conjugatis eſt licita, ergo & delectatio de illa, licet per accidens ob abſentiam compartis exerceri nequeat, & cui licita eſt operatio, etiam licita eſt voluptas inde derivata in finem honeſtum ordinata, & cum tactus impudici inter conjuges ſolius voluptatis gratia, ſecluſo periculo pollutionis, non ſint mortales juxta communiorem, nec eadem

dele-

delectatio abſente comparte, ſecluſo periculo pollutionis videtur mortalis; quæ opinio, licet non careat fundamento, prior tamen in praxi eſt ſecurior, & tenenda. Non vero peccant viduus, ſponſus, & conjugatus in abſentia compartis de opere conjugali præterito, vel futuro ſe delectantes, vel gaudentes ſpiritualiter honeſto ſine abſque carnis commotione; quia nihil approbant, nec amant, niſi, quod, & quatenus eis fuit, vel erit licitum, *Sylvius*, *Nav.*, *Sylveſt. apud Tourn.*, *P. Gerv. Habert. contra P. Thom. ex Charm.* ſic non peccat mortaliter viduus gaudens, ſine carnis motione, ſe reddidiſſe comparti debitum, vel ſponſus de futuro, & conjugatus de futuro, ac præterito matrimonii uſu tanquam de actu juſtitiæ, ſi delectatio ſit ſpiritualis conſiſtens in ſola voluntate; quia eſt de re licita, nempe delectatione futura, vel præterita ipſis pro illis temporibus licita. Peccant vero graviter, ſi delectatio ſiſtat in motione actuali, & ſenſibili in corpore, quæ de præſenti ipſis eſt illicita; vel per accidens, ſi adſit periculum conſenſus delectationis venereæ, & propterea ſtatim abjicienda; & ſæpe non carent ſimiles delectationes etiam ſpirituales omni culpa veniali, etiam ſecluſo conſenſus delectationis venereæ periculo; quia ſæpe ſunt vanæ, & inutiles. 2. Peccat graviter gaudens de ipſa cauſa in ſe graviter mala effectus boni, vel etiam inculpate poſita, ſic filius de morte patris, non ut ipſius malum, ſed ut eſt bonum gaudentis ob hæreditatem acquiſitam, *Innoc. XI. in damnat. prop.* 14. vel de pollutione nocturna propter alleviationem naturæ; quia eſt in ſe mala, ac proinde in nullo caſu appetibilis, non magis, ac mors patris propter hæreditatem, *Soto*, *Medina*, *Azor*, *Sylvius apud Tourn.* & quamvis S. Thomas videtur contrarius, attamen pollutionem nocturnam, ut rem mere naturalem, & ſecundum alleviationem, ac proinde ſecundum effectum conſiderat, & ut ſic non eſt peccaminoſa; quia non eſt peccatum, ſi delectatio ſiſtat in ſolo effectu bono ſecuto, vel ſine culpa ſecuturo; ſic non peccat filius gaudens, non de morte patris, ſed de hæreditate inde ſecuta; vel quia lites in familia propterea ſunt ſopitæ; ſic non peccat gaudens non de ipſa pollutione nocturna, ſed de alleviatione naturæ, de liberatione ab æſtu tentationis, morbi periculo. 3. Graviter peccat ſe delectans de fornicatione, furto, homicidio ſub conditione, ſi non eſ-

ſent

ſent mala; ſic cogitans: vellem fornicari, furari, occidere inimicum, ſi hæc non eſſent prohibita; vellem fornicationem non eſſe malam, ut poſſem ſine culpa fornicari, &c. quia vult, quod non poteſt velle, niſi ſimul volendo malitiam ab objeſto intrinſece malo volito inſeparabilem; non vero graviter peccat, dicens: vellem comedere carnes, ſi non eſſet quadrageſima, nubere, ſi non eſſem Religioſus, vel voto ligatus, damnare reum ad mortem, ſi eſſem Judex; quia in his malitia poteſt ſeparari ab actu, qui non eſt intrinſece malus; ſimilia tamen raro ſunt ſine culpa veniali; quia ſæpe vanæ ſunt, & inutiles locutiones ſine honeſto carentes. 3. Mortaliter peccat ponens cauſam per ſe, vel etiam cauſam per accidens, vel actionem in ſe non mortaliter malam, delectationes tamen venereas excitantem cum probabili conſenſus periculo. *Plura vide infra de luxuria.*

Quær. 10. *Quotuplex ſit advertentia, & conſenſus, & quomodo cognoſcatur materiæ gravitas?*

Reſp. Advertentia in ordine ad peccatum dividitur, 1. in formalem, virtualem, & interpretativam. Advertentia formalis, ſeu expreſſa eſt ea, qua quis elicit actionem, quam hic, & nunc cognoſcit, eſſe malam. Virtualis eſt illa, qua quis elicit actionem cum dubio, ſuſpicione, vel ſcrupulo peccati, vel periculi illius, vel cum prævisione ſaltem confuſa peccati in ſua cauſa. Interpretativa, qua quis elicit actionem, cujus malitiam potuit, ac debuit advertere, ſed per negligentiam culpabilem non advertit; potuit autem, ac debuit quis advertere, 1. quando advertit opus, quod aggreditur, plus mereri conſiderationis, nec tamen majorem adhibet, vel quando advertit obligationem melius inquirendi, & non inquirit. 2. Quando agens vult aliud, quod cum ſeria rei faciendæ conſideratione cohærere nequit. 3. Quando ſe non exuit defectu, qui advertentiam tollit, ut eſt præcipitatio in agendo, negligentia in attendendo, &c. *vide tract. de Act. hum. Q. 2. Quærit. 6. & 15.*

2. Dividitur in advertentiam plenam, & perfectam, qua homo ſibi præſens, & ſui compos malitiam actus advertit, vel advertere poteſt, quantum ſufficit; & in ſemiplenam, & imperfectam, qua homo non ſatis ſibi præſens, vel ſui compos, ut actionis malitiam, quantum ſufficit, advertere poſſit, ut ſemi-dormiens.

3. Con-

3. Conſenſus etiam triplex eſt, formalis, virtualis, & interpretativus, ut ſupra *de delect. mor.*; & ulterius dividitur in plenum, quo voluntas cum plena deliberatione objectum intellectu propoſitum amplectitur; & ſemi-plenum, quo voluntas abſque perfecta deliberatione, ſeu approbatione objectum amplectitur, ut in ſemi-dormiente, ſemi-ebrio, in infantibus ante perfectum rationis uſum, & in agentibus ex inadvertentia mere naturali, præcipitatione, perturbatione, &c. In dubio, non plene conſenſiſſe ſupponitur, 1. ſi Deum timeat, & alias potius mori, quam fœdari voluerit; ſecus ſi alias conſentire conſueverit; quia præſumptio prudenter petitur a conſuetis. 2. Si dubitet, an vigilans, vel dormiens, ſui compos, vel impos quidpiam fecerit; quia qui plena advertentia egit, ſe vigilaſſe, bene ſentire ſolet; vel ſi extra ſomnum non fieri ſoleat, ſignum eſt, fuiſſe factum in ſomno. 3. Si occaſionem malum facile exequendi abjecerit; quia ſignum eſt contrariæ voluntatis. 4. Si loquitur, tangit, videt fortuito, & obiter; ſecus, ſi fiat reiterato circa idem objectum, & eodem tempore; quia actiones externæ reiteratæ ſolent fieri imperio voluntatis, interiores vero ſæpe illa renitente, vel non advertente.

4. Materiæ gravitas ex quadruplici capite colligitur, 1. ex auctoritate ſcripturæ declarantis aliquam actionem abominabilem, morte dignam, a Regno Dei, excludentem. 2. Ex auctoritate Eccleſiæ, SS. Patrum, ex communi ſapientum ſenſu actionem peccatum mortale æſtimantium. 3. Ex lege humana juſta ſub mortali in materia notabili obligante. 4. Ex ratione naturali dictante, aliquid charitati Dei, vel proximi graviter repugnare. Materiæ vero gravis notabilis quantitas colligitur ex fine præcepti cum omnibus ſuis circumſtantiis, ita, ut ſi materiæ quantitas graviter obſit fini a præcepto intento, materia cenſeatur notabilis; quando autem in particulari graviter obſit fini a præcepto intento, variæ ſunt Doctorum opiniones in ſuis locis examinandæ; & in quibuſdam materiis quælibet materia eſt notabilis; ſic non datur parvitas materiæ, 1. in iis, quæ ſunt immediate contra Deum, & Religionem, ut odium, & contemptus Dei, blaſphemia, infidelitas, deſperatio, perjurium, ſimonia. 2. In iis, quæ ſunt contra Sacramenta, ut irritatio Sacramentorum, fractio ſigilli ſacramentalis, & jejunii natura-

turalis ante Euchariſtiam, &c. 3. Quæ gravem in peccatore important deformitatem, & corruptionem, ut ebrietas, luxuria, homicidium, contemptus formalis Superioris, delectationes venereæ, etiam ſecluſo periculo pollutionis, & conſenſus in fornicationem.

Quær. 11. *An dentur peccata ex natura ſua mortalia, & an malitia illorum ſit infinita?*

Dico. Dantur peccata ex natura ſua mortalia; ita Catholici omnes; quia peccata quædam mortem æternam afferunt, & a Regno Dei excludunt, ut teſtatur Scriptura. Malitia tamen illorum non eſt intrinſece, & ſimpliciter infinita; quia habet terminum, ultra quem poteſt augeri, vel minui, cum detur malitia major, & minor in diverſis peccatis; ſed ſolum ſecundum quid extrinſece, & objective, ſeu terminative; quia tendit in objectum infinitum, nempe Deum offenſum.

Quær. 12. *Quanam requirantur ad peccatum mortale?*

Dico. Ad peccatum mortale tria requiruntur, nempe 1. plena advertentia. 2. Perfectus conſenſus. 3. Materia gravis includens notabilem quantitatem; quia ad malum tam grande, quod in genere morum eſt graviſſimum, amicitiam Dei diſſolvens, pœnamque æternam inferens, non videtur ſufficere ſemiplena advertentia, conſenſus imperfectus, ac materia levis; & Dei bonitati repugnat, ob rem levem mala tam gravia imponere; non tamen requiritur conſenſus actualis formalis, vel virtualis; ſed ſufficit etiam interpretativus conſiſtens in eo, quod quis poſſit, ac debeat advertere malitiam, vel ejus periculum, prout ſolet contingere in peccante, 1. ex ignorantia culpabili. 2. Ex conſcientia culpabiliter erronea. 3. Ex conſuetudine voluntaria. 4. Ex voluntaria propriæ voluntatis obcæcatione; quia omnes actu, dum peccant, non ſolent advertere malitiam, nec ejus periculum; eam tamen advertunt actu, vel illius periculum, aut obligationem melius inquirendi, cum ſcitu neceſſaria addiſcere voluntarie neglexerunt, vel pravam conſuetudinem, conſcientiam erroneam, vel cordis cæcitatem contraxerunt; vel ſtimulum veræ conſcientiæ malitioſe ſuppreſſerunt. *Vide ſupra de peccatis ignor. Quær. 3.*

Quær. 13. *Quanam ſint pœna peccati mortalis?*

Dico. Pœnæ peccati mortalis perſonalis ſunt pœnæ damni, & pœnæ ſenſus, ambæ æternæ, ut fides docet;

quæ

quæ non poſſunt infligi ut pœnæ vindicativæ propriedictæ, niſi ob propriam culpam, bene autem ut medicinales; quia *filius non portabit iniquitatem patris Ezech.* 18. poteſt etiam unum mortale eſſe pœna alterius permiſſive; quia Deus in pœnam peccati præcedentis ſpeciales gratias, quibus quis mortale ſubſequens evitaſſet, quandoque ſubtrahere ſolet, & eum in graviora labi, permittit.

Quær. 14. *Quotuplex ſit peccatum mortale, & veniale?*

Reſp. Peccatum mortale, aliud eſt mortale ex genere ſuo, cujus malitia ex objecto ſumpta in certa quantitate eſt per ſe gravis, ut furtum. Aliud eſt mortale ex toto genere ſuo, quod non admittit parvitatem materiæ, de quo ſupra. Aliud eſt mortale per accidens, cujus malitia, licet ex objecto levis, ſit tamen gravis ratione alicujus circumſtantiæ, vel finis: veniale vero ex genere ſuo eſt illud, cujus malitia ex objecto gravis, defectu notabilis quantitatis, vel plenæ advertentiæ, vel pleni conſenſus ſit levis.

Quær. 15. *An dentur peccata ex natura ſua venialia, & quomodo differant a mortali?*

Dico. Dantur peccata ex natura ſua venialia, quæ quantumcunque in propria materia, & objecto creſcunt, non fiunt mortalia, ut verbum otioſum, &c. patet *ex damnatione propoſ. Mich. Bay. a S. Pio V. & Gregor. X.* dantur etiam venialia per accidens ex defectu notabilis quantitatis materiæ, ut furtum leve, & ex defectu perfectæ deliberationis, & conſenſus, ut delectatio turpis imperfecte deliberata. Differt autem peccatum veniale a mortali præſertim, quia per peccatum mortale homo ita ſe avertit a Deo, ut virtualiter ſaltem, & interpretative finem ſuum ultimum conſtituat in creatura, quam Deo præfert, ut ait Apoſtolus *ad Phil.* 3. *quorum Deus venter eſt*; non vero per peccatum veniale, ſed Deum appretiative plus diligit, quam creaturam, quam deſerere habitualiter eſt diſpoſitus, ſi per illam Dei amorem graviter lædi, vel omnino ammitti, intelligeret.

Quær. 16. *An peccatum mortale poſſit ſieri veniale, ac veniale mortale, & quomodo peccata venialia diſponant ad mortalia?*

Dico. Omne peccatum ex genere ſuo mortale poteſt fieri veniale, 1. ex defectu plenæ advertentiæ, & perfecti conſenſus, 2. Ex defectu notabilis quantitatis mate-

riæ,

riæ, ſi illius parvitatem admittat. Peccata vero ex natura ſua venialia non poſſunt fieri mortalia per ſolam actus multiplicationem; quia plura verba otioſa, plura mendacia jocoſa, quomodocumque multiplicata, non efficiunt mortale; per accidens autem poſſunt fieri mortalia; 1. ratione pravæ diſpoſitionis agentis conſtituentis finem ſuum ultimum explicite, vel implicite in veniali, ita, ut potius velit peccare, mortaliter quam deſerere veniale; vel volentis facere veniale, quamvis ſciret eſſe mortale; vel exiſtimantis per conſcientiam erroneam eſſe mortale, quod ſolum eſt veniale. 2. Ratione finis mortaliter mali. 3. Ratione gravis ſcandali. 4. Ratione periculi proximi peccandi graviter. 5. Ratione contemptus formalis Superiorum. 6. Ratione unionis moralis materiæ per intentionem perveniendi ad notabilem quantitatem, vel per attentionem, ſe perveniſſe ad quantitatem notabilem, vel per ordinem ad eandem legis obſervationem. Peccata venialia per accidens defectu quantitatis notabilis, vel plenæ advertentiæ, & conſenſus directe diſponunt ad mortalia; quia, qui ſæpe furatur res parvas inclinatur ad majorem quantitatem; qui admittit in ſe delectationes turpes imperfecte delibertas, inclinatur ad perfecte deliberatas admittendas; peccata vero ex genere, & natura ſua venialia diſponunt ſaltem indirecte ad mortalia: quia removent id, quod mortalia impedit, nempe fervorem charitatis, ſpecialem in tentationibus Dei aſſiſtentiam, & ſpeciales gratias, augentque cupiditatem.

Hinc. 1. Graviter peccat nolens aliam beatitudinem, quam bibere, & frui temporalibus. 2. Verba jacoſa proferens cum intentione fornicationis, vel cum gravi ſcandalo proximi. 3. Volens omnia committere venialia; quia proximo ſe exponit periculo peccati mortalis; vel Religioſus ſtatuens, ſolum ſervare ſub mortali præcepta; quia tenetur tendere ad perfectionem. 4. Renuens ſubjici Superiori, ut Superior eſt. 5. In eadem die jejunii ſæpius pauca comedens, vel in eodem Feſto ſæpe modica laborans, plures verſus in officio ejuſdem diei omittens, ita, ut notabilis quantitas reſultet; quia coaleſcunt per ordinem ad eandem legem. Non vero mortaliter, ſed ſolum venialiter peccat ſingulis diebus unum, aut alterum verſum omittens; vel ſingulis diebus Dominicis per quadrantem laborans, qualibet die quadrageſimæ modicum panis

man-

manducans; quia non coaleſcunt ratione materiæ, cum non ad unam numero obligationem ſpectant.

Quær. 17. Quanam ſint pœna peccati venialis in hac, & in altera vita?

Dico. Pœnæ peccati venialis hujus vitæ ſunt 1. adverſitates, dolores, morbi, & ipſa mors; patet in punitione Moyſis, uxoris Loth, & Ozæ: 2. Subtractio gratiarum ſpecialium, quibus mortalia quis evitaſſet, & ſalutem æternam fuiſſet conſecutus: In altera vero vita ſunt dolores graviſſimi ignis Purgatorii in iis, qui in Domino moriuntur; & æterni dolores in damnatis quoad venialia in hac vita quoad culpam non remiſſa; quia tamdiu remanet pœna, quamdiu remanet ejus culpa, cujus in inferno nulla datur remiſſio, & temporales venialium quoad culpam remiſſorum, *S. Thomas*; quia nihil obſtat ſolutioni pœnarum per ſatiſpaſſionem venialium, vel mortalium, quoad culpam remiſſorum, *Scot. Tourn. Thom. ex Charm.*

QUÆSTIO III.

DE PECCATIS CAPITALIBUS.

Quæritur. 1. Quot ſint Peccata capitalia?

Reſp. Septem ſunt Peccata capitalia: ſuperbia, ira, avaritia, invidia, acedia, gula, luxuria.

Quær. 2. Quid, & quotuplex ſit ſuperbia, & quot ſint illius filiæ?

Reſp. 1. Superbia eſt appetitus inordinatus propriæ excellentiæ. Alia eſt completa, ſeu perfecta, qua quis bona a Deo ſolo, accepta gratuito a ſeipſo habere, vel pro ſuis meritis accepiſſe exiſtimat. Alia incompleta, ſeu imperfecta, qua quis bona ſibi arrogat, quæ non habet, vel ob ea, quæ quidem a Deo habere agnoſcit, plus æquo ſe alia præfert, vel extollit.

2. Species ſeu filiæ ſuperbiæ imperfectæ ſunt tres, 1. Præſumptio, quæ eſt appetitus inordinatus aliquid ſuas vires ſuperans, aggrediendi. 4. Ambitio, quæ eſt inordinatus honorum, & dignitatum appetitus. 3. Vana gloria, quæ eſt inordinatus laudis humanæ appetitus. Hujus aliæ ſunt

ſunt novem filiæ, nempe 1. Inobedientia, quæ eſt mandati Superioris tranſgreſſio cum contemptu, 2. Jactantia, quæ eſt inanis, ac ſtulta propriæ excellentiæ prædicatio. 3. Hypocryſia, quæ eſt ſimulatio virtutis, vel juſtitiæ, quam quis non habet. 4. Contentio, quæ eſt impugnatio veritatis modo inordinato. 5. Diſcordia, quæ eſt inordinata voluntatum contrarietas circa bonum. 6. Pertinacia, quæ eſt nimia proprio judicio adhæſio contra veritatem cognitam, vel ſufficienter propoſitam. 7. Inventio novitatum, quæ quis propriæ excellentiæ manifeſtandæ, vel vanæ gloriæ ſtudio, nova admirationem ingerentia excogitat. 8. Curioſitas, quæ eſt appetitus inordinatus ſciendi vana, & ſupra ſtatum ſuum. 9. Ingratitudo, quæ eſt contemptus, & oblivio beneficii accepti; ac proinde in toto ſunt duodecim ſuperbiæ ſpecies.

Quær. 3. *Quale peccatum ſit ſuperbia, & quænam ſint contra ſuperbiam remedia?*

Dico. Superbia perfecta eſt peccatum ex genere ſuo mortale; quia Deum contemnit, negando eum boni cujuslibet auctorem, vel eum faciendo boni collati auctorem ex debito; & quidem peccatum primum, & maximum, ac periculoſiſſimum; quia eſt initium omnis peccati, *S. Auguſt.* directe peccatorem a Deo avertens, cui ſubeſſe renuit, & ruina omnium virtutum, *S. Iſid.* Superbia vero imperfecta cum ſuis filiabus eſt ex genere ſuo veniale; quia non ita graviter repugnat charitati Dei, vel proximi; fit autem mortale per accidens. 1. ſi fiat cum gravi comtemptu Dei, Superiorum, vel proximi. 2. Si fiat cum gravi damno proximi 3. Ratione finis, affectus, ac mediorum mortaliter malorum. Remedia contra ſuperbiam ſunt 1. cognitio ſui. 2. Conſideratio brevitatis omnium temporalium. 3. Recordatio pœnarum ſuperbiæ in Angelis, Adamo, &c. 4. Converſatio cum humilibus. 5. Exercitium humilium, ut viſitare infirmos, ſervire pauperibus, tenere locum ultimum, deſpicere ſeipſum, ſibi diffidere, ſe Dei donis indignum & omnium minimum reputare, nolle honorari, vel laudari, ſed velle contemni, &c. 6. Oratio. 7. Exemplum Chriſti humiliantis ſeipſum uſque in mortem cucis.

Hinc: graviter peccat *ſuperbia perfecta* ſe de bonis corporis, vel animæ glorificans, quaſi ea non acceperit, vel quaſi ſibi fuiſſent a Deo debita; & contra *ſuperbiam imper-*

Imperfectam. 1. *præſumptione*, exercens, vel quærens officia Confeſſarii, Superioris, Judicis, Medici, &c. abſque ſcientia ſufficienti, vel ſine experientia navim per mare tumidum regere præſumens, vel equum ferocem cum periculo ſibi graviter nocendi conſcendens, vel ſuam ſalutem ſine bonis operibus ſperans, vel ad venerea proclivis ſolus cum ſola juveni manens, vel alia conſortia impudica frequentans, in quibus ſæpe ſuam expertus eſt fragilitatem, licet peccare non intendat. 2. *Ambitione* alios dominandi cupiditate ab obedientia Deo, vel Superioribus debita ſubtrahens, vel præeminentiam quærens, injuſte impediendo alios pro gloria Dei augenda, & ſalute proximi procuranda magis idoneos; vel per media graviter illicita, ut per ſimoniam, fraudem, detractionem; vel affectu nimis inordinato, ita, ut quis mallet peccare mortaliter, quam honores non adipiſci, vel eos dimittere, vel ſine ullo honoris titulo honorem ſibi indebitum violenter exigens. 3. *Vana gloria* diligens gloriam hominum magis, quam gloriam Dei, finem ultimum in ea conſtituens, nolendo recedere a doctrina, vel opinione falſa, etiam jubente Eccleſia, vel Epiſcopo, ne opprobria incurrat hominum, vel ex eodem timore in materiis difficilibus conſulere negligens, vel ad meliorem ſtatum redire nolens, vel gloriam quærens ex re mortaliter mala, ut ex fornicatione, duello, &c. vel quærens, aut defendens propriam gloriam cum iniqua, & gravi proximi depreſſione, contemptu, calumnia, detractione, vel de proximi honore, ac notabili excellentia notabiliter ſe contriſtans; vel pro victus, & veſtitus ſplendore debita viribus ſuis majora cum gravi proximi detrimento contrahens, vel ſtatus ſui gloriam cum injuſta vicinorum invaſione amplificans, vel gloriæ cupiditate pericuIoſa conſilia, ſcripta, præcepta, &c. ſuggerens. 4. *Inobedientia*, ex contemptu formali Superioris mandatum tranſgrediens. 5. *Jactantia* ſe extollendo ſupra Deum, ut Lucifer dicens; ſimilis ero altiſſimo; vel derogando honori proximi, ut ille Phariſæus dicens: non ſum ſicut cæteri homines, raptores, injuſti, &c. vel ſe jactando, ſe rem habuiſſe cum tali fœmina honeſta, vel cum ſcandalo alios in idem peccatum inducendo, vel commiſſum approbando; vel de qualitatibus fictitiis, vel divitiis ementitis, ut uxorem ſe longe ditiorem obtineat, officia, vel beneficia, quæ non meretur, acquirat, ſua arte me-

dicinæ, &c. pecuniam lucretur, aliis nocendo. 6. *Hypocryſi*, ſanctitatem contemnens, eamve externe ſolum ſimulans, & in peccatis gravibus perſeverans, ſe iuſtum externe exhibens, ut falſam doctrinam eo efficacius diſſeminet, dignitates Eccleſiaſticas indignus acquirat; ſacram Communionem indigne ſuſcipens, ne devotionis nomine falſo acquiſito excidat. 7. *Contentione*, veritates fidei, vel moralis Chriſtianæ doctrinæ, vel ad pietatem ſpectantes ut Immaculatæ Conceptionis, contentioſe impugnans, vel cauſam injuſtam doloſe defendens. 8. *Diſcordia*, diſſeminans in communitate, vel familia diſcordias cum notabili detrimento. 9. *Pertinacia*, cum gravi Dei, Superiorum, vel proximi injuria, contemptu, vel detrimento a ſua opinione recedere nolens. *Inventione novitatum*, in veſtibus, ornamentis, nuditate, doctrina, modeſtiæ, vel caſtitati, aut bonis moribus contrariis. 11. *Curioſitate*, inveſtigando modos agendi turpia ſecretos, vel legendo libros laſcivos, periculoſos, puritati contrarios, vel inquirendo ſupra ſuum ſtatum ſibi, vel proximo graviter nociva, vel ſub ſigillo confeſſionis, vel ſub ſecreto, vel juramento occultanda; vel ſimpliciter legendo Bibliam ſine Confeſſarii licentia cum damno, vel periculo. 2. *Ingratitudine*, ſuos benefactores inſignes graviter deſpiciendo, reciproca beneficia in gravi neceſſitate denegando.

Quær. 4. *Quid ſit ira, & quænam ſint illius filiæ?*

Reſp. 1. Ira in genere, prout poteſt eſſe bona, vel mala, eſt appetitus vindictæ; ſpecifice vero, ut eſt mala, eſt appetitus inordinatus vindictæ in res ratione utentes; vel quaſi vindictæ, nempe in res inanimatas, ſic ſcholaſticus calamum, vel artifex inſtrumentum præ ira comminuens, qui non proprie vindictam exercet; poteſt autem ira eſſe inordinata, vel ex parte objecti, volendo vindictam ei, qui eam non meruit, vel majorem, quam meruit, vel inferendam ſine juſta auctoritate, vel non propter debitum finem juſtæ punitionis, vel correctionis, ſed ut ſatiativam malevoli cordis; vel poteſt eſſe inordinata ex parte modi, iraſcendo nimis ardenter interius; vel nimis exterius manifeſtando ſigna iræ.

2. Filiæ iræ vulgo ſex numerantur, 1. indignatio, quæ eſt animi commotio, qua quis ob injuriam ſibi, vel ſuis factam proximum officiorum charitatis reputat indignum. 2. Timor mentis, qui eſt quidam animi æſtus diverſa vindictæ.

Digitized by Google

dictæ media omni conatu excogitantis. 3. Clamor, qui eſt inordinata, & confuſa vocis elatio. 4. Blaſphemia, quæ eſt injurioſa contra Deum, vel Sanctos locutio. 5. Contumelia, quæ eſt ſermo injurioſus contra proximum ſermonem injurioſum audientem. 6. Rixa, quæ eſt pugna manum ex ira auctoritate privata ſe invicem percutientium.

Quær. 5. *Quale peccatum ſit ira, & quænam ſint, illam, contra, remedia?*

Dico. Ira ex parte objecti inordinata, eſt peccatnm ex natura ſua mortale; quia charitati, ac juſtitiæ graviter opponitur, niſi defectus pleni conſenſus, vel parvitas materiæ excuſet; inordinata vero ſolum ex parte modi per ſe eſt tantum veniale, *S. Thom.* per accidens fit mortale ratione ſcandali, convitii, blaſphemiæ, maledicti, vel ſi alio modo ſibi, vel aliis graviter noceat: & eſt nullum peccatum, ſi nec in modo, vel objecto, nec in fine deficiat; ſed pro correctione culpæ, & conſervatione juſtitiæ fiat; quia Pſalmiſta ait: *Iraſcimini*, & *nolite peccare*. Remedia contra iram ſunt 1. iræ, etiam juſte pulſanti non aperire penetralia cordis, *S. Aug.* quia facile excedit. 2. Nihil agere ex, vel in ira, ſed ea ſedata *S. Ambr.* 3. Elicere ſæpius actus iræ oppoſitos, ut charitatis, humilitatis, patientiæ, manſuetudinis. 4. Conſiderare injuſtitiam iræ, triſteſque illius effectus. 5. Meditatio manſuetudinis Chriſti 6. Oratio.

Hinc: graviter peccat 1. optans mortem inimico, vel furi ob leve furtum, vel damnum ſibi illatum, vel ob grave, ſed a ſe, vel privato inferendam. 2. Superior gravem volens pœnam etiam ſubito debitam non juſtitiæ, vel correctionis, ſed gravis iræ ſatiandæ cauſa. 3. Iraſcens cum gravi aliorum ſcandalo, vel gravibus convitiis, vel blaſphemiis, maledictis, vel nocumento propriæ valetudinis, deſtructione feneſtrarum, vaſorum, aliove notabili damno, vel negando charitatis officia ſub mortali debita. Venialiter autem ſolum peccat nimio ſolum ardore iraſcens ſine alio damno, vel gravi contemptu, vel inordinatam volens vindictam in minimis ſolum punitionibus vel quaſi vindictam frangendo calamum a ſcribente, vel penicillum a pictore.

Quær. 6. *Quid ſit avaritia, & quænam ſint illius filiæ.*

Reſp. 1. Avaritia eſt amor, ſeu appetitus inordinatus

Digitized by Google

divitiarum; appetitus autem poteſt eſſe inordinatus, 1. ratione objecti, aliena concupiſcendo, accipiendo, retinendo, vel propriis ardentius inhærendo, ſine modo ea proſequendo, eis complacendo, vel indigentibus non ſatis dando. 2. Ratione finis, ultimum finem in iis conſtituendo.

2. Filiæ avaritiæ ſunt ſeptem, 1. proditio, quæ eſt illicita manifeſtatio rei, vel perſonæ in proximi detrimentum contra fidem debitam divitiarum cauſa. 2. Fraus, quæ eſt deceptio proximi per facta injuſta, ut emendo, vendendo. 3. Fallacia, ſeu dolus, qui eſt deceptio proximi per verba doloſa. 4. Perjurium, quod eſt deceptio proximi per juramenta. 5. Inquietudo mentis, quæ eſt nimis anxia mentis attentio ad divitias inquirendas, conſervandaſve. 6. Violentia, quæ eſt rei alienæ per vim uſurpatio. 7. Obduratio cordis, ſeu immiſericordia, quæ eſt tenax rebus terrenis adhæſio.

Quær. 7. Quale ſit peccatum avaritia, & quænam ſint contra illam remedia?

Dico. Avaritia quatenus charitati, & juſtitiæ graviter opponitur, eſt ex genere ſuo peccatum mortale; quia divitiæ amori Deo, & proximo debito præferuntur; eſt autem veniale, ſi ſolum opponatur liberalitati; quia amor divitiarum amori Dei, & proximi non præferuntur, nec aliquid grave contra Deum, vel proximum intendit, *S. Thom.* media contra avaritiam ſunt 1. conſideratio brevitatis vitæ. 2. Difficultatis introeundi cum illis in Regnum Dei. 3. Exempli Chriſti pauperis, & Sanctorum. 4. Contemptus, & inſatiabilitatis avarorum.

Hinc: graviter peccat, 1. opes, & bona per fas, & nefas acquirere paratus, &c. ita affectus, ut potius fallere, perjura e, &c. quam a lucro abſtinere velit; vel ita cupide ſua retinens, ut nec exigente Dei gloria, nec pro ſalute proximi, vel pro gravi, aut extrema ejus neceſſitate ſublevenda eorum jacturam, vel diminutionem pati velit. 2. Superflua modo nimis inordinato congerens, & populo fame attrito frumenta recondens uſque dum ad exceſſivum pertingant pretium; quia charitatem, præcipue erga pauperes, graviter lædit. 3. Talentum prædicationis habens ob bona temporalia fame Verbi Dei animas perire ſinens, *Tourn.* 4. Proditione perſonæ, ut Judas Chriſtum tradidit; vel proditione loci, oſtendendo hoſtibus viam, ac

ac modum ingrediendi civitatem; vel proditione rei oſtendendo, ſeu manifeſtando furi bona abſcondita, vel proditione ſecreti aperiendo literas, vel arcanum ſuæ fidei commiſſum; excuſatur tamen a mortali, ſi certo conſtet literas continere res parvi momenti, & a veniali, ſi eas aperiat auctoritate publica, vel certo ſciat, eas in ſui, vel proximi, præcipue communitatis, damnum eſſe ſcriptas; vel ſi res ſub ſecreto commiſſa cedat in corruptionem multitudinis, vel ſpiritualem ut hæreſis, vel corporalem, ut excidium patriæ, incendium pagi; vel in grave alicujus perſonæ damnum, ut vitæ, famæ, vel bonorum; in his enim ſolus Confeſſarius tenetur ad ſecretum: alius enim illud ſervando læderet charitatem alteri debitam. Secluſo vero præjudicio tertii nec ex præcepto Superioris illud prodere licet, *S. Thom. apud Tourn.* quia ſervare fidem promiſſam eſt de præcepto naturali.

Quær. 8. *Quid ſit invidia, & quænam ſint ejus filiæ?*

Reſp. 1. Invidia eſt triſtitia de bono proximi quatenus eſt propriæ excellentiæ diminutivum; quia ſi ex alio motivo quis contriſtetur de bonis proximi, non eſt invidia. Sic non eſt invidia, ſi quis triſtetur de bonis proximi, quia ipſi eſt inimicus; ſed eſt odium; vel de bonis prodigi ea dilapidantis, vel avari ea turpiter recondentis, ſed juſta indignatio; vel de bonis peccatorum; quia illis ſunt indigni; ſed eſt zelus inordinatus; vel de poteſtate alterius, quia damnum ſibi, vel alteri inde imminet, ſed eſt juſtus timor; vel de bonis alterius, non quia ille ea poſſidet, ſed quia ſibi deſunt, & ſic eſt æmulatio.

2. Filiæ invidiæ ſunt quinque, 1. odium proximi. 2. Contumelia. 3. Detractio. 4. Exultatio de adverſis, & afflictio de proſperis proximi. 5. Suſurratio, de quibus alibi.

Quær. 9. *Quale invidia ſit peccatum, & quænam ſint contra illam remedia?*

Dico. Invidia eſt peccatum ex genere ſuo mortale, niſi levitas materiæ, vel inadvertentia, aut finis bonus excuſet; quia opponitur charitati, cujus eſt gaudere de bono proximi, & dolere de illius malo. Remedia contra invidiam ſunt, 1. conſideratio illius deteſtabilitatis; quia dæmoni reddit ſimiles, & inutiliter cruciat, & nocet. 2. Contemptus honorum, ac bonorum temporalium.

Hinc: graviter peccat, 1. de divitiis, vel honore proximi

ximi graviter ſe contriſtans, quatenus ſua bona, vel honorem inde imminui credit. Non vero peccat ſe contriſtans; quia ſibi deeſt virtus, ſcientia, lucrum, quod alius ex eadem arte percepit; quia non de bono alterius, ſed de ſuo dolet malo, quod comparative ad alios melius percipit; nec eſt peccatum deſiderare penuriam annonæ, tempeſtatem, &c. ob finem bonum, ut populus miſeriis preſſus a vitiis abſtineat, ad Deum ſe convertat; nec peccat deſiderans mortem Turcarum pro neceſſitate Eccleſiæ, redemptione, ac defenſione Chriſtianorum, *vide Tract. 4. Q. 6. Quær. 1. Hinc. n. 5.*

Quær. 10. Quid ſit acedia, & quot ſint ejus filiæ?

Reſp. 1. Acedia, ſeu deſidia generalis, prout reperitur in omni vitio, eſt tædium, & triſtitia de exercitio virtutum, prout eſt laborioſum, corpori moleſtum, delectationis impeditivum, &c. prout vero ſpeciale eſt vitium, eſt triſtitia, ac tædium de bonis divinis, ut ad nos pertinentibus, nobiſque præceptis, ut ſi quis triſtetur de amicitia Dei, de vita æterna comparanda per fugam voluptatis prohibitæ, & difficile virtutis exercitium.

2. Filiæ acediæ ſunt ſex, 1. malitia, qua quis bona ſpiritualia odit, contemnit, deridet, velletque, ea non eſſe. 2. Deſperatio, qua quis aſſecutionem beatitudinis ſibi impoſſibilem exiſtimans, de ea obtinenda diffidit. 3. Puſillanimitas, quæ eſt vitioſa de viribus ſuis diffidentia, qua Dei conſilia, aut præcepta omittit. 4. Rancor, qui eſt indignatio quædam in eos, qui nos ad ſpiritualia inducere volunt. 5. Torpor, qui eſt languor animi, quo bonum inceptum omittitur, vel negligenter impletur. 6. Evagatio mentis, qua anima præ tædio ſpiritualium in oratione, aliiſve exercitiis ſpiritualibus ad exteriora ſe diffundit.

Quær. 11. Quale acedia ſit peccatum, & quænam ſint contra illam remedia?

Dico: Acedia, prout eſt ſpeciale vitium, eſt peccatum ex genere ſuo mortale; quia graviter adverſatur charitati, Deique amicitiam, ac vitam æternam parvi pendit, & virtutum exercitio indigna reputat; generalis vero non eſt peccatum ab aliis, quorum eſt cauſa, diſtinctum; quia omne vitium retardat a virtute ſibi oppoſita, & ſufficit in confeſſione dicere peccatum ex acedia commiſſum. Remedia contra acediam ſunt, 1. conſiderare, neminem amplius

plius poſt hanc vitam poſſe meritorie operari. 2. Meditatio laborum, & paſſionum Chriſti, & Sanctorum, brevitatis laboris virtutum, & æternitatis mercedis. 3. Conſideratio laborum pro corona corruptili, & pro æterna longe majores adhibendos eſſe.

Hinc: graviter peccat, 1. nolens eſſe Sacramenta, ne debeat ea frequentare; nec Religionem, ne debeat eam ſervare; nec Chriſtum, ne debeat eum ſequi. 2. Ex triſtitia appetens mortem, vel ſe nunquam fuiſſe, vel eſſe beſtiam, ne præcepta debeat ſervare. 3. Ex deſperatione ſuæ ſalutis bona præcepta negligens, vel ex nimia ſuæ infirmitatis diffidentia ea omittens. 4. Præ tædio nolens ad ſalutem neceſſaria addiſcere, officia a Superiore impoſita cum obſtinatione recuſans accipere, in virtute nolens proficere, præcipue, ſi ſit Religioſus, ſed totum tempus volens nugis, ludis, colloquiis terrere, nullamque præ tædio ſuæ ſalutis curam habere. 5. In oratione, vel aliis ſpiritualibus exercitiis præceptis voluntarie, ac notabiliter divagans; non vero eſt mortale contriſtari de jejunio, oratione, confeſſione, prout ſunt laborioſa, & corpori moleſta.

Quær. 12. Quid, & quotuplex ſit gula, & quot ſint ejus filiæ?

Reſp. 1. Gula eſt inordinatus appetitus cibi, & potus; & committitur quinque modis in hoc verſu contentis.

Præpropere, laute, nimis, ardenter, ſtudioſe.

Dividitur in comeſſationem, ſeu crapulam, quæ eſt exceſſus, quo omnino ſanus ita ſe cibis ingurgitat, ut ad vomitum moveatur; & ebrietatem, quæ eſt exceſſus voluntarius in potu, uſque ad violentam privationem uſus rationis, cujus tres ſunt gradus, 1. uſque ad rationis obnubilationem. 2. Uſque ad organorum turbationem, & cordis aggravationem. 3. Uſque ad rationis ſubverſionem.

2. Filiæ gulæ ſunt quinque, 1. hebetudo mentis, quæ eſt ſtupiditas orta ex crapula. 2. Inepta lætitia movens ad actus turpes, choreas, cantilenas obſcœnas, &c. 3. Scurrilitas, quæ eſt immoderatio in jocis, & facetiis. 4. Multiloquium, quod eſt ſuperfluitas verborum. 5. Immunditia, quæ fit per vomitum, pollutionem, &c.

Quær. 13. Quale gula ſit peccatum, & quanam ſint contra illam remedia?

Dico. Gula quoad utramque ſuam ſpeciem eſt pecca-

 tum

circumſtantiis dijudicandum eſt, *Bill.* 3. Alios ad gravem exceſſum in cibo, vel potu excitans, de vini fortitudine non monens, ebrietati proximis vinum miniſtrans, ebrietatem non impediens; niſi gravioris incommodi immines periculum eos excuſet, *Paul. Lugd.*, *Henno apud Tounr.* 4. Dilapidans bona pro ſuſtentatione familiæ, vel pauperum ex præcepto adhibenda, vel conjuges, aut parentes, &c. propterea gravi mærore, vel anxietate afficiens, vel ſtrepitus in diebus Feſtivis notabiles excitans. 5. Patresfamilias in ſua familia, vel Eccleſiaſtici in publico ex nimio vini uſu titubantes, ſcandalumque procreantes. 6. Milites inebrians, ut ad defenſionem impotentes vincantur, vel e carcere ipſis dormientibus effugiat; vel ſe aut alios inebrians, etiam ex conſilio Medici, ut ſanitatem, vel rationis uſum recuperet, *S. Antonin.* & alii; quia eſt intrinſece malum. 7. Carnes crudas animalium ſine neceſſitate manducans venialiter ſaltem peccat, quia eſt qnædam voracitas; & graviter, ſi edat humanas; niſi in medicina.

Quær. 14. *Quid & quotuplex ſit luxuria, & quæ ſint ſpecies, ac filiæ luxuriæ.*

Prænot. Sicut lutulenta hæc luxuriæ materia mortiferum ſpirans fœtorem pro ſola Confeſſariorum notitia neceſſaria, & animarum ſalute ex variis auctoribus fuit hic poſita, eadem intentione cum proteſtatione contra omnia indecentia eam privatim cum averſione pervadas, prius mecum orans: *ure igne Sancti Spiritus renes noſtros, & cor, noſtrum Domine, ut tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus, per Chriſtum Virginem, Virginis filium, & Virginum ſponſum, amen.* Facta hæc proteſtatione, & oratione.

Reſp. 1. Luxuria eſt inordinatus voluptatis venereæ appetitus, vel uſus. Triplex diſtinguitur in hac materia delectatio, nempe 1. ſpiritualis, quæ reſidet in ſola voluntate ſine ullo motu ſenſibili in corpore. 2. Mere ſenſibilis, ſeu organica, quæ oritur ex conformitate rei, v. g. tactæ, viſæ, vel auditæ, cum organis ſine ulla commotione ſpirituum genitalium circa partes venereas. 3. Venerea, ſeu libidinoſa, quæ ſentitur circa partes venereas ex commotione ſpirituum generationi inſervientium.

2. Commotio carnalis duplex eſt, videlicet, levis ſaltem phyſice, quæ quidem eſt quædam levis humor ſperma-

matici generationi inſervientis motio, ac e lumbis deciſio, a pollutione tamem adhuc longe diſtans, ac proinde non niſi late, & remote, poteſt dici illius inchoatio, ut jurgium homicidii, *Billuart*; alia vehemens, ac notabile, quæ in homine ſano proximum ſeminis emittendi continet periculum, ac proinde propinqua pollutionis inchoatio dici poteſt.

3. Cauſa delectationis etiam duplex eſt; nimirum cauſa per ſe, quæ ad illam cauſandam ordinatur, nec alium ex ſe habet effectum, ut tactus venereus affectu libidinoſo factus; & cauſa per accidens, quæ ex ſe non ad talem effectum, ſed ad alium ordinatur, ut cibus, & vinum ex voluptate ſumptum, tactus in partibus inhoneſtis medendi cauſa facti, qui cauſant per accidens delectationem, & pollutionem non intentam. *P. Gerv.* quamvis etiam ob naturam corruptam apti ſint illam producendi.

4. Cauſæ, vel actiones aliæ graviter moventur, ac influunt in delectationem, ut tactus, vel viſus impudicus in partibus inhoneſtis alterius ſexus; quia ex ſe vim habent graviter movendi naturam. Aliæ leviter, ut aſpectus fixus, ac moroſus pulchræ mulieris in faciem, vel tactus levis, ac tranſitorius ex joco, vel levitate in partibus honeſtis factus, colloquia honeſta juvenum diverſi ſexus; quia ex ſe vim non habent movendi naturam, niſi leviter, & per accidens graviter, *Billuart*.

5. Luxuria duplex eſt, alia perfecta, quæ fit cum ſeminis effuſione. Alia imperfecta, quæ fit oſculis, tactibus, aſpectibus, venereis, verbis, ſcriptis, repreſentationibus laſcivis, &c. ſine effuſione ſeminis, quæ impudicitia dicitur.

6. Septem ſunt ſpecies luxuriæ perfectæ: videlicet: 1. fornicatio, quæ eſt copula carnalis ſoluti cum ſoluta corrupta; ſi enim non eſt corrupta, eſt ſtuprum. 2. eſt adulterium, quod eſt copula inter perſonas, quarum alterutra, vel utraque juncta eſt matrimonio. 3. ſtuprum, quod late eſt illicita virginis, ſive maſculi, ſive fœminæ defloratio: ſtrictius vero ſolius fœminæ per clauſtri virginalis infractionem, quod, cum in maſculo non fiat, reſpectu illius, non niſi late ſtuprum dicitur: in confeſſione tamen vis illata aperiri debet, ſicut illata corruptæ propter injuſtitiam, vi, fraude, metu, precibus, vel blanditiis nimis importunis illatam. Virginitas, prout con-

conſiſtit in carnis integritate amittitur per clauſtri virginalis infractionem, ſumpta vero pro ſpeciali virtute per pollutionem lethalem. Stuprum triplex eſt 1. cum virgine coacta, vel fraude, blanditiis, vel metu ſeducta. 2. Cum conſentiente virgine invitis parentibus, vel tutore, ſub quorum eſt cuſtodia. 3. Conſentientibus puella, & parentibus; quia ſaltem occurrit deformitas contra charitatam ſibi debitam, viam ſibi aperiendo meretricandi, & ponendo impedimentum matrimonii. 4. eſt raptus, qui eſt violenta alicujus perſonæ (maſculi, vel fœminæ nuptæ, vel innuptæ, virginis, vel corruptæ) abductio, libidinis implendæ cauſa: requiritur, ut fiat abductio de loco, ad locum moraliter diſtantem, invita puella, vel invitis parentibus, ſeu tutoribus (niſi eſſet ſponſa conſentiens, & cum amaſio diſcedens, in quam ſponſus habet jus ratione ſponſalium, tunc enim eſſet fuga *Thom. ex Charm. Bill.*) & ut ſequatur actualis libidinis impletio; pro impedimento tamen dirimente matrimonii contrahendj cauſa, *Rodriq.*, *Sanch.*, *& alii*; vide *part.* 2. *Tr.* 7. *Q.* 3. *Quaritur* 5. *Hinc* 11. 5. inceſtus, qui eſt peccatum luxuriæ inter perſonas conſanguineas, aut affines intra gradus prohibitos, etiam cognationis ſpiritualis, & legalis. 6. ſacrilegium venereum, quod eſt violatio rei ſacræ, videlicet perſonæ per actum venereum, vel loci, etiam per actum alias licitum, ut conjugalem. 7. peccatum contra naturam, quod eſt voluntaria ſeminis effuſio contra ordinem naturalem actus venerei humanæ ſpeciei convenientis, quod fit quatrupliciter, 1. pollutione, ſeu mollitie, quæ eſt voluntaria ſeminis effuſio extra copulam quamcunque; differt a diſtilatione, quæ eſt effuſio honoris inter uriam, & ſemen medii, & fit ſine libidinoſa delectatione; & ſine commotione ſpirituum generationi inſervientium. 2. Sodomia, quæ eſt coitus libidinoſus perſonarum ejuſdem ſexus naſculi cum maſculo, vel fœminæ cum fœmina; vel diverſi ſexus in vaſe indebito; unde duplex eſt Sodomia, perfecta, quæ eſt concubitus maſculi cum maſculo, vel fœminæ cum fœmina, quia petitur ex affectu ad ſexum indebitum; & imperfecta, quæ eſt coitus viri cum fœmina extra vas naturale, etiamſi eſſet mariti cum propria uxore. 3. Beſtialitate, quæ eſt coitus cum beſtia, vel cum dæmone, quæ ſimul eſt contra Religionem. 4. Inordinato concubi-

tu, in

tu, in quo non ſervatur ordo naturalis, qui eſt fœmina ſuccumbente. Prædictis ſpeciebus luxuriæ poteſt ſuperaddi lenocinium, quod eſt ſcortorum, vel etiam propriæ filiæ, aut uxoris proſtitutione quæſtum facere.

7. Filiæ luxuriæ ſunt quatuor ex parte intellectus, Nempe 1. cæcitas mentis. 2. Præcipitatio. 3. Inconſideratio. 4. Inconſtantia; ſunt mortales, ſi propter illas grave præceptum violatur; & quatuor ex parte voluntatis, videlicet 1. inordinatus amor ſui, quo finem ſuum ultimum ponit in carne ſua. 2. Odium Dei. 3. Affectus præſentis ſæculi, ita, ut aliam nolit beatitudinem. 4. Horror, & deſperatio de futuro ſæculo; hæ omnes ſunt mortales.

Quær. 15. Quale luxuria ſit peccatum, & an detur materia parvitas in delectione venerea?

Dico. Luxuria eſt peccatum ex genere ſuo mortale; quia gravia eſt inordinatio contra naturam rationalem, ut rationalis eſt, & a Regno Dei excludit, *Galat.* 5. nec datur parvitas materiæ excuſans a mortali in delectatione, vel re venerea directe in ſe volita, vel in cauſa intenta; ita communis; quia omnis delectatio venerea, vel eſt notabilis, vel levis phiſyce; ſi ſit notabilis, ex natura ſua ordinatur ad pollutionem, & eſt propinqua illius inchoatio, ut teſtantur Gallenus, & alii Medici, & per ſe eſt mortalis; ſi ſit levis, vel etiam leviſſima, eam deliberate admittens exponit ſe periculo proximo ulterius progrediendi uſque ad gravem exceſſum, cum in materia libidinis ita incentiva moraliter ſiſtere nequeat: datur tamen parvitas materiæ in delectatione mere ſpirituali, & mere ſenſibili, *Tourn. & alii*; quia poſſunt eſſe de actu, vel objecto venialiter malo, ut de oſculo, vel tactu honeſto cum ſenſualitate organica abſque venerea facto; & in re venerea ſolum imperfecte volita, 1. levi negligentia reſiſtendo delectationi, vel rei venereæ. 2. Ponendo, vel non removendo cauſam, vel actionem contra caſtitatem leviter malam, vel indifferentem nullo bono fine honeſtatam, ex quibus ordinarie nulla, vel levis duntaxat ſpirituum generationi deſervientium ſequitur commotio; modo non directe volita, aut intenta ſit, ſed poſitive diſpliceat, ac abſit proximum conſenſus periculum, *Sylvius, Haber., P. Antoine apud Tourn. & communis, ſi non verbis, ſaltem in re*; quia licet q is poſ-

poſſit, non tamen tenetur ſimiles cauſas, & actiones leviter malas, aut indifferentes amovere, vel evitare ſub mortali, 1. quia in ſe non ſunt mortaliter malæ. 2. Quia leviter tantum, ac remote contra intentionem operantis influunt in delectationem. 3. Quia periculum conſenſus eſt remotum, ac leve, & poſitiva diſplicentia ſufficienter tollitur. 4. Quia ſimiles leves motiones homini ſunt valde naturales, facillime etiam in viris juſtis exurgunt, & difficillime, etiam ab iſtis, omnes earum cauſæ per accidens in ſe ſolum veniales, vel indifferentes evitantur. 5. Quia honeſtæ juvenum diverſi ſexus converſationes, tactus, aſpectus, in partibus honeſtis ex joco, vel curioſitate facti juxta adverſarios non ſunt mortales, quamvis plerumque leves ex illis oriantur motus venerei præter intentionem, & abſque periculo conſenſus. An autem remaneat parvitas materiæ, & ſolum veniale ſit, ſi delectatio etiam vehemens, vel ipſa pollutio ſecutura prævideatur ex cauſa per accidens in materia contra caſtitatem ſolum veniali, vel mortali in alia materia remote tantum ac leviter influente in pollutionem, non conveniunt auctores; eſſe duntaxat veniale aſſerit, *Vaſquez*, *Bonac.*, *Henriq.*, *Fill.*, *Sales*, *uterque March.*, *Leſſ.*, *P. Gerv. Gob.*, *aliique plurimi*, 1. quia poteſt abeſſe intentio pollutionis, vel vehementis delectationis, ac periculum conſenſus æque, ac in ponente cauſam ex neceſſitate, ut tactum impudicum medendi cauſa. 2. Quia imperfecte tantum, ac remote cauſa influat, & non magis, quam in delectationem, vel commotionem levem, ut ſupponitur, & quandoque minus, quam cauſa neceſſaria, & honeſta, etiamſi mortalis ſit in alia materia. 3. Quia aliam habet in natura cauſam nempe propenſionem, temperamentum, miſeriam naturæ corruptæ, abundantiam ſeminis, tentationem dæmonis. 4. Quia effectui non major culpa eſt attribuenda, quam cauſæ, & ſecundum S. Thomam, malitia pollutionis nocturnæ metitur ex cauſa, ita ut, ſi non ſit mala, nec pollutio ſit mala; ſi venialis, vel mortalis, etiam pollutio ſit talis; idem autem dicendum de pollutione, vel commotione notabili in vigilia, *Cajet.* Eſſe mortalem aſſerit *Mendo apud la Croix*, & *Tournely* dubitat, præcipue, ſi extra ſomnum fiat, vel pollutio certo futura prævideatur, 1. quia cauſa per accidens pollutionis, vel vehementis commotionis carnalis, licet in ma-

materia luxuriæ levis, directe tendit ad pollutionem, & cum certa illius prævisione non amplius eſt levis, ſed relative ad eam gravis culpa, *Tourn.* 2. Quia ſic affectus ad rem turpem exponit ſe periculo proximo conſenſus in vehementem commotionem, vel pollutionem. 3. Quia nullum jus habet ponendi cauſam per accidens venialem, vel in alia materia mortalem, ſicut habet ponendi neceſſariam, vel honeſtam, & mortalem in alia materia poteſt, ac tenetur ſub mortali evitare; quamvis opinio præcedens ſit communior, & videatur probabilior, hæc tamen in praxi eſt ſecurior, & ab amatore caſtitatis tenenda; præcipue cum raro deſit in praxi periculum proximum conſenſus in delectationem vehementem, vel pollutionem.

Quær. 16. *Quomodo peccet ponens cauſam pollutionis?*

Dico. Ponens cauſam, vel actionem in materia luxuriæ mortalem cum perfecta pollutionis futuræ prævisione notabiliter per ſe, & proxime influentem, ita ut nata ſit, ex ea pollutionem ſequi, grave committit peccatum non ſolum ponendo cauſam in ſe moraliter malam, ſed etiam aliud in ſpecie pollutionis, licet contra intentionem, ac voluntatem ſequatur; *ita auctores communiter*; quia ejuſdem moris eſt velle effectum, & ejus cauſam propinquam; nullum vero, ſi cauſa, vel actio, ex qua prævidetur pollutio, vel vehemens carnis commotio, ſit ſecundum ſe licita, neceſſaria, vel utilis; modo abſit conſenſus, ac illius periculum proximum, & poſitive diſpliceat, *S. Thom.*, *S. Antoninus*, *Cajet. Leſſ. Sanch. & alii communiter*. 1. Quia non peccat utens jure ſuo, quod quilibet habet ponendi actionem licitam. 2. Quia agens alium intendit effectum bonum, ad quem jus habet, & pollutio contra illius voluntatem per accidens ſequitur ex alia cauſa, nempe miſeria naturæ corruptæ. 3. Quia pollutio contra intentionem, & voluntatem ſecuta, non æſtimatur graviter pernicioſa, nec agenti, nec ſpeciei humanæ, eique prævalet, vel ſaltem æquivalet effectus bonus per illius cauſam intentus. 4. Quia tactus, aſpectus, &c. in partibus inhoneſtis, licet ſecundum ſe influant per ſe in pollutionem, medendi tamen cauſa facti, vel alio ex fine honeſto neceſſario, vel utili, non habent vim concitandi ad libidinem, niſi per accidens ex miſeria naturæ corruptæ præter intentionem agentis, & ex vitio rei venereæ, v. g. purgandæ, lavandæ, diſputandæ, prædican-

Digitized by Google

dicandæ, cogitandæ, &c. non vero ex vitio voluntatis, quæ ſolum intendit honeſtum.

Quær. 17. Quomodo motibus, ac delectationibus venereis ſit reſiſtendum?

Dico. Tenetur quiſque motibus, ac delectationibus venereis naturaliter, vel invite, & magis propria culpa exortis poſitive refragari, quando eas ſufficienter advertit, *Tourn.*, *Sylvius*, *& alii*; 1. ſub mortali removendo cauſam per ſe illarum, vel actionem propinque, ac graviter illarum excitativam in materia luxuriæ mortalem; ſi propriæ, vel alienæ neceſſitatis titulo honeſtentur; quia ſecluſa neceſſitate in ſe ſunt mortales; & ſaltem ſub veniali cauſam per accidens, & actionem indifferentem nullo bono fine honeſtatam, vel in materia luxuriæ ſolum venialem, ſaltem ſi per eam non niſi levis delectationis præbeatur occaſio, *Tourn. & alii communiter*; quia ex ſe ſunt ſolum venialiter malæ, & non niſi leviter, & remote influunt in delectationem veneream, nec eſt tantum, ut in vehementibus delectationibus periculum conſenſus, de quibus auctores ſunt diviſi, ut ſupra dictum eſt. Sub nullo vero peccato, ſecluſo conſenſus periculo, tenetur quis amovere, vel evitare actionem, quamvis propinque in ſe excitativam, & alias ad luxuriam ſpectantem, ex neceſſitate tamen propria, vel aliena honeſtatam, *Tourn. & alii communiter*; quia actio neceſſitate honeſtata rationem cauſæ per accidens in finem honeſtum ordinatæ induit, cum ut ſic conſiderata, non ex ſe, ſed per accidens ex miſeria naturæ excitativa eſt; nec tenetur quis deſerere, vel evitare cauſam per accidens, vel actionem ex ſe honeſtam, licet, ac utilem, *P. Gerv.*, *Rhod.*, *Tourn.*, *& alii communiter*; quia utenti jure ſuo, quod quilibet habet ponendi actionem honeſtam, & licitam, non cenſetur voluntarium, & imputabile ad culpam, quod contra ipſius intentionem, ac voluntatem ſequitur. 2. Tenetur quiſque motibus, & delectationibus venereis ſub mortali reſiſtere per poſitivam diſplicentiam, etiamſi & præcipue ſi cauſa per ſe, vel per accidens illarum non poſſit, vel debeat evitari, vel amoveri, *Tourn. & alii communiter*; quia in materia tam lubrica natura corrupta non poteſt, moraliter loquendo, negative ſe habere ſine proximo, conſenſus poſitivi, periculo; niſi per poſitivam diſplicentiam menti majorem rerum tur-

pium

pium impreſſionem cauſandam, & concupiſcentiam inde augendam probabiliter timeret; tunc enim reſiſtere poſitive eſſet potius malum augere, & eſſet conſultus eas ſpernere, & non curare, *Tourn.* caute tamen. 3. Adhibendo alia contra luxuriam remedia, pro ratione circumſtantiarum graviter, vel leviter obligantium, qualia ſunt 1. ablatio cauſæ, ut mox dictum. 2. Converſio ad alia animum ab objecto turpi notabiliter avocantia, ut ſtudium, aſſidua piorum librorum lectio, rerum divinarum, paſſionis Chriſti, mortis, inferni, aliorumve noviſſimorum cogitatio, oratio, ſignum Crucis, & Crucifixi intuitio. 3. Carnis maceratio per jejunium, flagellationem, &c. 4. Senſuum, præcipue oculorum cuſtodia. 5. Fuga otii. 6. Evitatio occaſionum, præcipue converſationis otioſæ mulierum, &c. 7. Uti eodem Confeſſario. 8. Frequens Sacramentorum uſus.

Hinc: graviter peccat 1. motus, vel delectationes venereas ſponte, vel directe volens, vel eas in ſe pariens quantum libet leves vel naturaliter, & invite ortas poſitive approbans, vel periculum conſenſus ſufficienter advertens, eis non poſitive, & efficaciter reſiſtens, ſed negative ſe habens; quia, cum poſſit, & debeat eas reprimere, & non facit, eas interpretative velle, cenſetur, niſi eis poſitive reſiſtendo, majorem earum impreſſionem, & concupiſcentiam inde augendam probabiliter timeret. 2. Sine neceſſitate ponens, vel non removens cauſam per ſe, vel actionem in materia luxuriæ mortalem delectationis venereæ propinque, & ex ſe excitativam, ut ſunt tactus, aſpectus, colloquia turpia, &c. cum prævifione pollutionis in, vel extra ſomnum, etiam invite ſecuturæ, quibus non ſolum contra luxuriam imperfectam, ſed etiam contra naturam peccat pollutione in cauſa per ſe volita; niſi ante ſomnum, vel pollutionem de cauſa data vere pœniteat. 3. Ponens cauſam per accidens, vel actionem ex ſe indifferentem, vel contra caſtitatem ſolum venialiter malam, uti eſt aſpectus mulieris curioſus, confabulatio cum ea jocoſa, lectio venialiter mala, oſculum, tactus partis honeſtæ mera ſenſualitate factus, aſcenſus equi pro ſolertia ſua oſtendenda, vel pro itinere ſine fine honeſto ſolius recreationis cauſa, cibus vel potus leviter excedens, motus, ac delectationes venereas, vel ipſam pollutionem certe inde futuram cum pericu-

riculo proximo conſenſus animadvertens, earumque cauſas non dimittens; quia periculum conſenſus proximum ſub mortali ſemper eſt evitandum; ſecluſo vero periculo conſenſus venialiter ſaltem peccat, ut communiter docent auctores; quia leviter tantum, ac remote influunt; cum raro tamen deſit periculum conſenſus, eas deſerere graviter monendus eſt; & adhuc gravius ponens cauſam per accidens in alia materia mortalem, ut v. g. crapulam, vel ebrietatem mortalem, vel eſum carnis in die jejunii prohibitum cum præviſione pollutionis inde certo futuræ, vel ponens in materia luxuriæ mortalem, ſed leviter tantum influentem, ut inſtantaneum pravæ cognitionis conſenſum; quia licet forte non graviter peccet peccato mortali ſpeciali pollutionis, ut docet *Vaſquez*, *Sanch.*, *& alii*; cum non magis, ac veniales in pollutionem influant, majus tamen eſt periculum; quia amiſſa gratia per cauſam in quacunque materia mortalem, difficilius eſt pollutioni, vel delectationi venereæ, præcipue extra ſomnum, reſiſtere. 4. Nullo autem modo peccat ponens, vel non removenes cauſam per ſe alias in materia luxuriæ graviter excitativam, ſed neceſſariam, vel valde utilem, ut Chyrurgus, Infirmarius, vel alius ſe, vel alium in partibus inhoneſtis aſpiciens, vel tangens medendi, a ſordibus mundandi, in balneo ſerviendi cauſa; vel Confeſſarius, Medicus, Profeſſor res venereas legens, audiens, ſcribens, ſtudens, pro ſolvendis caſibus conſcientiæ, vel morbis curandis, pro conſilio dando; vel eques, aut alius negotiorum cauſa in equo itinerans, vel ſupinus cubans, alio ſitu non dormiturus; vel ponens cauſam per accidens honeſtam, vel ſtatui conſentaneam, ac utilem, ut colloquium honeſtum cum muliere ſibi, vel ipſi utile, vel equitans honeſtæ recreationis cauſa, certo ac commodo ſitu in lecto cubans, ambulans cito, crus, vel femur unum ſuperponens alteri, *Sanch.* choreas honeſtas ducens, *Sporer*; fœminas juxta morem patriæ honeſtas amplectens, *la Croix*; cibos calidos in communi apponi ſolitos edens, quamvis contra intentionem in, vel extra ſomnum notabiles motus, ac delectationem veneream, vel ipſam pollutionem pateretur, modo abſit periculum conſenſus, & poſitiva adſit diſplicentia; quia jus, juſtamque habent rationem ponendi prædictas cauſas, cum ſint licitæ, neceſſariæ, vel utiles, & nimis ipſis

videtur onerofum, ab omnibus ſimilibus abſtinere ob miſeriam naturæ corruptæ involitam; ſine utilitate vero ſunt venialia, vel mortalia, prout magis vel minus in pollutionem influunt; ſic venialia ſunt, incedere equo, cum eque poſſet curru, certo ſitu cubare, cum poſſet altero æque commodo dormire, talibus cibis, uti, cum poſſet alios æque ſanos comedere, prævifa certo inde pollutione ſecutura, ſecluſo tamen periculo conſenſus, *P. Gerv.*, *Billuart. & alii*; quia licet pollutio non intenta ex miſeria naturæ corruptæ per accidens orta non ſit gravis inordinatio, eſt tamen aliqua, mentem perturbans, & ad malum incitans; tactus vero impudicus ex levitate, lectio obſcæna ex curioſitate cum certa pollutionis prævifione mortalia ſunt in genere pollutionis etiam contra voluntatem ſecutæ; quia ex ſe graviter influunt; quamvis autem prædicta multi auctores docent, amator tamen caſtitatis, ac ſuæ ſalutis a non valde neceſſariis abſtineat; quia raro omne abeſt periculum, & *Eccl.* 11. *a ſcintilla una augetur ignis*; præcipue in hac materia, & aliquando inextinguibilis.

Quær. 18. *Qualia peccata ſint ſingula luxuriæ ſpecies?*

Dico. Omnes luxuriæ ſpecies ſunt peccata ex genere ſuo mortalia, videlicet, fornicatio, adulterium, ſtuprum, raptus, inceſtus, ſacrilegium, & contra naturam; graviſſimum vero eſt contra naturam, nempe, 1. mollities, ſeu pollutio, quam nec morbi, nec mortis vitandæ cauſa procurare, promovere, vel intendere licet, nec per medicinam in ſomno ſecuturam; nec licet eam deſiderare, etiam propter honeſtum finem, & ſine culpa, ut in ſomno eventuram; nec de ea gaudere ob bonum effectum inde ſecutum, quamvis de ipſo effectu bono gaudere liceat; nec ponere cauſam illius per ſe, vel cauſam per accidens in ſe indifferentem nullo bono ſine honeſtatam, vel venialiter contra caſtitatem malam, vel in alia materia mortalem; eſtque mortalis etiam invite paſſa, quando procedit a cauſa culpabili, quæ vitari potuit, ac debuit tanquam cauſa illius productiva, *Tourn.* quando autem non debuit vitati actio etiam ex ſe excitativa, vel cauſa per accidens, ſupra dictum eſt. Gravius, & nefandum eſt ſodomia, ſola tamen perfecta caſus eſt reſervatus ſecluſa ſpeciali locorum lege, *Sylvius & alii apud Tourn*, debetque dici, qui agens, & patiens fuerit; quia agen-

Digitized by Google

agentis longe gravius eſt peccatum, quaſi ex ſe annexam habens pollutionem; *Lugo apud Tourn.*, *& alii*; peſſimum eſt beſtialitas, *Geneſ.* 37. & pejus cum dæmone; quia ſimul eſt contra Religionem, quæ magis, quam cum infideli dehonoratur; illiuſque ſpeciem induit, cujus perſonam dæmon aſſunſit: inordinatus vero concubitus in conjugatis per ſe ſolum eſt veniale, & ſi fiat legitima ex cauſa, uti ob alterutrius indiſpoſitionem, prolis conſervationem, &c. nullum eſt peccatum; per accidens vero fit mortale, ſi fiat cum periculo perdendi ſemen, vel generationem impediendi, vel prolem ſuſceptam ſuffocandi, vel ex nimia concupiſcentia.

Hinc 1. Graviter peccat 1. peccans cum corrupta; & gravius cum meretrice; quia procreatio prolis impeditur. 2. Gravius peccat cum concubina peccans, quam cum meretrice; quia eſt in habitu peccandi, & ante abſolutionem tenetur concubinam ejicere, niſi imminente morte, ſi non poſſit, ſufficit verum eam ejiciendi propoſitum. 3. Adhuc gravius peccat cum deſponſata alteri peccans; quia ſimul agit contra juſtitiam; idem dicendum de ſponſo peccante cum alia; quia ſuæ ſponſæ injuriam facit, *Tourn.* & gravius cum infideli, & diverſæ ſpeciei peccatum committit contra Religionem; quia grave Religioni parit deſpectum, prolemque exponit periculo educationis in falſa Religione, quamvis adulterium fidelis ſoluti, cum infideli ligata minus ſit peccatum, quam cum fideli; quia non læditur Sacramentum, *Tourn.* 4. Gravius peccat per adulterium, quam per fornicationem; quia gravem ſimul infert injuriam comparti, & Sacramento; & gravius ex parte conjugatæ, quam conjugati; quia prolem impedit, vel reddit incertam cum damno veri hæredis; tenenturque ambo ad reſtitutionem. Vide *de Reſtit.* 5. Gravius peccat peccato ſpecie diſtincto ſtuprum, vel raptum committens; quia præter fornicationem gravem facit injuriam virgini coactæ, vel ſeductæ, & parentibus, vel tutoribus, ſub quorum eſt cuſtodia; etiam conſentiente virgine, ac parentibus, *S. Thom.*, *& alii*; quia ſpecialis adhuc remanet deformitas ex parte virginis; quia amittit integritatem corporis, quam a natura extra matrimonium ſervare jubetur, & contra charitatem ſibi debitam, aperiendo viam meretricandi, & ponendo impedimentum honeſti matrimonii; & ex parte pa-

Digitized by Google

rentum; quia ex natura ſunt cuſtodes illius integritatis, cui renunciare nequeunt. An vero virgo conſentiens peccato ſpecie diſtincto peccet, diviſi ſunt auctores. Peccare graviter peccato ſpecie a fornicatione diſtincto, aſſerit Tournely, & alii, ob rationes mox dictas; non peccare præter fornicationem, niſi peccato veniali, ſed ſpecie diſtincto, aſſerit Henno, Billuart, & alii, quia eſt aliqua, ſed non gravis inordinatio præter fornicationem, non ratione ſignaculi virginitatis, cujus læſio eſt in genere phyſico res leviſſima, & in genere moris illius habet dominium, cum poſſit valide nubere etiam invitis parentibus; non ratione matrimonii; quia ſine læſione charitatis poteſt ab eo abſtinere, & defloratione manente occulta non impeditur; non ratione viæ meretricandi; quia per actus repetitos illa magis ſternitur, & tamen non eſt nova ſpecie peccatum mortale; non ratione offenſionis, ac infamiæ parentum, quæ non præciſe ex defloratione, ſed ex illius divulgatione, & non magis, quam ex ſimplici fornicatione oritur; non ratione tutelæ, quæ eſt œconomiæ, & conſentiente proprietario non graviter læditur; & ſi ſupperadderet novam ſpeciem mortalem, fæmina de illiciti coitus deſiderio ſe accuſans, deberet addere, an ſit virgo, vel non, & vir appetens copulam, an fuerit virginis, & ſi tacerent, deberet Confeſſarius inquirere, quod eſt contra communem praxim, ac ingenuas puellas, præſertim Moniales maximo afficeret pudore; & Confeſſarium ſuſpectæ curioſitatis argueret, quod ipſemet continuator Tournely in praxi judicat admodum durum; unde ſecluſa vi, & ſeductione, Confeſſarius, ac pœnitens a circumſtantia virginitatis abſtinere poſſunt.

Hinc. 2. Committens inceſtum, præter luxuriam graviter peccat contra pietatem, & reverentiam conſanguineis, & affinibus, vel ob aliam cognationem ſpiritualem, vel legalem aliis debitam; & eo gravius, quo propinquior eſt conſanguinitatis, vel affinitatis gradus. Unde 1. in confeſſione declarandus eſt, præcipue primus gradus, cum patre, vel matre, ſorore, vel fratre, filio, vel filia; quia primus ſpecie differt ab aliis, *P. Gerv. & communis;* ac proinde etiam inceſtus inter iſtas perſonas, *Tourn.* 2. Declarandum eſt, an inceſtus ſit in gradu conſanguinitatis, vel affinitatis; quia juxta plures auctores contra S. Thomam etiam ſpecie differunt ob diverſum motivum

tivum

tivum reverentiæ conſanguineis, & affinibus debitæ, nimirum ob unitatem ſanguinis, & ſtipitis quoad conſanguineos, & propter copulam; & matrimonium quoad aſſines. 3. An cum conjuncta cognatione ſpirituali ex Baptiſmo, & Confirmatione; quia ſupperaddit ſpeciem ſacrilegii ob reverentiam Sacramenti; vel an cum conjucta cognatione legali ex adoptione. Non vero neceſſario in confeſſione declarandum, an ſit baptizatæ cum baptizante; vel patrini, vel matrinæ cum parentibus baptizati; quia hi inter ſe non differunt in ſuis gradibus, *P. Gerv. Tamb. & alii*, nec an ſit inter adoptantis uxorem, vel filias legitimas cum adoptato, vel illius uxore; quia non ſpecie differunt, ſed ſe habent per modum affinitatis; bene autem, ſi inceſtus ſit commiſſus inter levantem, & levatam in Baptiſmo, vel Confirmatione, quia paternitas, & maternitas, ac filiatio per ſe diſtinguuntur ab aliis gradibus. Sic etiam cognatio adoptantibus & adoptati ſpecie diſtinguuntur ab aliis gradibus; quia ſe habet per modum paternitatis, ac filiationis. Non eſt autem inceſtus peccatum cum filia ſpirituali, ſeu pœnitente: quia non eſt vera cognatio; circumſtantia tamen hæc, tanquam gravioris ſacrilegii in confeſſione aperienda eſt. 4. Etiam alii gradus tanquam circumſtantiæ notabiliter agravantes ſunt declarandi, *P. Thom. ex Charm.* ſaltem pro majori ſecuritate, & in peccato ſacrilegii venerei ratione perſonæ ſacræ, eo gravius peccat, quo ſtrictius Deo eſt obligata, quæ circumſtantia ſaltem, ut notabiliter agravans in confeſſione eſt explicanda, an nimirum ſit Diaconus, Sacerdos, Epiſcopus, & præcipue, ſi ſit Religioſus; quia hic duplicem conſecrationem violat, ordinis, & voti, *Tourn.* 5. In ſacris conſtitutus conſulens, vel ſuadens actum venereum præter luxuriam, ſacrilegium commitit; quia approbat, quod ſuadet, *Tourn.* & ſe polluens in veſtimentis ſacris in Eccleſia, præter peccatum contra naturam triplex ſacrilegium committit, contra perſonam ſacram, contra benedictionem paramentorum, & loci, *Tourn.* quoad tempus, ſi fiat in Dominica, *vide ſupra de præceptis Eccleſiæ: Quær.* 5.

Hinc. 3. Contra naturam graviter peccat 1. pollutione ſupinus recubans, vel calidiores cibos comedens eo fine, ut in ſomno pollutio ſequatur, etiamſi non delectationem, ſed naturæ levamen, liberationem a tentatione, majorem

ad Dei ſervitium aptitudinem ſolum intendat; niſi ſumpto cibo vere doleat, tunc pollutio in ſomno ſecuta ipſi non imputatur ad culpam; ſed ſolum cauſa prius malo fine poſita. 2. Graviter peccat pollutionem naturaliter, vel in ſomno inceptam approbans, vel deſiderans, etiam bono fine, vel de ea gaudens, vel eam promovens, adhibendo conatum, vel ultimas ejus reliquias e lumbis deciſas protrudendo, quamvis illius detentio grave corpori detrimentum eſſet paritura, *Tourn. la Croix*; quia ad rem de ſe malam non licet cooperari, vel illam continuare. 3. Pollutionem non abrumpens, niſi ſine gravi incommodo eam abrumpere non poſſet, *Thom. ex Charm.* quia eam ſanitatis cauſa, ne noceat, non reprimere, non eſt eam promovere, ſed pati, ut medendi cauſa; modo abſit periculum conſenſus in delectationem, & poſitiva adſit illis diſplicentia, & de damno inferendo conſtet, *Su*, *Tamb.*, *Platel*, *Spor.*, *& alii* contra *Tournely*, cujus opinio in praxi eſt ſecurior, cum raro abſit periculum conſenſus, & vix ſine approbatione, & cooperatione permitti poſſit, & raro in re graviter nocere conſtat. 4. Graviter peccat ponens cauſam per ſe pollutionis, vel actionem in materia luxuriæ mortalem illius propinque excitativam, ut ſunt tactus, aſpectus impudici, colloquia turpia, amplexus libidinoſi, cogitationes moroſæ, &c. cum prævisione pollutionis in, vel extra ſomnum ſecuturæ; quia cenſetur intenta in cauſa, quam poteſt, & tenetur tollere, niſi propria, vel aliena neceſſitate honeſtentur; ſic excuſantur a peccato Confeſſarii, Profeſſores, Chyrurgi, Medici, Infirmarii ex officio, & neceſſitate impudica tangentes, intuentes, audientes, legentes, &c. vel alii in equo itinerantes, ſupini cubantes alio modo non dormituri, &c. ſi contria voluntatem cum poſitiva delectationis diſplicentia pollutionem patiantur. Vide ſupra dicta. 5. Graviter peccat tactu, inſtrumento, vel fricando partes inhoneſtas expellens ſemen corruptum, vel qualitatem morbidam cum præviſione pollutionis; præcipue ſi per ſe ſimul tendit ad verum ſemen provocandum, & expellendum; cum ſemen corruptum, utpote mortuum, non niſi ad motum, & impulſum ſeminis vivi moveri poſſit, & ab ejectione vivi ejectio corrupti incipiat, *Tourn.* quia ſemen corruptum alio modo, nempe per medicinam directe ad hunc finem datam expellere licet, quamvis per accidens contra in-

intentionem pollutio ſequatur, *Sanch. Fill. Trull.*, *Platel*; quia medicina, ut ſupponitur, non tendit per ſe ad pollutionem, nec ad illam directe excitandam medicinam dare licet, *Tourn.* nec foret peccatum, ſi moderate frictio ſolum fiat ad abigendum moleſtiſſimum in iis partibus pruritum; quia eſt actio de ſe licita, & neceſſaria uti applicatio medicamenti ad illas partes male affectas, & pollutio ſolum per accidens ſequitur, *Sanch. Laym.*, *March.*, *Sporer apud la Croix contra Tourn.* minus peccat ſi ſolum diſtillatio ſequatur: graviter tamen peccat diſtillationem cum ſenſu venereo, vel ſine illo directe, tamen procurans, intendens, quærens, etiam in conjugatis per cauſam per ſe, vel per accidens; quia cum ſenſu venereo parum a pollutione differt, & ſine illo eſt pollutio ſaltem imperfecta, cum ſit imperfecti ſeminis fruſtratio; per cauſam vero per accidens ex infirmitate naturali, vel ſuperfluitate contra voluntatem ſecuta minus, quam pollutio eſt peccaminoſa; quia cum fiat ſine delectatione venerea, minus habet periculi, & turpitudinis, & mens timorata de ea non debet angi ſecluſo conſenſu, *ait Cajetanus*, & *Ethica amoris apud Tourn.* 6. Graviter peccat Chyrurgus, Infirmarius, &c. abſque vera neceſſitate tangens, aſpiciens, &c. partes inhoneſtas, & eo gravius, vel levius, quo gravior, vel levior fuerit neceſſitas, & quo graviores, vel leviores motus excitare prædicta nata ſunt.

Quær. 19. *Quale peccatum ſint oſcula, tactus, aſpectus, colloquia, cogitationes, &c.*

Dico. Luxuria imperfecta, ſeu impudicitia, ut ſunt oſcula, tactus, aſpectus, colloquia, cogitationes, &c. ſine ſeminis effuſione extra matrimonium ſunt ex ſe mortalia, ſi ſint libidinoſa; quia, qui *talia agunt*, *Regnum Dei non conſequentur*, *Gal.* 5. Sunt autem libidinoſa etiam in partibus honeſtis, 1. ſi fiant cum conſenſu expreſſo in delectationem veneream, eam intendendo. 2. Cum conſenſu tacito, eam, quando oritur, non reprimendo, vel cauſam illius per ſe, vel actionem illius excitativam in materia luxuriæ mortalem ponendo, vel cum gravi periculo illius experiendæ, & non rejiciendæ. 3. Si fiant cum voluntate copulæ, vel alterius actus luxuriæ, vel ſaltem cum affectuoſa illius imaginatione. Oſcula autem, tactus, & aſpectus facti abſque affectu libidinoſo, & pro-

Digitized by Google

ximo conſenſus periculo, ſed ex levitate, joco, petulantia, curioſitate, vel ob ſolam delectationem ſenſibilem, & organicam, & non veneream in partibus honeſtis, vel etiam in partibus inhoneſtis, ſed propriis obiter tantum, & non repetiti, & moroſi, & colloquia de rebus non valde turpius ordinarie ſunt ſolum venialia, *Tourn. & alii communiter*; quia ordinarie non graviter periculoſe ad libidinem excitant, ſecluſo tamen gravi ſcandalo, & conſenſu in delectationem veneream, ſi forte contra voluntatem exſurgat. Tactus vero, & aſpectus in partibus inhoneſtis, aut vicinis alienis, vel in propriis, ſed moroſe, & ſtudioſe facti, vel crebro repetiti ordinarie ſunt mortalia; quia ita facti ordinarie, graviter, & periculoſe ad libidinem provocare nati ſunt; facti autem ex propria, vel aliena neceſſitate in partibus inhoneſtis, ut medendi cauſa, vel in partibus non turpibus ex honeſta utilitate nullum ſunt peccatum, *S. Thom.* quia facti in partibus inhoneſtis neceſſitate, & facti in partibus honeſtis bono fine honeſtantur, & non ita graviter, & periculoſe libidinem provocant, modo delectatio venerea exurgens reprimatur, quod ſemper ſupponitur, *Tourn. & alii communiter.*

Hinc 1. Per oſcula graviter peccat, 1. dans, vel acceptans amplexus, vel oſcula ſub quocumque prætextu amicitiæ, benevolentiæ, vel moris patriæ prætextu, ſi ſint libidinoſa, prout facile fieri poteſt, ſi fiant more columbino, ore ad os, *Tourn.* vel ſi fiant cum ſcandalo, prout etiam facile in Religioſo, vel Clerico contingere poteſt; vel ſi fiant linguam in os alterius inferendo, *Sporer apud la Croix*; vel ſi ſint moroſa, vel in continuo ſæpe repetita, quamvis ſolum ex joco, vel petulantia fiant, *Tourn.* quia facile in delectationem veneream degenerant; vel ſi fiant cum periculo, vel præviſione delectationis venereæ approbandæ, vel non rejiciendæ, vel cum actuali illius affectu. 2. Venialiter vero peccat, ſi ſecluſo affectu venereo, & periculo conſenſus in delectationem veneream fiant ſolum ex joco, petulantia, levitate, vanitate, vel ſolum ob delectationem ſenſibilem, ſeu organicam, & non ſint moroſa, vel repetita, ſed obiter, & more patriæ, *Henno, S. Antoninus, Sylvius, & alii apud Tourn.* quia ait S. Antoninus in tantum ſunt peccata amplexus, oſcula, tactus, & ſtultiloquia, in quantum procedunt a luxuria,

xuria, quod non ſit in iſtis, ut ſupponitur; ſunt tamen venialia; quia carent fine honeſto; & nullum ſunt peccatum, ſi fiant ex neceſſitate, vel fine honeſto, ne quis incivilis habeatur, vel ad oſtendendam amicitiam juxta morem patriæ, vel ad fovendum amorem in ordine ad contrahendum matrimonium, quamvis per accidens contra voluntatem motus venerei orirentur, vel ut ait *S. Antoninus*, quamvis poſſit ſupervenire tentatio, & mala intentio; quia hoc erit per accidens, modo poſitive diſſentiat, *Sylvius apud Tourn.*, *Mendo*, *& alii communiter apud la Croix*; quia bono fine honeſtantur, & honeſtam motus venerei cauſam per accidens non tenetur evitare. *Vide ſupra*. Sentiens tamen certe moraliter compartem affectu libidinoſo moveri, tenetur ex charitate ſe retrahere, ſi ſine incommodo, & adſtantium ſcandalo poſſit, *Tourn.* quia quilibet tenetur proximi peccatum impedire.

Hinc 2. Per tactus, & aſpectus graviter peccat; 1. ex affectu venereæ delectationis tangens, vel aſpiciens partes etiam honeſtas; ut vultum, manum, &c. quia *omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo, Matth.* 5. 2. Tangens inhoneſtas, vel iis vicinas cujuſcunque ſexus, etiam ob defectum ætatis, vel alia ex cauſa ſeminare impotentis, *Tamb.*, *Spor. apud la Croix*; quia ex ſe tendit apud pollutionem, vel mamillas, præcipue puellæ puberis, *Tourn.* etiam ſolum ex joco, levitate, vel curioſitate, & partes inhoneſtas ſolum per induſium, vel veſtes, aut tactum ſimulando, & quamvis Sanchez apud la Croix factos ſuper veſtes ex petulantia ſolum pro veniali habeat, raro tamen ſunt ſine mortali, & ſemper prohibendi. 3. Partes inhoneſtas diverſi ſexus aſpiciens, vel proprias ſaltem moroſe, & repetite intuens, vel tangens, vel in loco omnibus patenti ſe balneans, ac fœminis ſe nudum natandi cauſa exponens, vel fœminæ eos aſpicientes, etiam ſolius curioſitatis gratia, vel e loco remoto, *Tourn.* niſi fieret ex loco ita remoto, ut periculum delectationis venereæ abſit, *Sanch.*, *Fill.*, *Tamb. apud la Croix*; vel balneantes ſe invicem in iis tangentes, vel moroſe aſpicientes; unde Magiſtratus natationes publicas interdicere deberent, & adoleſcentibus non niſi coopertis partibus ſecretioribus, vel nunquam ſine neceſſitate permittendæ eſſent. 4. Nutrices, vel ancillæ partes inhoneſtas infantum

ſine

ſine neceſſitate moroſe, vel reiterando tangentes, vel aſpicientes; vel quicunque viri, & mulieris coitum intuentes; quia omnia iſta, etiamſi ſolum ex levitate, & joco, ſeu petulantia, vel curioſitate fiant, graviter per ſe, & periculoſe ad delectationem veneream provocant, *Tourn.* eodem modo peccant ſe in iiſdem partibus tangi permittentes; quia non ſolum alieno crimini cooperantur, ſed ejuſdem periculo ſe exponunt. 5. Tangens genitalia pecorum etiam minorum, ut canis, vel felis ſine neceſſitate, præcipue ſi ea uſque ad effuſionem ſeminis agitaret, *Tourn.* non ob perditionem ſeminis belluæ, quam necare poteſt, ſed quia ſimiles contrectationes in ſe ſunt turpes, beſtialitatis malitiam, & propriæ depravationis periculum continent. 6. Eunuchi etiam in prædictis graviter peccare poſſunt; quia etiam in ipſis datur commotio ſpirituum, licet generationi non aptorum, cum delectatione æquivalenter venerea, *la Croix.* 7. Graviter peccat, ſponſæ ſuæ blandiendo faciem, manus, brachia ejus tangens, oſcula figens ſine ulla etiam mala intentione, levemque ſolum, & contra intentionem delectationem ſentiens, ſi alias libidini ſit deditus, & delectationi conſentire conſueverit; quia propenſio hæc corrupta evidens eſt ipſi in hac occaſione incontinentiæ periculum; venialiter vero ſolum peccat, ſi perraro in ſimili occaſione libidini ſe dederit, & delectationi obſiſtere ſit ſolicitus; in praxi tamen ſimiles licentiæ pro viribus ſunt diſſuadendæ, ne in graviores tentationes incidens eis ſucumbat, *Pont.* ſic non niſi venialiter peccat ex joco, vel levitate, ſecluſo affectu libidinoſo, pede pedem amaſiæ pulſans, digitos premens, manus obiter, vel faciem alapam ſimulando tangens, *Tourn.* quia in ſe ſunt indifferentia, & malitiam ex affectu tangentis induunt, qui non niſi venialis ſupponitur. 8. Secundum Sylvium, & alios a mortali excuſantur, crura, collum, humeros, pectora, quoad partem ſuperiorem juxta morem patriæ viſui expoſita, ex levitate ſine malo fine tagens, vel intuens, quia juxta ipſos non graviter movere ſolent, quod quoad viſum facilius, quam tactum admitti poteſt; quia minus movet, modo obiter fiat; vel ſi inter impuberes ejuſdem ſexus fiat, etiam quoad partes inhoneſtas, *Billuart*; quia iſti non carnaliter moveri ſolent: ne tamen conſuetudinem contrahant, valde deterrendi ſunt. 9. Veniali-

niali-

Digitized by Google

nialiter ſolum peccat brutorum coitum intuens, vel ſeipſum, vel alium ejuſdem ſexus in partibus inhoneſtis, vel picturas, aut ſtatuas turpes ex ſola curioſitate, vel levitate non moroſe aſpiciens, *Thom. ex Charm. contra Tourn.* quoad picturas, & ſtatua, quia non magis, ſed minus videntur excitativæ, quam natura; licet ſtatuas grandiores perſonas repræſentantes facientes, & exponentes graviter peccent; quia aliis ad libidinem ſcandalo ſunt; ſic ex curioſitate, vel levitate, aut manus calefaciendi cauſa ſeipſos in iis partibus tangentes excuſat Sylvius, & alii communiter a mortali apud Tournely, modo in omnibus prædictis abſit affectus venereus, ſcandalum, ac periculum delectationis venereæ, & ſi contra voluntatem exurgat, reprimatur deſiſtendo a prædictis, nec moroſe, ſed obiter tantum fiant: quia non eſt tanta in iſtis, & in proprio, ſicut in alieno corpore, & ſexu turpitudo, nec tantum voluptatis venereæ periculum, *Sylvius ibid.*, & *Thom. ex Charm.* 10. Nec mortaliter peccant ancillæ, & minus matres lavantes, vel veſtientes infantes partes eorum inhoneſtas ſolum ex curioſitate, vel levitate aſpicientes, vel tangentes non moroſe, ſed obiter, & leviter tantum, *la Croix*; quia ob infantilem ætatem non ita graviter per ſe movent ad libidinem, quamvis graviter peccent, ſi moroſe, vel affectu libidinoſo fiat, ut ſupra dictum eſt; nullo modo autem peccant, ſi ex neceſſitate fiat. 11. Nec graviter peccant conjuges ſolius voluptatis cauſa in ſe mutuo prædictos tactus, & aſpectus exercentes, ſecluſo periculo pollutionis, *Sanch. Fill.*, & *communis apud P. Gerv. contra Pont.* quia matrimonium eos cohoneſtat, & ex natura ſua ordinantur ad copulam, quæ ipſis eſt licita; defectus autem finis debiti non eſt mortalis, & actu relati ad copulam nullum ſunt peccatum, etſi mutato animo non ſequatur actu; abſente autem comparte, vel præſente in proprio corpore animo non copulandi, facti ſunt mortales, *Billuart*; quia ut ſic non ſunt actus conjugales, ſed hominis ſolitarii, & ex natura ſua tendunt ad pollutionem etiam maritatis mortaliter prohibitam; animo vero copulandi, vel in comparte licet animo non copulandi, tendit ex natura ſua ad copulam, quæ inſtante pollutione poteſt exerceri: in ſponſis autem, ſicut in aliis, ſunt mortaliter peccaminoſi. *Vide ſupra de delectatione moroſa.* 12. Nullo modo autem

autem peccat ex Officio, vel neceſſitate ſe, vel alios in partibus inhoneſtis aſpiciens, vel tangens, ut medendi cauſa; vel ſe ex fine aliquo naturali & honeſto, v. g. ut fricatione moderata pruritum moleſtiſſimum extinguat, modo abſit periculum pollutionis, aut conſenſus in eam, ſi ex improviſo contra voluntatem, & intentionem contingat, *Sanch.*, *Laym.*, *March.*, *Spor. ſupra citati pag.* 47. omnia tamen prædicta, licet aliquando ſine mortali fieri poſſint, in praxi non neceſſaria omnibus diſſuadenda, ac vitanda, & libidinoſis omnino prohibenda ſunt; quia in his propenſio corrupta evidens eſt periculum incontinentiæ, cui ſe nunquam exponere licet; & periculum aliorum, qui non ita ſunt libidinoſi, ex mora, motivo, impreſſione, ætate, frigida complexione, fragilitate ſæpe experta dijudicandum eſt.

Hinc 3. Per verba obſcœna graviter peccat 1. verba obſcœna loquens, cantans, ſcribens, componens, legens, audiens ob delectationem veneream in ſe, vel in alio excitandam, vel cum gravi illius excitandæ periculo, aut ſcandalo: & venialiter, ſi fiat ex levitate, joco, vel ſolatio vano, vel ob ſolam delectationem artificii, ſecluſo ſcandalo, & delectatione venerea, vel illius periculo in ſe, vel aliis, *S. Antoninus*, *Nav.*, *Cajet.*, *Tolet. apud la Croix*; vel ſi ſolum ex reſpectu humano quis rideat, complacentiam exhibeat, ne irrideatur, convitiis afficiatur, modo riſu, vel complacentia non ad continuandum excitet, vel auctoritatem tribuat; per accidens vero, & in praxi, cum raro deſit periculum turpis deſiderii, complacentiæ, ſcandali in proferente, vel audiente, præcipue in juvenibus, & infirmis, vel ſi ſint valde turpia, & inductiva in luxuriam, ordinarie mortaliter peccant, & non facile dicentibus, ſe nihil mali cogitaſſe, credendum, ſed, ut abſtineant, ea impediant, vel recedant, & ſi non poſſint, diſplicentiam exhibeant, monendi ſunt, *Thom. ex Charm.* 2. Graviter peccant Typographi libros obſcœnos, vel ſi non expreſſe ſint obſcœni, imaginem tamen amoris, ac delectationis venereæ ingerentes, imprimentes, Bibliopolæ eos vendentes, vel alii illos legentes, vel parentes ſuis infantibus eos permittentes, etiam eloquentiæ addiſcendæ gratiæ, quamvis viris gravioribus, & pudicis, ſermonis elegantiam unice inquirentibus permittantur, *Concil. Trid.* 3. Literas, amatoria amoris venerei

rei incendium excitantes, ſcribentes, legentes, vel ſcienter portantes; quia omnia prædicta delectationem veneream graviter, & periculoſe ex ſe excitant. De ornatu inhoneſto mulierum, choreis, ſpectaculis *vide de Temperantia*.

QUÆSTIO IV.

DE PECCATO ORIGINALI.

Quæritur. 1. An detur peccatum originale, & in quo conſiſtat.

DICO. Dari peccatum originale, de fidem certum eſt; quod eſt ipſum Adæ peccatum toti ejus poſteritati vere, & intime communicatum, conſiſtens formaliter in habituali privatione conformitatis ad legem, quam Adam caput noſtrum tranſgreſſus eſt, & quam nos ipſius voluntate tranſgreſſi ſumus.

Quær. 2. Quænam ſit cauſa transfuſionis peccati originalis, & quinam illud contrahant?

Dico. Peccatum originale non eſt ex traduce ejuſque transfuſionis cauſa proxima non eſt concupiſcentia, qua naſcimur, ſed ſeminalis generatio ab Adamo, ſuppoſito decreto Dei voluntatem omnium ab Adamo per generationem naturalem deſcendentium transferente in voluntatem Adami, & eum caput totius generi humani conſtituente in ordine ad obſervationem, & tranſgreſſionem præcepti de non comedendo fructu prohibito, patet ex *Concilio Trid. Seſſ.* 5. *cap.* 3. Peccatum originale omnes infantes, etiam fidelium contrahunt; quia, ut ait Apoſtolus *ad Rom.* 5. *Omnes in Adam peccaverunt*, excepta B. V. Maria, ut fere omnes conſentiunt Catholici, & contraria opinio in concionibus, lectionibus, libris, & colloquiis publicis prohibita eſt a Gregorio XV. Dominicanis ſolis in privatis ſuis colloquiis inter ſe, & non inter alios, vel cum aliis permiſſa, quamvis debitum remotum illud contrahendi habuerit; quia in lege generali debuiſſet includi, niſi a Chriſto ab eo fuiſſet redempta, & præſervata.

Quær.

Quær. 3. *Quænam ſint pœna peccati originalis?*

Dico. Pœna peccati originalis hujus vitæ corporales ſunt mors, & hujus vitæ miſeriæ; pœnæ autem animæ hujus vitæ ſunt 1. privatio juſtitiæ originalis, quæ conſiſtit in perfecta mentis ſubmiſſione erga Deum, & ſubmiſſione appetitus ſenſitivi menti. 2. Privatio gratiæ ſanctificantis, habituum ſupernaturalium fidei, ſpei, charitatis, donorum Spiritus S. &c. 3. Vulnus quadruplex animæ, nempe ignorantia in intellectu, malitia, & inclinatio ad malum in voluntate, concupiſcentia in appetitu iraſcibili ad ardua in via ſalutis: & pœnæ alterius vitæ ſunt 1. excluſio a Regno cœlorum, ſeu privatio vitæ æternæ. 2. Dolor internus de bono amiſſo. 3. Pœna ſenſus, ſeu gehennæ ignis.

Quær. 4. *Quænam ſint pœna parvulorum ſine baptiſmo decedentium?*

Dico. Parvuli ſine baptiſmo decedentes excluduntur a Regno Dei, & vita æterna, ut Fides docet. Sed an etiam patiantur pœnam damni, ac animi dolorem de bono amiſſo, vel naturali fruantur beatitudine, non conſtat. Pœnas ſaltem ſenſus non patiuntur, ut docet S. Thomas; quia correſpondent converſioni ad creaturas, & deliciis a parvulis non guſtatis; & probabiliter, ut docet *Gonet ex S. Thoma*, habituri ſunt magnitudinem viri perfecti, immortalitatem, impaſſibilitatem, cognitionem multorum, ſed non omnium naturalium, dilectionem naturalem Dei, ut auctoris naturæ, non vero amicabilem, & perfectam, quæ cum averſione a Deo per originale contractum ſtare nequit.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN-

INDEX
OMNIUM QUÆSTIONUM.
PARTIS PRIMÆ.

TRACTATUS I.
DE ACTIBUS HUMANIS.
QUÆSTIO I.
DE VOLUNTARIO.

Quæritur. 1. *Quid ſit actus hominis, & actus humanus?* 1

2 *quid ſit voluntarium?* 2

3 *quotuplex ſit voluntarium?* ibid.

4 *quando valeat iſta regula:* quî tacet conſentire videtur? 3

5 *quando effectus ex aliqua cauſa, vel illius omiſſione ſecutus, non ſolum phyſice, ſed etiam moraliter, & peccaminoſe ſit voluntarius?* ibid.

6 *quale ad actum ab alterius conſenſu dependentem requiratur voluntarium, ut licite, & valide fiat?* 4

QUÆSTIO II.
DE INVOLUNTARIO.

Quæritur. 1. *Quid, & quotuplex ſit involuntarium?* 5

2 *quid, & quotuplex ſit violentia?* 6

3 *quid, & quotuplex ſit metus?* ibid.

4 *quid ſit concupiſcentia, & quotuplex?* ibid.

5 *quid, & quotuplex ſit ignorantia?* 7

6 *quid, & quotuplex ſit ignorantia mere actualis?* ibid.

7 *quotuplici modo lex naturalis conſiderari poſſit?* 8

8 *quomodo violentia tollat voluntarium?* ibid.

9 *quomodo metus tollat voluntarium?* 9

10 *an metus irritet contractum?* 10

11 *an nulli contractus ex metu gravi initi ſint ipſo jure poſitivo invalidi?* ibid.

12 *quomodo concupiſcentia tollat voluntarium?* 11

13 qua-

13 *qualis detur ignorantia?* ibid.
14 *quomodo ignorantia tollat voluntarium?* ibid.
15 *quomodo ignorantia mere actualis tollat voluntarium?* 12

QUÆSTIO III.

DE LIBERO.

Quaritur. 1. *Quid, & quotuplex ſit libertas?* 13
2 *quid, & quotuplex ſit neceſſitas?* ibid.
3 *qualis detur in homine libertas?* 14

QUÆSTIO IV.

DE MORALITATE ACTUUM HUMANORUM.

Quaritur. 1. *Quid, & quotuplex ſit moralitas actuum humanorum?* ibid.
2 *quid, & quot ſint principia moralitatis?* 15
3 *quid ſit objectum, finis, & circumſtantia?* ibid.
4 *an dentur actus indifferentes?* 16
5 *quanam ſit primaria, & radicalis bonitatis, ac malitiæ regula?* 17
6 *unde ſumatur primaria intrinſeca, & ſpecifica actuum humanorum moralitas?* ibid.
7 *unde deſſumat actus indifferens, vel ex objecto bonus, vel malus ſecundariam, vel novam moralitatem?* ibid.
8 *an actus ex objecto malus bono fine cohoneſtari, vel ex objecto bonus malo fine, vel circumſtantiis, ſeu alio defectu vitiari poſſit?* 18
9 *an actus externus augeat bonitatem, vel malitiam actus interni?* 19
10 *quomodo voluntas humana, ut ſit bona, debeat conformari voluntati divinæ?* ibid.

QUÆSTIO V.

DE CONSCIENTIA.

Quaritur. 1. *Quid ſit conſcientia?* 20
2 *quotuplex ſit conſcientia?* ibid.
3 *quanam conſcientia ſit proxima bonitatis, vel malitiæ regula?* 23
4 *an conſcientia erronea poſſit eſſe regula moralitatis?* ibid.
5 *an conſcientia dubia ſit morum regula?* 25
6 *an illa regula*: melior eſt conditio poſſidentis, *ſolum valeat in materia juſtitiæ?* 26
7 *an conſcientia ſcrupuloſa, vel lata ſit regula morum?* 30

8 *an*,

8 an, & quomodo conſcientia probabilis ſit regula morum? ibid.

TRACTATUS II.

DE LEGIBUS.

QUÆSTIO I.

DE LEGIBUS IN COMMUNI, ET PARTICULARI.

Quæritur. 1. Quid ſit lex in communi? 32
2 quot ſint conditiones legis? ibid.
3 quotuplex ſit lex? 33
4 an promulgatio ſit de legis eſſentia? ibid.
5 quid ſit lex æterna? ibid.
6 quinam legi æternæ ſubjiciantur? ibid.
7 quid ſit lex naturalis? 34
8 quænam præcepta pertineant ad legem naturalem? ibid.
9 an lex naturalis mutari poſſit? ibid.
10 quid, & quotuplex ſit lex poſitiva? 35
11 an lex antiqua fuerit bona, & quando fuerit abrogata? 36
12 quænam præcepta legis antiquæ, & quando fuerint mortua & mortifera? ibid.
13 quid, & quotuplex ſit lex humana, & quotuplex ſit regimen? ibid.
14 quiſnam poſſit condere leges humanas, & an ab acceptatione dependeant? 37
15 quænam ſit legis humanæ materia? ibid.
16 qualis ad ſatisfaciendum legi requiratur intentio? ibid.
17 quinam teneantur ad legis humanæ obſervantiam? 38
18 ad quas leges infideles, ac hæretici obligentur? 39
19 ad quas leges clerici teneantur? ibid.
20 quibus legibus teneantur peregrini, & advenæ? 41
21 an leges humanæ obligent in conſcientia? 43
22 quomodo lex fundata in præſumptione periculi, vel facti obliget? 44
23 an lex humana obliget cum gravi damno, vel vitæ periculo? ibid.
24 an teneatur ad partem, qui non poteſt præſtare to-

tum opus præceptum, vel eodem actu duobus præceptis ſatisfacere poſſit? ibid.
25 an impedimentum executionis præcepti ponens, vel illud non tollens, peccet? 45
26 quænam lex magis obliget? ibid.
27 quid, & quotuplex ſit lex ſcripta? 46
28 quid, & quotuplex ſit lex non ſcripta? ibid.
29 quomodo conſuetudo vim legis acquirat, vel veterem abroget? 47
30 quid, & quotuplex ſit lex pœnalis, & quando ad pœnam obliget? ibid.
31 an detur lex pure pœnalis; & quando lex tantum ad pœnam obliget? ibid.
32 an tributa ſint lex pure pœnalis, & a Principibus juſte exigi poſſint, & a ſubditis ſolvi debeant? 48
33 quotuplicis generis ſint pœnæ, & quotuplex ſententia? 50
34 an leges pœnales ad pœnam obligent ante judicis ſententiam? ibid.
35 quid ſit lex favorabilis, ſeu privilegium? 52
36 quomodo privilegio uti liceat? ibid.
37 quomodo privilegium amittatur? 53
38 quid ſit lex irritans? ibid.
39 quomodo ignorantia impediat legem irritantem? ibid.

QUÆSTIO II.

DE CESSATIONE LEGIS.

Quæritur 1. Quot modis lex ceſſare poſſit? 54
2 quomodo ceſſet lex conſuetudine; & interruptione? ibid.
3 quomodo lex ceſſet diſpenſatione? 55
4 quomodo ceſſet diſpenſatio ceſſante cauſa finali? 56
5 quomodo ceſſet diſpenſatio per obitum concedentis? 57
6 quando diſpenſatio ſit invalida? ibid.
7 quomodo ceſſet lex irritatione, abrogatione, & derogatione? ibid.

QUÆSTIO III.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

Quæritur 1. Quomodo obliget præceptum audiendi Miſſam in diebus Dominicis, & Feſtivis? 58
2 An gravis ſit obligatio audiendi Miſſam in propria Parochia in diebus Dominicis, & Feſtivis? 59

Digitized by Google

3 quanam ſint cauſæ excuſantes ab auditione Miſſæ in diebus Dominicis, & Feſtivis? ibid.
4 quomodo dies Feſtivi ſanctificandi ſint? 60
5 quanam opera prohibeantur in diebus Dominicis, & Feſtivis? 61
6 quanam ſint cauſæ excuſantes ab opere ſervili? ibid.
7 quomodo præceptum jejunii, & abſtinentiæ ſit obſervandum? 63
8 quanam ſint cauſæ a jejunio excuſantes? 66

TRACTATUS III.

DE VARIORUM STATUUM OBLIGATIONIBUS.

QUÆSTIO I.

DE OBLIGATIONE CLERICORUM.

Quæritur 1. Quanam ſint generales Clericorum obligationes? 69
2 quanam Clerici prohibeantur? 70
3 quanam ſint particulares Clericorum, & Beneficiatorum obligationes? 71
4 quinam ad divinum officium; & parvum B. V. Mariæ teneantur? 72
5 quomodo obligati ad officium divinum, vel B. V. Mariæ illud recitare teneantur? ibid.
6 ad quid teneatur officium divinum omittens? 74
7 quot ſint cauſæ excuſantes a recitatione divini officii, & choro? 76
8 quid, & quotuplex ſit beneficium? 78
9 quot ſint tituli, quibus beneficium acquiri poteſt? ibid.
10 quomodo beneficium vacet? 82
11 quid ſit penſio, a quo, & ob quas cauſas conſtitui poſſit? ibid.
12 quomodo penſio extinguatur? 83
13 quibuſnam beneficia conferenda ſint? ibid.
14 quale beneficiarii bonorum ſuorum habeant dominium? 86
15 an licitum ſit plura ſimul poſſidere beneficia? 87
16 quinam ad reſidentiam teneantur? 88
17 quanam ſint alia Parochorum obligationes? 92

QUÆSTIO II.

DE SIMONIA.

Quæritur. 1. *Quid, & quotuplex ſit Simonia?* 93
2 *quale peccatum ſit Simonia, & quinam illam committere poſſint?* 94
3 *quot modis Simonia committi poſſit?* 95
4 *quanam ſint pœnæ Simoniæ, & quinam eas incurrant?* 106
5 *qualem ſimoniam ignorans incurrat?* 110
6 *quiſnam a pœnis contra Simoniacos latis poſſit abſolvere?* 111

QUÆSTIO III.

DE OBLIGATIONIBUS RELIGIOSORUM.

Quæritur. 1. *Quid ſit Status Religioſus?* ibid.
2 *quanam ſint obligationes Status Religioſi?* ibid.
3 *quinam Religionem teneantur ingredi, & quomodo ad illam compellentes, vel ab ea retrahentes peccent?* 112
4 *quinam invalide, & illicite in Religionem recipiantur?* ibid.
5 *quanam ſint Novitiorum privilegia?* ibid.
6 *quanam ſint valida profeſſionis conditiones?* 113
7 *quinam ſint profeſſionis effectus?* 115
8 *quid, & quotuplex ſit obedientia?* ibid.
9 *ad quid teneatur Religioſus vi voti obedientiæ?* ibid.
10 *quid ſit caſtitas religioſa?* 116
11 *ad quid teneatur Religioſus vi voti caſtitatis, & quanam ſint media contra carnales delectationes?* ibid.
12 *quid ſit paupertas religioſa, quotuplex licentia Superioris, & neceſſarium?* ibid.
13 *ad quid teneatur Religioſus vi voti paupertatis?* 117
14 *ad quid teneatur Religioſus bona monaſterii immoderate diſſipans?* 118
15 *an peculium Religioſis ſit licitum?* 119
16 *quanam ſint cauſæ egreſſum e Religione permittentes?* ibid.
17 *quinam ſint in Superiores eligendi, & quanam eorum obligatio, & poteſtas?* 120
18 *an Superiores poſſint fœminis permittere ingreſſum in monaſterium?* 121
19 *quanam ſint Religioſorum privilegia, & exemptio?* 122
20 *quanam ſit Eccleſiarum immunitas?* 126

QUÆSTIO IV.

DE OBLIGATIONIBUS PARENTUM, ET EORUM VICESGERENTIUM.

Quæritur. 1. Quaſnam habeant obligationes parentes; & eo-rum viceſgerentes erga ſua cura commiſſos? 127
2 *quaſnam habeant infantes, diſcipuli, famuli, &c. erga parentes, & Dominos obligationes?* 128
3 *quænam ſit obligatio Judicis?* ibid.
4 *quænam ſit obligatio accuſatoris; & denunciatoris?* 130
5 *quænam ſit obligatio teſtis?* ibid.
6 *quinam ſint teſtes minus idonei?* 131
7 *ad quid teneatur reus?* ibid.
8 *quænam ſit obligatio Advocati; Procuratoris, Referentis, Notarii, Scribæ, & Apparitoris?* 132
9 *quænam ſit obligatio Regum, & Magiſtratuum?* ibid.
10 *quænam ſit obligatio Ducum; ac militum?* 133
11 *quænam ſit obligatio Medicorum; Pharmacopolarum, & Chirurgorum?* ibid.

TRACTATUS IV.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

QUÆSTIO I.

DE VIRTUTIBUS IN COMMUNI.

Quæritur. 1. Quid ſit virtus; quotuplex, quænam ſint ejus proprietates? 135
2. *an dentur virtutes infuſæ, ac ſupernaturales; & quænam conſiſtant in medio?* 136
3 *an virtutes neceſſariam inter ſe habeant connexionem?* ibid.

QUÆSTIO II.

DE FIDE.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit fides? ibid.
2 *quotuplex ſit actus fidei?* 137
3 *quid ſit articulus fidei; & propoſitio mediate revelata?* ibid.
4 *quotuplex ſit neceſſitas?* ibid.
5 *quodnam ſit objectum materiale; ac formale fidei; an creverit, & quomodo pereat habitus fidei?* ibid.

6 quænam ſint vera fidei proprietates, regula, Eccleſia vera nota, & caput viſibile? 138
7 quomodo actus fidei internus ſit neceſſarius, & quænam credenda ſint neceſſitate medii, & præcepti? 139
8 quoties actus fidei internus ſit deliciendus, & fides externa profitenda? 140

QUÆSTIO III.

DE VITIIS FIDEI, OPPOSITIS, INFIDELITATE ET BLASPHEMIA.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex, ſit infidelitas? 141
2 quid ſit hæreſis formalis? 142
3 quale infidelitas ſit peccatum, an a Principe chriſtiano poſſit tolerari, & Chriſtiani cum ipſis communicare? ibid.
4 an famulari liceat apud Acatholicos? 143
5 quomodo prohibita ſit librorum hæreticorum lectio? 144
6 quænam ſint pœna contra hæreticos in jure lata? 146
7 quid, & quotuplex ſit blaſphemia? 147
8 quale peccatum ſit blaſphemia? 148

QUÆSTIO IV.

DE SPE.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit ſpes? 149
2 quodnam ſit objectum materiale; & formale ſpei? ibid.
3 an ſpes ſit diſtincta a fide, & charitate; an ſit infallibilis, & in quibus reperiatur? 150
4 quomodo ſpes ſit neceſſaria, & obliget? ibid.
5 quænam ſint vitia ſpei oppoſita? ibid.
6 qualia deſperatio, & præſumptio ſint peccata; quænam eorum cauſa, & remedia? 151

QUÆSTIO V.

DE CHARITATE DEI, ET PROXIMI.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit charitas? ibid.
2 quomodo ſtricte definiatur charitas, & quaſnam debeat habere conditiones? 152
3 quodnam ſit objectum materiale, & formale charitatis? ibid.
4 quænam ſit neceſſitas, & obligatio charitatis? 153
5 quomodo, & quoties proximus ſit diligendus? 154
6 quomodo teneamur diligere inimicos? 155
7 quinam ſit ordo charitatis Dei, & proximi ſervandus? 175

8 quot

8 quot ſint opera miſericordiæ, & quid ſit correctio fraterna? 160
9 qualis ſit fraternæ correctionis obligatio, & quænam ſint cauſæ excuſantes? ibid.
10 quiſnam ordo in correctione fraterna ſit ſervandus, & quando delictum immediate ad Superiorem poſſit deferri? 162
11 quænam ſit corporalis eleemoſynæ obligatio? 163

QUÆSTIO VI.

DE PECCATIS CHARITATI DEI, ET PROXIMI OPPOSITIS.

Quæritur. 1. Quid ſit odium, & quale peccatum? 165
2 quid ſit bellum, & quotuplex? 167
3 an bellum ſit licitum? ibid.
4 quid, & quotuplex ſit duellum? 169
5 an duellum aliquando ſit licitum. ibid.
6 quænam ſint duellantium pœnæ? 170
6 quid, & quotuplex ſit ſchiſma? 171
8 quale ſchiſma ſit peccatum, & quæ illius pœnæ? ibid.
9 quid, & quotuplex ſit ſcandalum? 172
10 quale peccatum ſit ſcandalum? ibid.
11 quomodo ſcandalum phariſaicum, ac puſillorum ſit vitandum? 173
12 an liceat peccato proximi cooperari? 174

TRACTATUS V.

DE VIRTUTE RELIGIONIS.

QUÆSTIO I.

DE ACTIBUS INTERNIS, ET EXTERNIS RELIGIONIS.

Quæritur. 1. Quid ſit Religio, quodnam illius objectum, & actus? 177
2 quid ſit devotio, & oratio, & quotuplex ſi oratio? ibid.
3 quænam requiratur ad orationem præparatio, quænam conditiones, ut ſit efficax? 178
4 quomodo oratio ſit neceſſaria? ibid.
5 quid, & quotuplicis generis ſint decimæ? 179

6 *quo jure, & quibuſnam decima ſint debita?* 180
7 *quid, & quotuplex ſit votum?* 185
8 *quanam ſint conditiones ad votum requiſita?* ibid.
9 *quanam ſit obligatio voti?* 187
10 *quomodò obligent vota conditionata, vel dubia?* 188
11 *quinam vovere poſſint, & an quis voto alieno obligetur?* 190
12 *quomodo ceſſet voti obligatio?* 192
13 *quid ſit juramentum, & adjuratio, & quotuplex?* 198
14 *quanam ſint formula jurandi?* 199
15 *quotuplex ſit reſtrictio mentalis?* 200
16 *an juramentum licitum ſit?* ibid.
17 *quomodo obliget juramentum?* 201
18 *quomodo juramentum interpretari debeat?* 202
19 *quomodo ceſſet juramenti obligatio?* 204
20 *quanam ſint perjurii pœna?* 205

QUÆSTIO II.

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS, SUPERSTITIONE ET IRRELIGIOSITATE.

Quaritur. 1. Quid ſit ſuperſtitio, & quanam ejus ſpecies? ibid.
2 *quale ſuperſtitio ſit peccatum?* 207
3 *quid ſit irreligioſitas, & quanam ejus ſpecies?* 210
4 *quid ſit tentatio?* ibid.
5 *quale tentatio ſit peccatum?* ibid.
6 *quid, & quotuplex ſit ſacrilegium?* ibid.
7 *quale peccatum ſit ſacrilegium?* ibid.

TRACTATUS VI.

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS, PRUDENTIA, FORTITUDINE, TEMPERANTIA, ET JUSTITIA.

QUÆSTIO I.

DE PRUDENTIA, FORTITUDINE, ET TEMPERANTIA.

Quaritur. 1. Quid, & quotuplex ſit prudentia, & quanam ad prudentiam referantur? 213
2 *quodnam ſit prudentia objectum, & quinam actus?* 214

3 quod-

3 quodnam ſit vitium prudentiæ oppoſitum? ibid.
4 an prudentia ſit neceſſaria? ibid.
5 quid ſit fortitudo, & quænam ſint ejus ſpecies? ibid.
6 quodnam ſit fortitudinis objectum? 215
7 quænam ſint vitia fortitudini oppoſita? ibid.
8 quid ſit temperantia, & quænam ejus ſpecies? ibid.
9 quodnam ſit temperantiæ objectum, & quæ vitia oppoſita? 216
10 an ornatus mulierum ſit licitus? ibid.
11 an choreæ ſint licitæ? 217
12 an ſpectaculis intereſſe liceat? 218

QUÆSTIO II.

DE JUSTITIA.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit juſtitia? ibid.
2 quænam ſit juſtitia ſtricte dicta, & cujuslibet objectum? 219
3 inter quos non poſſit dari juſtitia perfecta commutativa? 220
4 quid, & quotuplex ſit jus, & quot ſint ſpecies juris? 221
5 quomodo acquiratur jus in re, & jus ad rem? 222
6 ad quid teneatur uſurarius, & uſufructuarius, & quomodo uſusfructus, acquiratur, & amittatur? ibid.

QUÆSTIO III.

DE DOMINIO.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit dominium, titulus, & poſſeſſio? 223
2 quomodo acquiratur dominium? 224
3 quomodo aquiratur, & amittatur poſſeſſio, & quinam ſint illius effectus? 225
4 quinam dominium habere poſſint? ibid.
5 quale filiusfamilias habeat dominium? 226
6 quale uxor habeat dominium? 228
7 quale dominium habeant Clerici? 229
8 quinam animalium, gemmarum, metallorum, &c. acquirant dominium? ibid.
9 quinam theſauri, ac rerum inventarum acquirant dominium? 231
10 quid ſit præſcriptio, & quænam ſint legitimæ præſcriptionis conditiones? 234

11 quo-

31 quomodo præſcriptione acquiratur dominium? 238
32 quibus aliis adhuc modis dominium acquiratur? 239

QUÆSTIO IV.

DE CONTRACTIBUS IN COMMUNI.

Quæritur. 1. Quid, & quotuplex ſit contractus? 241
2 quinam validè contrahere poſſint, & quænam ad valorem contractus requirantur conditiones? 242
3 an omnis contractus validus obliget, & invalidus addito juramento fiat validus? 247
4 quomodo contractus non puri obligent? 248
5 quid, & quotuplex ſit culpa? 250
6 ex qua culpa in contractibus oriatur reſtitutionis obligatio? ibid.

QUÆSTIO V.

DE CONTRACTIBUS IN PARTICULARI.

Quæritur. 1. Quid ſit promiſſio gratuita, & quomodo obliget? 252
2 an promiſſio ſub conditione operis turpis facta ſit valida, & obliget? 253
3 quomodo ceſſet obligatio promiſſionis validæ? 254
4 quid & quotuplex ſit donatio gratuita? 255
5 quænam ad valorem donationis requirantur conditiones? ibid.
6 an donatio revocari poſſit? 258
7 quid & quotuplex ſit hæres? 259
8 quinam hæreditate privari poſſint? ibid.
9 quid & quotuplex ſit teſtamentum, codicillus, & legatum? 260
10 quænam requirantur conditiones ad valorem teſtamenti? 262
11 an per teſtamentum, aliumve actum inter vivos, vel mortis cauſa invalidum, acquiſita in foro conſcientiæ retineri poſſint? 265
12 quiſnam poſſit eſſe executor teſtamenti, & quomodo teſtamentum exequi teneatur? 266
13 an hæres teneatur acceptare hæreditatem, ac quando eam acceptaſſe cenſeatur, & quando à Judice ab hæreditate poſſit excludi? 267
14 quid ſit depoſitum, & ſequeſtrum? 269
15 ad quid teneatur depoſitarius? ibid.

16 quid

16 *quid ſit commodatum, & precarium?* 270
17 *quænam ſint obligationes commodantis, & commodatarii?* 271
18 *quid ſit mandatum, & negotiorum geſtio?* 272
19 *quænam ſint mandantis, mandatarii, ac negotiorum geſtoris obligationes?* ibid.
20 *quid ſit locatio, & conductio?* ibid.
21 *quænam ſint obligationes locatoris?* 273
22 *quænam ſint obligationes conductoris?* 274
23 *quid ſit emptio, & venditio?* 276
24 *quænam requirantur ad venditionem, & emptionem conditiones?* ibid.
25 *ad quem ſpectent fructus rei emptæ, & an non ſoluto pretio debeat ſolvi intereſſe?* ibid.
26 *cui res vendita fiat deterior, vel pereat?* 277
27 *quid, & quotuplex ſit juſtum pretium?* 279
28 *unde juſtum pretium ſit deſumendum, & quo vendere, ac emere liceat, & qua ratione augeri, vel minui poſſit?* ibid.
29 *quis vendere poſſit, & quænam vendere liceat?* 283
30 *an vitium rei venditæ a venditore, vel pretioſitas ab emptore manifeſtari debeat?* 284
31 *quid ſit retrovenditio, contractus mohatra, & retractus gentilitius?* 285
32 *an contractus retrovenditionis ſit licitus?* 286
33 *an contractus mohatra, & retractus gentilitius ſit licitus?* 288
34 *quid ſit negotiatio, & monopolium?* ibid.
35 *an negotiatio ſit licita?* ibid.
36 *an monopolium ſit licitum?* 289
37 *quid ſit mutuum, & uſura?* 290
38 *an mutuum ſit licitum, & ad quid teneantur mutuans, & mutuatarius?* ibid.
39 *quot ſint tituli aliquid ſupra ſortem accipiendi?* 293
40 *quot ſint tituli illegitimi aliquid ex mutuo accipiendi?* 295
41 *quomodo uſura ſit prohibita, & an liceat ab uſurario mutuum petere?* 296
42 *quænam ſint uſurariorum pœna?* 297
43 *quid, & quotuplex ſit cambium?* 298
44 *an cambium ſit licitum?* ibid.
45 *quid, & quotuplex ſit cenſus?* ibid.

46 *an*

46 an cenſus ſit licitus? 299
47 quanam requirantur conditiones, ut cenſus ſit licitus? 300
48 quid ſit emphiteuſis, & feudum? 301
49 ad quid teneatur emphiteuta? ibid.
50 ad quid teneatur vaſallus? 302
51 quid ſit ſocietas, & contractus triplex? ibid.
52 an contractus ſocietatis ſit licitus? ibid.
53 an contractus ſocietatis animalium ſit licitus? 303
54 an contractus triplex ſit licitus? 304
55 quid ſit fidejuſſio, & aſſecuratio? ibid.
56 an fidejuſſio ſit licita, & quibus conditionibus? ibid.
57 an aſſecuratio ſit licita, & quibus conditionibus? 306
58 quid ſit pignus, hypotheca, & tranſactio? ibid.
59 quænam ſint obligationes dantis, vel accipientis pignus, vel hypothecam? ibid.
60 quid ſit ludus, ſponſio, & loteria? 307
61 an ludus ſit licitus, & quibus conditionibus? ibid.
62 an ſponſio ſit licita? 309
63 an loteria ſit licita? ibid.

QUÆSTIO VI.

DE INJUSTITIA, ET RESTITUTIONE IN COMMUNI.

Quæritur. 1. Quid ſit injuſtitia, & reſtitutio? ibid.
2 an volenti poſſit fieri injuria? ibid.
3 an reſtitutio ſit neceſſaria? 310
4 quot ſint radices reſtitutionis? ibid.
5 ex qua culpa oriatur obligatio reſtitutionis? ibid.
6 quot ſint circumſtantiæ reſtitutionis, quotuplex ſit poſſeſſor, fructus rei, impenſa, & quis factus ditior? 312
7 ad quid teneatur poſſeſſor bonæ fidei? 313
8 ad quid teneatur poſſeſſor malæ fidei? 314
9 ad quid teneatur poſſeſſor dubiæ fidei? 316
10 quot modis aliquis poſſit efficaciter cooperari damno alterius? 317
11 quinam cooperantium, damnum reparare teneantur? ibid.
12 quo ordine cooperatores ad damnum reſtituere teneantur? 318
13 cui reſtitutio ſit facienda, quomodo, & quando? 324
14 quo ordine debita ſolvenda ſint? 329

15 quo

Digitized by Google

15 quo in loco, cujus impenſis, & periculo facienda ſit reſtitutio? 330
16 quotuplex ſit ordo bonorum? 332
17 quænam ſint cauſæ excuſantes a reſtitutione? ibid.

QUÆSTIO VII.

DE RESTITUTIONE IN PARTICULARI.

Quæritur. 1. Ad qualem teneatur reſtitutionem bona animi lædens? 333
2 quid ſit homicidium, & ad qualem homicida teneatur reſtitutionem? 336
3 quid ſit ſtuprum, & ad qualem ſtuprator teneatur reſtitutionem? 341
4 quid ſit adulterium, & ad qualem adulter, & adultera teneantur reſtitutionem? 343
5 quid ſit fama, honor, detractio, & calumnia, & quotuplici modo crimen poſſit eſſe publicum? 344
6 quale ſit peccatum detractio, & calumnia? ibid.
7 quiſnam famam reſtituere teneatur? 348
8 quænam ſint cauſæ excuſantes a reſtitutione? 349
9 quid ſit judicium temerarium, opinio, ſuſpicio, dubium? 350
10 qualia ſint peccata judicium temerarium, opinio, ſuſpicio, ac dubium, & ad quid obligent? 351
11 quid ſit ſuſurratio, murmuratio, contumelia, irriſio? 352
12 qualia ſint peccata ſuſurratio, murmuratio, contumelia, & irriſio, & ad quid obligent? ibid.
13 quid ſit furtum, & rapina? 353
14 quale peccatum ſit furtum, ac rapina, & quænam materia utriuſque ſit notabilis? ibid.
15 quando res furto, vel rapina ablata reſtitui debeat, & quænam ſint cauſæ excuſantes a reſtitutione? 355
16 ad quid teneatur revelans ſecretum? 356

TRA-

TRACTATUS VII.
DE PECCATIS.
QUÆSTIO I.
DE PECCATIS IN COMMUNI.

Quæritur. 1. *Quid; & quotuplex ſit peccatum?* 358
2 *in quo conſiſtat ratio formalis peccati; & an detur peccatum philoſophicum?* 359
3 *qualem; peccata inter ſe habeant connexionem; & unde inæqualitas eſſentialis deſumatur?* 360
4 *unde deſumatur diſtinctio ſpecifica peccatorum?* 361
5 *unde deſumatur diſtinctio numerica peccatorum?* 363
6 *quinam ſint effectus peccati?* 366

QUÆSTIO II.
DE PECCATIS IN PARTICULARI.

Quæritur. 1. *An detur omiſſio pura ſine actu poſitivo voluntatis?* 367
2 *an, & quomodo actus incompatibilis cum obſervatione præcepti ſit peccaminoſus?* ibid.
3 *an dentur peccata infirmitatis, malitiæ; ac ignorantiæ, & an ignorantia ſit peccatum diſtinctum?* 369
4 *qualis ad peccatum formale requiratur conſenſus; ac advertentia?* 370
5 *quid; & quotuplex ſit mendacium; amphibologia, & reſtrictio mentalis?* 371
6 *quale peccatum ſit mendacium, & amphibologia, ac reſtrictio mentalis ſint licita?* ibid.
7 *quid; & quotuplex ſit delectatio moroſa; quotuplex illius objectum, & conſenſus?* 373
8 *quale peccatum ſit delectatio moroſa de ſola cogitatione, notitia; vel modo rei illicitæ?* 374
9 *quale ſit peccatum delectatio moroſa de ipſa re illicita, & quando, ac quomodo aliquis teneatur rei reſiſtere?* 375
10 *quotuplex ſit advertentia, & conſenſus, & quomodo cognoſcatur materiæ gravitas?* 378
11 *An dentur peccata ex natura ſua mortalia, & an malitia illorum ſit infinita?* 380
12 *quanam requirantur ad peccatum mortale?* ibid.

13 *qua-*

13 quanam ſint pœna peccati mortalis? ibid.
14 quotuplex ſit peccatum mortale, & veniale? 381
15 an dentur peccata ex natura ſua venialia, & quomodo differant a mortali? ibid.
16 an peccatum mortale poſſit fieri veniale; ac veniale mortale; & quomodo peccata venialia diſponant ad mortalia? ibid.
17 quanam ſint pœna peccati venialis in hac; & in altera vita? 383

QUÆSTIO III.

DE PECCATIS CAPITALIBUS.

Quæritur. 1. Quot ſint peccata capitalia? ibid.
2 quid, & quotuplex ſit ſuperbia, & quot ſint illius filia? ibid.
3 quale peccatum ſit ſuperbia; & quanam ſint contra ſuperbiam remedia? 384
4 quid ſit ira; & quanam ſint illius filia? 386
5 quale peccatum ſit ira, & quenam ſint contra illam remedia? 387
6 quid ſit avaritia, & quanam ſint illius filia? ibid.
7 quale ſit peccatum avaritia, & quanam ſint contra illam remedia? 388
8 quid ſit invidia; & quanam ſint ejus filia? 389
9 quale invidia ſit peccatum, & quanam ſint contra illam remedia? ibid.
10 quid ſit acedia; & quot ſint ejus filia? 390
11 quale acedia ſit peccatum, & quanam ſint contra illam remedia? ibid.
12 quid; & quotuplex ſit gula; & quot ſint ejus filia? 391
13 quale gula ſit peccatum, & quanam ſit contra illam remedia? ibid.
14 quid; & quotuplex ſit luxuria, quot ſint ſpecies; ac filia luxuria? 393
15 quale luxuria ſit peccatum, & an detur materia parvitas in delectatione venerea? 396
16 quomodo peccet ponens cauſam pollutionis? 398
17 quomodo motibus; ac delectationibus venereis ſit reſiſtendum? 399
18 qualia peccata ſint ſingula luxuria ſpecies? 402
19 quale peccatum ſint oſcula, tactus, aſpectus; colloquia; cogitationes; &c. 407

Quæ-

QUÆSTIO IV.

DE PECCATO ORIGINALI.

Quaritur. 1. *An detur peccatum originale, & in quo conſiſtat?* 413
2 *quanam ſit cauſa transfuſionis originalis peccati, & quinam illud contrahant?* ibid.
3 *quanam ſint pœna peccati originalis?* 414
4 *quanam ſint pœna parvulorum ſine baptiſmo decedentium?* ibid.

Finis Index Omnium Quæſtionum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MAG 2007315